# CURSUS THEOLOGICI,

## JUXTA MENTEM ANGELICI MAGISTRI

# D. THOMÆ AQUINATIS,

## QUINTI ECCLESIÆ DOCTORIS.

### TOMUS SECUNDUS.

COMPREHENDENS TRACTATUS DE Prædeſtinatione, & de Angelis.

*AUTHORE A R. P. PRÆSENT. Fr. JOANNE Villalva, Sacri Ordinis Prædicatorum, Sanctæ Inquiſitionis Aragoniæ Qualificatore, Regalis Conventus Sancti Petri Martyris Bilbilitani Filio, iamque Priore.*

Anno  1719.

*Cæſaraug.* Typis PASCHASIJ BUENO, Dñi N. Regis, & Sanctæ Inquiſitionis Typographi.

# INDEX
## SECUNDI TOMI.
### TRACT. V. DE PRÆDESTINATIONE.

QUÆSTIO I. *De eſſentia Prædeſtinationis*, pag. 2.

Art. I. *Vtrum in Deo ſit Prædeſtinatio hominum*, ibidem.

Art. II. *Quid ſit Prædeſtinatio*, pag. 10.

Art. III. *Vtrum Prædeſtinatio conſiſtat formaliter, & in recto in actibus intellectus, & voluntatis*, pag. 22.

Art. IV. *Vtrum Prædeſtinatio formaliter, & in recto conſiſtat in actu voluntatis*, pag. 31.

Art. V. *Vtrum conſiſtat in actu intellectus*, pag. 42.

Art. VI. *In quo actu intellectus conſiſtat formaliter, & in recto Prædiſtinatio*, pag. 57.

Art. VII. *Vtrū Prædeſtinatio ſit pars obiectiva providentiæ*, p. 81.

Quæſt. II. *De cauſa Prædeſtinationis*, pag. 88.

Art. I. *Vtrum electio abſoluta, & efficax Prædeſtinatorum ad gloriam ſit ante prævisa merita*, ibid.

Art. II. *Vtrum electio efficax Prædeſtinatorum ad gloriam, ante prævisa merita, regaletur Scientia Media*, pag. 116.

Art. III. *Vtrum ſit in Deo voluntas efficax executiva conferendi gloriam, ex prævisione meritorum*, pag. 127.

Art. IV. *Vtrum opera bona naturalia mereantur gratiam, quæ eſt primus effectus Prædeſtinationis*, pag. 134.

Art. V. *Vtrum opera bona naturalia moralia diſponant ad primum auxilium ſupernaturale*, pag. 145.

Art. VI. *Quomodo intelligatur Axioma: Facienti quod eſt in ſe Deus non denegat gratiam*, pag. 154.

Art. VII. *Vtrum Chriſtus Dominus fuerit cauſa meritoria noſtræ Prædeſtinationis quoad omnes effectus illius*, pag. 163.

Quæſt.III. *De effectu Prædeſtinationis, pag.*173.
Art. I. *Vtrum ſubſtantia Prædeſtinati ſit effectus Prædeſtinationis, pag.*174.
Art. II. *Vtrum glorificatio ſit effectus elicitus Prædeſtinationis, pag.* 192.
Art.III. *Vtrum gratia ſit effectus elicitus Prædeſtinationis, p.*197.
Art. IV. *Vtrum vocationes inefficaces ſint effectus Prædeſtinationis, pag.* 210.
Art. V. *Vtrum opera bona ſupernaturalia, vt procedunt à libero arbitrio ſint effectus Prædeſtinationis, pag* 220.
Art. VI. *Vtrũ permiſſio peccati ſit effectus Prædeſtinationis, p.*228.
Quæſt.IV. *De certitudine Prædeſtinationis, pag.*248.
Art.I. *Vtrum Prædeſtinatio ſit certa, pag.*249.
Art.II. *Vtrum numerus Prædeſtinatorum ſit certus, pag.*252.

## TRACTATVS VI. DE ANGELIS.

Quæſt. I. *De ſubſtantia Angelorum, pag.*261.
Art.I. *Vtrum Angeli ſint omninò incorporei, & immateriales, ibid.*
Art. II. *Vtrum de potentia Dei abſoluta poſſint eſſe plures Angeli eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero diſtincti, pag.*272.
Art.III. *Vtrum Angeli ex natura ſua ſint incorruptibiles, p.*284.
Quæſt.II. *De loco, & motu locali Angelorum, pag.*295.
Art.I. *Quæ ſit in Angelis ratio formalis eſſendi in loco ibid.*
Art. II. *Vtrum idem Angelus poſſit eſſe ſimul in duplici loco adæquato, pag.*310.
Art.III. *Vtrum plures Angeli poſſint eſſe ſimul in eodẽ loco, p.*319.
Art.IV. *De motu locali Angelorum, pag.*322.
Quæſt.III. *De cognitione Angelorum, pag.*339.
Art.I. *De pertinentibus ad virtutem cognoſcitivam Angeli, ibid.*
Art. II. *Quæ cognoſcat Angelus per ſuam ſubſtantiam, vt per ſpeciem, pag.*345.
Art.III. *Vtrum Angelus intelligat alia per ſpecies infuſas p.*355.
Art. IV. *Vtrum Angelus intelligat per ſpecies vniverſales, & ſuperior per vniverſaliores, pag.*369.

Art.V. *De his, quæ Angelus cognoſcit, pag.381.*
Art.VI. *Vtrum Angelus cognoſcat ſimul plura, vt plura, p.393.*
Art.VII. *Vtrum Angelus cognoſcat futura, pag.404.*
Art.VIII. *De modo cognitionis Angeli, pag.412.*

## TRACTATVS VII. DE IPSIS ANGELIS.

Quæſt.I. *De voluntate Angelorum, pag.419.*
Art.I. *Vtrum in Angelo ſit liberum arbitrium, ibid.*
Art. II. *De dilectione Angeli, pag.423.*
Art.III. *Vtrum Angeli in ſua creatione fuerint beati, pag.433.*
Art.IV. *Vtrum Angeli ſint creati in gratia, pag.440.*
Art. V. *Vtrum Angeli potuerint peccare in primo inſtanti ſuæ creationis, pag.449.*
Art.VI. *De peccato Angeli, pag.469.*
Art.VII. *Quid Angelus appetierit, dum ſuperbivit, pag.482.*
Quæſt.II. *De pœna dæmonum, pag 491.*
Art.I. *De obtenebratione intellectus dæmonis, ibid.*
Art.II. *De obſtinatione voluntatis dæmonis, pag.497.*
Art.III. *De dolore dæmonis. pag.523.*
Art.IV. *De pœna dæmonis, pag.528.*
Quæſt.III. *De actu, & ordinatione Angelorum in ſe, pag.543.*
Art.I. *De illuminatione Angelorum, ibid.*
Art.II. *De locutione Angelorum, pag.562.*
Art.III. *De ordinatione Angelorum, pag.582.*
Art.IV. *De ordinatione dæmonum, pag.601.*
Quæſt.IV. *De Præſidentia Angelorum, pag.607.*
Art.I. *Vtrum natura corporalis adminiſtretur per Angelos, ibid.*
Art.II. *De actione Angelorum in homines, pag.613.*
Art.III. *De miſſione Angelorum, pag.620.*
Art.IV. *De cuſtodia Angelorum, pag.628.*
Art.V. *De impugnatione dæmonum, pag.647.*

# BEATISSIME PATER

# DOMINICE:

**M**EA *omnia tua ſunt.* *Joan.16.*
Et quia tibi in profeſſione oblata: & quia Tuis meritis conſecuta. Propterea hucuſque ex Scriptis operibus nullum tibi dicavi: nam dicatur, non proprium, ſed extraneum, vt adoptetur, & protegatur. Veruntamen in ſecundo Tomo Curſus Theologici hoc dico: vt hæc ingenua confeſsio ſit quaſi eius dicatio. Hic inter omnes à me Luci expoſitos, eſt ſextus: itaquè, cum eo, cunctos tibi libo; vt initio ſextæ Centuriæ confirmationis Sacri tui Ordinis, omnia Parenti, & Domino meo rependam. In ea, *innova dies noſtros, ſicut à principio.* *Orat.Jerem.* Fœlicia tempora redeant. Vigeat religio: fulgeat do-

ſtrina. Tua ſunt hæc, Pater, Opera: cum in præfato ſenſu poſsim dicere: Joan. 14. *Opera, quæ ego facio, & ipſe faciet.* Eia ergo, Pie Pater Dominice, tuorum memor operum. Reſpice autem in me, & miſerere mei. Vide humilitatem meam, & laborem meum. Et præcipuè hunc differentem de Prædeſtinatione, & de Angelis: cum ſis magnus inter Prædeſtinatos, & per gratiam, quaſi Angelus, collocatus in Ordine Cherubico. Promiſsiſti, exinde te pro futurum Fratribus. Imple Pater quod dixiſti, nos tuis iuvans precibus. Amen.

# *CENSVRA R.P. PETRI LVMBRE- ras, Societatis Jeſu in Cæſar-Auguſtano Collegio Theologiæ Sacræ Profeſſoris, Veſper- tinæ Cathedræ Moderatoris, & in Vrgellenſi Diœceſi Examinatoris Synodalis.*

IUSSIS obtemperans Perilluſtris Dñi D. D. Paſchaſij Herreros, in Almâ, & Apoſtolicâ Abulenſi Eccleſia Canonici digniſsimi, & in tota Cæſar-Auguſtana Archi-Diœceſi Vicarij Generalis, &c. Legi, & evolvi Librum, ad manus meas delatum; cuius hæc inſcriptio: *Curſus Theologici, juxta mentem Angelici Magiſtri Divi Thomæ Aquinatis, &c.* Authorem habet hoc opus Theologicum Rev. Adm. P. Fr. Joannem Villalva, in Sacro Ordine Prædicatorum Præſentatum, Sanctæ Inquiſitionis Aragoniæ Qualificatorem, &c. Suis ſcriptis prælo datis jam pridem Orbi litterario ſatis notum; nec ſine ingenti Scholæ Angelicæ incremento; nec ſine debitâ magnarum laudum acceſsione; cum eius animum tantùm publicæ vtilitatis amor; non famæ cupiditas, nec auræ popularis pupugerit ambitio.

*Secundi* nomine inſignitur hic Tomus; vel quia germanus compar prioris, quem ante in lucem protulit; vel quia fœlicem ex prioris fortunâ naſcendi ſibi pollicetur horoſcopon; vt evolventium propitiatâ benevolentiâ intra ſinus ſperet recipi ſuæ humanitatis. Natu eſt *ſecundus*; materiæ dignitate *Primus*; exiguus adſpectu, ſed ſine mole magnus; ſine obſcuritate brevis; vt falſus deprehendatur qui dixit: *Brevis eſſe laboro; obſcurus fio.* Argumentum, ſeu materia, ex quâ compactum ſeſe ſiſtit ſapientium oculis novus hic fœtus, tota eſt *cœleſtis*; dùm arcana Divinæ Prædeſtinationis Sacraria reverenti gradu luſtrat, & illuſtrat face Angelicâ, quantum Homini fas eſt, impervia Deitatis pene-

tralia. Tota eſt & *Angelica*; dum de illâ multiplici Angelorum Hierarchia, naturâ, perfectione, & operatione, ſubtiles elucubrationes inſtituit. Tota eſt & *Angelica*; ductante calamum Thomâ Angelo, Angelorum cœleſtium præ ſapientia, & virtute digniſsimo contubernali; vel dum ageret in terris. Nec formæ ſuum deficit decus, & ornamentum pervenuſtum; tum ex ſtyli gravitate; tum ex brevitate in docendo; arridente Authori ſententia illa Magni Auguſtini: *Laborant homines in diſcendo, & brevia non valent intelligere; & prolixa non amant legere.* Tum ex mirâ eruditione, quam ſuis locis aggerit opportunè ex Sacræ Paginæ, & Sanctorum Patrum gazophylacio deprompram; tum ex perſpicuâ rationum concinnitate; tum ex ſolidâ firmitate ſententiarum, quas altè roborat, & acutè promovet; modeſtâ vivacitate contrarias refutatis.

Auguſt. Ep. 101.

Nec verò quoad opinionum delectum, veterum placita Author negligit ambitione tactus novitatis; nec aliorum more (quod non rarò evenit) velut ex tripode prodeuntia, obſervat ſuperſtitiosè. Rationi primas defert; cui authoritatis acceſsio vim geminat, & robur auget; ad veritatem aſſerta componit; non ad ſuperſtitioſam in Priſcos reverentiam, ingenio famulante. Intentam ſemper ingenij aciem oſtendit ad *Magiſtri Angelici* mentem acuminoſam; ex quâ, tanquam ex Solari orbitâ, ſcintillant micantes radij, fulgentia lumina profluunt, novique in dies evibrantur ſplendores. Nec mirum; Thomas *Sol eſt*, & Solem veritatis geſtat corde, mente, & calamo; Joannes Aquila; cui non incongruè illud poſſet aptari:

Ovid. *Spiritus hic Sacræ ſemina mentis habet.*

Nec mirum; Thomas *Cælum eſt*; Joannes ſtillantem colligit rorem, pretioſo ſui aurei voluminis conchylio; vt de rore cœli pingueſcat terra, & de ſtillicidijs eius lætetur germinans, opimorum fructuum vbertate prædives.

Quiſquis igitur auſpicato pede rimari percupiat penitiora arcana Sacræ Diſciplinæ, quæ in præcelſo Divinæ Prædeſtinationis Sanctuario deliteſcunt, & ad culmen Angelicum pertingunt; ſectetur hanc facem, quam Joannes, velut novus Prometheus, flammanti rogo Solis

Angelici ſolerter accendit; & ſui ingenij flammis litterario Orbi exhibet adultam. Hâc duce, nulli erit metuendum, ne anceps tramitum copia, quibus ad ſapientiæ verticem commeatur, greſſus confundat. Hâc Duce, nullum erroris diſpendium properantis veſtigia retardabit: Hâc duce, nulli flexuoſi anfractus, quibus iter ſolet præpediri, intercedent. Quin potius erunt aſpera in vias planas; parante Joanne viam multiformi Deitatis inacceſſæ Sacramento, & Angelicæ dignitatis arcano: *Sic abdita pandit.*

Quamobrem; & quia nihil in hoc volumine ſuo Authore digno, & Scholæ toti proficuo, à Fide alienum deprehendi, aut bonis moribus diſſentaneum; dignas cenſeo has elucubrationes Scholaſticas lucis publicæ vſura: in magnum Theologiæ Sacræ ſplendorem; in maius Scholæ Angelicæ ornamentum; in maximum Reipublicæ litterariæ decus, commodum, & præſidium. Ita ſentio; ſalvo meliori, &c. Cæſarauguſtæ die xxv. Martij, anni M.DCCXIX.

*Petrus Lumbreras.*

IMPRIMATVR:

*Herreros, Vic. Gñlis.*

# CENSVRA

## *R. A. P. M. Fr. EMMANVELIS Garzo de la Sarte, Concionatoris Regij, Prioris Hoſpitij Matritenſis, & Diffinitoris Capituli Provincialis Provinciæ Hiſpaniæ, Ordinis Prædicatorum.*

SUPREMI, Regijque Senatus, libentiſsimè obtemperans mandato, præpulchrum opus, cui titulus: *Curſus Theologici, iuxta mentem Ang. Mag. D. Thomæ. Tomus ſecundus, comprehendens Tractatus de Prædeſtinatione, & de Angelis, à R. A. P Præſentato Fr.* Joanne *Villalva, Ordinis Prædicatorum, Sanctæ Inquiſitionis Aragoniæ Qualificatore, & Regalis Conventus Sancti Petri Martyris Bilbilitan filio, iamque Priore*, luculentiſsimè elaboratum, accuratiſſima diligentia percurri, & attenta mentis indagation luſtravi; & advertens, ſimulquè admirans omnia rerum & verborum pondera, quibus mirum in modum hoc decoratur opus, admiratione ductus, dubitare cœpi: quis, tam per difficiles, tam ſubtiliter potuit pertractare quæſtiones? Quis tantæ molis Operi initium dare valuit? Et vt pr oculis Authoris habui nomen, timoris depulſis tenebris quod de Univerſi conditione Mediolanenſis ait Ambroſius: *Miraris opus; quæris Operatorem, Deus fecit cœlum, & terram: audiſti Authorem, dubitare non debes*; hoc protuli; ho dixi: quia tam præclarum opus, tantùm ab eo, cuius ingenij acumen, vſque ad ſydera opus tollit quodvis, vniverſumquè mundum claritate rigat ſuprema, & ſe iam ſicut cinerem, per vniverſi orbis ſpargit cardinem, ortum trahere valet. Iam, iam eius Authorem micantiſsimum ſydus, fulgentiſsimum iubar illius Opera inter Aſtra Thomiſtica proclamabant, quando, vt Cenſoris munus exer

terem, hic Tomus ad meas pervenit manus; ſed vt vidi, & legi; quod Sabâ de Salomone, hoc dixi: *Maior eſt ſapientia tua, & opera, quam rumor, quem audivi.*

Cogor, inquam, potentiſsimo adſtrictus imperio (cui reſiſtere nefas) Cenſuram ferre in Librum, quem auro ditiorem, & pretioſiorem æſtimo: *Ditior enim auro* (inquit Ambroſ.) *ſapientiæ nidus eſt, & quidem ipſum amavi ditiſsimum, ingenij floribus diſtinctum ortum æternitatis odorem ſpirantibus, non enim marceſcentibus vanitatibus, prophanis, ſcilicet, litteris, non eis fucatur, ſive marceſit, qui decenter, & pulchrè fructibus Sacræ Theologiæ viget.* Si autem, vt inquit Cicero: *Effectus eloquentiæ eſt audientium approbatio*; quomodo Opus, quod tot gaudet approbatoribus, ad quorum pervenerit manus non approbabo? Opus, inquam, de quo dixit Plinius: *In quibus cenſoriæ virgulæ nil; laudis, & admirationis digna multa reperies.* Opus, in quo incomparabilis ſoliditas, vigor, ponduſquê rationum perſpicuus trames, fœcundiſsimus torrens, altiſonans, & præciſa formalitas, fulmineum ingenium, vivax profunditas, florens ſubtilitas, & nitida facundia florent, vernant, & emicant, quomodo Cenſoris fulminem haſtam? Nunquid in Sole nebulas? Nunquid in nive nigredinem? An in veritate formidinem, & in tanto Magiſtro errorem? Abſit.

Iam, iam Cenſoris deponam virgulam, & tam perfectum Opus proſequar Encomijs, dicens cum Salviano: *Legi librum, ſtillo brevem, doctrina vberem, lectione expeditum, & ſoli tanti Autheris menti parem.* Admirabili in labore iſto, proferam cum Plinio: *Multa tenuiter, multa ſuaviter, multa ſublimiter, multa venuſte, multa tenere, multa dulciter*; itaquê perfectum probatum eſt, cum ipſo Plinio concludam: *Aliquot annis puto nihil huius generis abſolutius ſcriptum.* Opus, inquam, ex omni parte maius, quod non invidia detrahere, nec ſinceritas poterit non laudare.

Liber ergo iſte potius arbor fœcunda apparet, fidei dogmata in folijs Sacræ Scripturæ, veritatibus

Conciliorum , Orthodoxorumquē Patrum ; teſtimonij
firmantibus , oſtentat ; taliquê litterarum viget cum-
mulo , taliquê rationum pondere firmatur , vt cum
Evangeliſta Joanne dicere poſsim : *Sermo tuus veritas
eſt.* Et quod de Judith gens : *Omnia , quæ locutus eſt,
vera ſunt , & non eſt in ſermonibus tuis vlla reprenſio.*
Proh immane , pulchrum arboris foliorum pondus
Fructuum invitat ingenij prodiga ſententiarum , acu
tiſsimarumquè rationum , contrariorum argutias om
ninô fugantium , ſententiarumquè , quas ſola erudi
perfecta , præexcellenſquè Authoris ingenium antiqua
faceret æſtimari , etſi primas ſubtilitate , & ingeni
extulerit : Magiſter enim ſapientiſsimus iſte , veſtigi
firma Solis Aquinatis inſequens , eiuſquè littere adhæ
rens , genuinam mentem illius declarare intendens , ſu
vernanti , & ſubtiliſsimo ingenij acumine , melioribu
rationibus , ſolidioribus fundamentis veritatem Angel
Præceptoris firmat , & confirmat ; ex altoquè ſuæ men
tis pinaculo antiquas intra Scholam Divi Thomæ re
ceptas vias ſpeculando firmiores , ipſique Angel. Ma
giſtro conformiores , has amplectitur ; & ſi quid inve
nit , quod non adeò appareat fundatum , illud fulcit
ſi quid obſcurum , & lucem deſiderans , ſua inenarra
bili claritate illuſtrat , & declarat ; componit , & pon
derat ; ordinat , diſtinguit , & formalizat : Cavillatio
nes , & argutias , huius tempeſtatis tam proprias , ita
illudit , deſtruit , & eradicat , vt antiquas ſemitas non
derelinquat , obſervans Vincent. Lirenenſ. præceptum
*Dicas novè , ſed non dicas nova.* Doctrinam Thomiſticam
ſuæ eloquentiæ iaculo reddens tam vernantem , vt om
nes illius concluſiones novitate floreſcant , & antiqui
tate firmentur ; vt cum Tertuliano dicere valeam : *Ve
tuſtate nobiles , novitate fœlices.*

Opus mirabile , inquam , in quo Neoterici , Ty
roneſque Thomiſtæ invenient arcum , loricam , gla
dium , haſtam , & ſcutum , quibus induti , oppoſita
refellere , ſuamquè ſtatuere valeant ſententiam , ratio
nibus eius firmis oppoſitorum tanquam nebulæ , adve

niente luce; & cera in conſpectu ignis; ſic evaneſcunt, rationes. In hoc enim refertiſsimo promptuario, præſto ſunt firmiſsima propugnacula, quibus volitantia arguentium ſpicula, & validiora iacula facillimo negotio propulſentur, elidanturquè obiectiones, ac fœlici dexteritate retorqueantur in hoſtem, plaudente adſtantium corona. In hoc, inquam, viridario, qui Thomiſticæ diſciplinæ avidê dogmatibus initiari contendit, atquê in penetralia interiora perduci, hos per pulchros colligat floſculos, ſecuriuſquê Thomiſticæ Sapientiæ abdita penetrabit, ingredietur, & egredietur, & paſcua vberrima inveniet; quin cœcis ambagibus anceps, aut nutabundus aberret; vtpotê D. Angel. Duce, cuius doctrina *abſque vllo prorſus errore*.

O valdè miranda natura fructuum, quæ flores neglexerit, ingenij proficuam fructuum dulcedinem non fugavit! Decenter deniquê Liber hic pietate pollet, & rationum lumine deturbat tenebras, impietatiſquê deprimit apparentias, adeoquê modeſtâ in ratiocinando vehementia vtitur, vt neque aſperitas ſibi transluceat, nec obumbret efficaciam. In hoc ergo litterarum optimê ordinato cumulo, fœlix eius ſtudioſus Lector, quidquid voluerit, adinveniet: doctrinam Angelicam Divi Thomæ; dogmata quâm plurima veræ Theologiæ; multorum Conciliorum, & Patrum mentes expreſſas; & ingenioſiſsimam dubiorum rationem, & ſolutionem. Patrumquê demum videbit filium Theologum, ipſos fœliciter imitantem: in gravitate ſtilli, quaſi fulmine rationum Athanaſium; in ipſarum vehementia Cyprianum; in profunditate Auguſtinum; in eruditione Hieronymum; in ſuavitate Nazianzenum; in verborum fœcunditate Baſilium; in pietate Chriſoſtomum; ac denique in claritate, compendio, ſubtilitate, & veritate rationum Ang. Doct. Divum Thomam. Hæc Libri ſunt; non inventa; harum laudum Liber fœcundus erat, & aliarum, quas ſilentio præmere dignum eſt, ne prolixa rependam: *Prolixa enim* (ait Ambroſ.) *laudatio eſt, quæ non quæritur, ſed tenetur.*

Sed vt iam orationi meæ, ſatis prolixæ (etſi impari affectui) vltimum imponam colophonem, dicam cum Sidonio: *In hoc eſt opportunitas in exemplis, fides in teſtimonijs, virtus in argumentis, pondus in ſenſibus, proprietas in vocibus.* Debet enim prælo mandari, in communem dariquè lucem, propter Authoris eminentiam, perſpicuitatem, elegantiam, & fœcunditatem, vt, de non tam præclaro, ait Caſiodorus. Neque enim fieri poterat, vt quem Author tantus produxerat, aliquid Sententia noſtra corrigendum invenerit: ipſum enim Opus hunc meretur plauſum; eloquentia, & facundia, & rationum pondera voces emittunt; vt de duobus, Sole, & Luna, luminaribus ait Philon: *Vera bona ex ſe ipſis naturaliter voces emittunt, etiamſi ſileant: nam nec Sol, nec Luna opus habent interprete.* Ideoquè poſſe prælo mandari affirmo imò, & deberi aureis caracteribus Opus tam pretioſum gravari, litteriſque marmoreis, in æribus ſempiternis ſculpi, vt de Plutarcho ait Caſinus: *Dignum quidem quod aureis apicibus deſcribatur*: Ut in perpetuum ſcientiam roret, claritatem reſpiret, & dulc lacte proceres Aquinaticos alat, ſicquè gloria totiu ſæculi noſtri. Sic cenſeo, ſic affirmo, ſalvo meliori, &c. In Paſsionis hoc Hoſpitum Matritenſi Cœnobio, tertio Kalendas Julij, anno Domini 1717.

*Fr. Emmanuel Garzo de la Sarte*

# FACULTAS ORDINIS.

NOS Fr. Hyacinthus à Sancta Romana, Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac Provinciæ Aragoniæ, Ordinis Prædicatorum, humilis Prior Provincialis, & Servus; thenore præſentium, noſtrique authoritate Officij facultatem concedimus R.P. Præſentato Fr. Joanni Villalva typis mandandi hunc ſecundum Tomum, & reliquos: *Curſus Theologici, iuxtà mentem Angelici Magiſtri Divi Thomæ Aquinatis*: ſuppoſita approbatione, quam ex commiſsione noſtri Anteceſſoris præbuerunt Adm. RR. PP. MM. Fr. Andræas Palacios, & Fr. Franciſcus la Sierra. In quorum fidem præſentibus Sigillo Officij noſtri munitis manu propria ſubſcripſimus. Datis in noſtro Regali Prædicatorum Conventu Sancti Petri Martyris Calatayuvij, die 15. Novembris anno 1717.

*Fr. Hyacinthus Santa Romana,*
*Prior Provincialis.*

Regiſt. fol. 5.

*Fr Petrus Gomez, Magiſter fidei Cenſor, & Socius.*

# SUMA DEL PRIVILEGIO.

DON Joſeph de Bordonaba, Secretario del Rey Nueſtro Señor, de los que en ſu Conſejo reſiden: Certifico, que por los Señores de èl, ſe ha concedido Licencia al Padre Preſentado Fray Juan Villalva, del Convento de Predicadores de la Ciudad de Calatayud, ò à quien ſu poder tuviere, para que pueda imprimir, y vender vn Libro, que ha compueſto, intitulado: *Curſus Theologici, iuxtà mentem Angelici Magiſtri Divi Thomæ Aquinatis, Quinti Eccleſiæ Doctoris, Tomus Secundus.* Con que la dicha impreſsion ſe haga por el Original, que và rubricado, y firmado de mi firma; y que antes, que ſe venda, ſe trayga al Conſejo el Libro impreſſo, juntamente con el dicho Original, y Certificacion del Corrector, de eſtarlo conforme à èl, para que ſe taſſe el precio, à que ſe ha de vender, guardando en la impreſsion lo diſpueſto por las Leyes, y Pragmaticas de eſtos Reynos. Y para que conſte lo firmè en Madrid à nueve dias del mes de Julio, año mil ſetecientos y diez y ſiete.

*Don Joſeph de Bordonaba.*

TASSA.

# TASSA.

DON Joſeph de Bordonaba, Eſcrivano de Camara del Rey Nueſtro Señor, y de Govierno del Conſejo, por lo tocante à los Reynos de la Corona de Aragon: Certifico, que aviendoſe viſto por los Señores de èl vn Libro, intitulado: *Curſus Theologici, iuxtà mentem Angelici Magiſtri Divi Thomæ Aquinatis, Quinti Eccleſiæ Doctoris, Tomus Secundus*, compueſto por Fray Juan Villalva, del Orden de Predicadores, que con licencia de dichos Señores ha ſido impreſſo, taſſaron à ocho maravedis cada pliego del dicho Libro, el qual parece tiene ochenta y vno y medio, ſin principios, ni tablas, que al dicho reſpecto monta ſeiſcientos y cincuenta y dos maravedis, y à dicho precio, y no mas mandaron ſe venda, y que eſta Certificacion ſe ponga al principio de dicho Libro; y para que conſte lo firmè en Madrid à tres dias del mes de Junio de mil ſetecientos y diez y nueve.

*Don Joſeph de Bordonaba.*

# ERRATA SIC CORRIGE.

PAG.8.col.2 lin.37.*natus*,lege *motus*. Pag.9.col.2.lin.20.*recipiet*, lege *rapiet*.Pag.28.col.2.lin.26.*ſequentis*,lege *exequentis*.Pag.143.col.2. lin.4.*bonis*,lege *bonus*.Pag.146.col.2.lin.25 *ſufficientem*,lege *efficientem*. Pag.158.col.2.lin.24.dele *non*.Pag.229.col.2.lin.12.*colligetur*,lege *colligeretur*. Pag.263.col.2.lin.4.*corpus*,lege *corpora*.Pag.325.col.1.lin.14. *etſi ceſſit*,lege *etſi cedit*.Pag.432.col.2.lin.vlt.*fundat*,lege *vt fundamentum*.Pag.449.col.1.lin.19.*eſt*,lege *non eſt*.Pag.455.col.2.lin.36.*non concurrent*,dele *non*. Pag.501.col.1.lin.23. dele *non*. Pag.514.col.1. lin.33. *reficiatur*,lege *afficiatur*.Pag.605.col.2.lin.24.*homine*,lege *lumine*.

HE viſto eſte Libro, intitulado: *Curſus Theologici, iuxtà mentem Angelici Magiſtri Divi Thomæ Aquinatis, Quinti Eccleſiæ Doctoris*, ſu Author el Padre Fray Juan Villalva, y con eſtas erratas correſponde à ſu original. Madrid, y Junio à 23 de 1719.

*Lic. Don Benito de Rio y Cordido,*
*Corrector General por S.M.*

## QUÆSTIO PRIMA.

### *DE ESSENTIA PRÆDEſtinationis.*

ANGELICVS Doctor agit prius de Prædeſtinatione abſolutè, & in ſe; acturus poſtea de illa comparativè ad alia. Et cum quæſtio *an ſit*, præcedat quæſtionem, *quid ſit*; ab illa ſumit exordium.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *VTRVM IN DEO SIT PRÆdeſtinatio hominum.*

1 PRÆMITTO 1. Quod vox *Prædeſtinatio*, in Sacra Scriptura celebris, & in Patribus, & Doctoribus plauſibilis, derivatur à verbo *deſtino*; quod ſignificat varia; nempè: deliberare, ſtatuere, ordinare, parare, deputare, deſignare, mittere, ſeu tranſmittere. Ab hoc vltimo præcipuè dicitur *Prædeſtinatio*: vt advertit Divus Thomas artic. 1. Et vt docet quæſt. 6. de verit. artic. 1. derivatur à duplici conceptu deſtinationis. Deſtinatio namque duo ſignificat. Primò deſignationem internam, per decretum faciendi aliquid. Secundò externam, quæ eſt effectus internæ: qua aliquis mittitur exequi quod decretum eſt. Primum conſtat 2. Machab. 6. verſ. 20. vbi dicitur de Eleazaro: *Deſtinavit non admittere illicita propter vitæ amorem.* Et 2. Corinth. 9. *Vnuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo.* Divus Thomas lect. 1. *Deliberavit.* Mag. Joann. à S. Thoma: *Statuit.* Secundum patet ex illo 1. Machab. 1. verſ. 14. *Deſtinaverunt aliqui de populo, & abierunt ad Regem.* Et 1. Corinth. 4. *Deus nos Apoſtolos noviſsimos oſtendit tanquam morti deſtinatos.* Div. Thomas lect. 2. *Condemnati ad mortem.* Mag. Joann. à S. Thoma: *Ad mortem miſſos.*

2 Prædeſtinatio itaquè hominum in Deo, primo modo ſumpta, dicit decretum præordinans, & prædefiniens aliquid erga homines. Unde ſuper illud Epheſ. 1. *Qui prædeſtinavit nos*, ait S. Hieron. *Prædeſtinare eſt prædefinire.* Et M. P. S. Aug. lib. 6. Hypognoſticon: *Quod bonum eſt præſcientia prædeſtinat, id eſt, prius quam ſit in re, præordinat.* Hinc Ang. Doctor quæſt. 3. de verit. art. 7. dicit: *Omnes effectus ſecundi ex Dei prædiffinitione proveniunt.* Acceptio Prædeſtinationis in hoc ſenſu eſt generalis, pro omni Dei providentia, & decreto præordinante, quod fiat aliquid. Prout ſpecialis circa homines, & de vita æterna conſequenda ab illis, dicitur rigorosè *Prædeſtinatio*; de qua agimus nunc cum D. Thoma. Secundo modo accepta dicit executionem talis decreti prædifinitivi,

tivi,

tivi, ſeu decretum executivum. Enimverò non dicitur *deſtinatio*, ſed *Prædeſtinatio*: quia *Præ* ſignificat dignitatem, & prioritatem cauſalitatis, & durationis: nam homines deſtinantur ad finem digniſsimum, qualis eſt gloria; non in tempore, ſed ab æterno, iuxta illud Epheſ.1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*. Div. Thomas lect. 1. *Præordinavit nos ab æterno, antequam fieremus*. Sanct. Vincent. Fer. Serm. Converſ. Sancti Pauli: *Iſta electio dicitur Prædeſtinatio*.

3 Præmitto 2. Quod Prædeſtinatio hominum eſt poſsibilis, cum Deus omnipotens poſsit deſtinare, & mittere homines in gloriam. Hæc veritas eſt de fide. De qua ſolum dubitaverunt aliqui Gētiles, qui negaverunt providentiam divinam, aut ſaltim eam ab iſtis inferioribus ſubſtraxerunt, de quibus dicitur Pſal. 93. *Et dixerunt non videbit Dominus: nec intelliget Deus Jacob*. Et Job 22. *Nubes latibulum eius, circa cardines cæli perambulabat, nec noſtra conſiderat*. Et Atthæi, qui negantes immortalitatem animæ rationalis, conſequenter negabant prædeſtinationem eius ad gloriam. De ipſis dicitur Sap. 2. *Neſcierunt Sacramenta Dei, nec ſperaverunt mercedem iuſtitiæ, nec iudicaverunt honorem animarum ſanctarum*. Quem errorem ſtolidiſsimum auſi ſunt aliqui Hæretici his temporibus ſuſcitare. Alij Hæretici ex Prædeſtinatione admiſſa, humanam libertatem negant: & conſequenter veram hominum prædeſtinationem, quæ in adultis requirit libertatem, vt ſuis meritis conſequantur gloriam. Qui errores alibi confutantur. Hic autem rejiciuntur: quia negant principia, imò & lumine naturali nota: Vt providentiam Dei, immortalitatem animæ rationalis, & libertatem noſtram. Contra illos agit Divus Thomas q. 22. art. 2. & 3. & etiam 3. contra Gent. cap. 80. Difficultas ergo reducitur ad Prędeſtinationem actualem.

4 Concluſio: In Deo datur Prædeſtinatio hominum: Hæc veritas eſt de fide; & expreſſa in Divō Thoma art. 1. Eam fundat in illo Rom. 8. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit*. & S. Vincent. Ferr. ſerm. cit. n. 2. in illo 1. Epheſ. *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ*. Nunc D. Thomas lect. 1. *Vbi circa Prædeſtinationem implicat ſex. Primò actum internum ibi: Prædeſtinavit. Secundò temporale obiectum ibi: Nos. Tertio præſens commodum ibi: In adoptionem, &c. Quarto fructum futurum ibi: In id ipſum. Quinto modum gratuitum ibi: Secundum propoſitum, &c. Sexto effectum debitum ibi: In laudem gloriæ*.

Hæc conſtant in B. Alb. Magno 1.part.quæſt.63.

5 Prob.1.concluſ.ratione Divi Thomæ: Prædeſtinatio eſt tranſmiſsio creaturæ rationalis in vitam æternam; ſed in Deo datur tranſmiſsio hominum, qui ſunt creaturæ rationales, in vitam æternam; ergo. Mai. eſt expreſſa Ang.Doct.Cuius rationem præbet, dicens: *Nam deſtinare eſt mittere.* En deſtinationem conſiſtentem in miſsione. Quod autem ſit *Prædeſtinatio*, ſicque præmiſsio, ſeu præcedens tranſmiſſio, viſum eſt num.1.& 2. vbi reliqua patent.Prob.min. Cum aliquid, virtute propria ſuæ naturæ, non poteſt pervenire in aliquem finem, cuius eſt capax, eſt in alio tranſmiſsio eius ad talem finem; ſed homines, ſive creaturæ rationales, non poſſunt virtute propria ſuæ naturæ pervenire in vitam æternam, cuius ſunt capaces: ergo. Mai. patet in Sagitta: quæ ideò mittitur in ſignum à Sagittario. Conſeq. conſtat: Cum non poſsit eſſe in alio, niſi in Deo. Prob.min. Homines propria virtute ſuæ naturæ non poſſunt pervenire in finem excedentem facultatem naturæ creatæ; ſed vita æterna eſt finis longe excedens facultatem naturæ creatæ: ergo. Mai.eſt certa: Nam ſic ſolùm poſſunt pervenire in finem proportionatum. Prob.min. Vita æterna conſiſtit in viſione Dei beatifica; ſed hæc viſio eſt longe excedens facultatem totius naturæ creatæ: ergo. Præmiſſæ ſunt certæ, & edoctæ à D. Thoma quæſt. 12. præcipuè artic. 5. Conſeq.patet.

6 Roboratur: Prædeſtinatio eſt ratio tranſmiſsionis creaturæ rationalis in vitam æternam, in Deo præexiſtens; ſed in Deo præexiſtit ratio tranſmiſsionis hominum, qui ſunt creaturæ rationales, in vitam æternam: ergo. Mai. eſt D. Thomæ. Et conſtat ex dictis: nam Prædeſtinatio eſt anticipata deſtinatio creaturæ rationalis ad vitam æternam: ſive decretum prædefiniens, & præordinans mittere illam in gloriam. Prob.min. In Deo præexiſtit ratio ordinis omnium in finem; ſed vita æterna eſt finis hominum: ergo. Mai. patet: Cum in ea conſiſtat providentia; quæ eſt in Deo, vt docet Ang.Præceptor q.22.

7 Corroboratur ex D. Thoma aſſerente: *Ratio autem alicuius fiendi in mente actoris exiſtens eſt quædam præexiſtentia rei fiendæ in eo*; ſed in mente Dei, vt actoris, eſt ratio conſecutionis vitę æternæ hominum: ergo talis conſecutio, ſeu miſsio hominum ad gloriam præexiſtit in Deo, quatenus in eo præexiſtit talis deſtinatio, & decretum, in quo Prædeſtinatio cõſiſtit. Pro intelligentia maioris

do-

docet Ang. Mag. q.5. de veritate art. 5. ad 1. quod res fienda, ſive facienda, poteſt conſiderari ſpeculativè, & practicè. Sumpta ſpeculativè dicit ſuam eſſentiam; & eſt in mente actoris per ſpeciem, ideam, & verbum, quæ ſunt ratio rei fiendæ, præexiſtens virtualiter, & cauſaliter in mente actoris, antequam in re fiat. Conſiderata practicè importat ordinem executivum ad finem, qui eſt ex vi determinationis agentis ſufficientis, vt rem perducat in finem: Sicque in mente actoris eſt actus imperij, qui eſt ratio ordinans ipſam in finem. Ita Magiſt. Ferrarien. 3. cont. Gent. c. 9. *Sed in Deo* eſt vtroque modo vita æterna, ſeu conſecutio vitę æternę hominum: Cum eam habeat in ſpecie, idea, verbo, & per actum imperij, quo decrevit ſalvare homines: ergo. Min. primi ſyllogiſmi oſtenditur: In mente Dei eſt decretum de conſecutione vitæ æternæ hominum; ſed tale decretum eſt ratio prædictæ conſecutionis, ſine qua eam non conſequentur: ergo.

8 Prob. 2. concluſ. ratione Divi Thomæ: In Deo eſt decretum de conſecutione vitæ æternæ hominum; ſed prædeſtinatio eorum conſiſtit in tali decreto: ergo eſt in Deo. Min. patet: Nam conſiſtit in deſtinatione eorum ad gloriam; ad quam tali decreto deſtinantur. Prob. mai. Conſecutio vitæ æternæ, ſive ipſa vita æterna hominum, eſt futura; ſed conſtituitur futura decreto Dei, quod in Deo eſt de tali conſecutione: ergo. Min. conſtat ex Divo Thoma quæſt. 14. Cum decretum divinum ſit conſtitutivum futuri: vt vidimus Tract. 3. quæſt. 2. artic. 1.

9 Confirmatur: In agente per intellectum debet præexiſtere res facienda, ſive futura; ſpeculativè ſumpta per ſpeciem, & ideam: practicè verò per imperium, ſive decretum, quo decernit fore illius, & ipſum mandat executioni; ſed Deus eſt agens per intellectum: ergo in eo ita præexiſtit conſecutio vitę æternę, ſive ipſa vita æterna hominum: ſicque in Deo eſt Prædeſtinatio eorum. Hæc pręcipuè convincunt: Eſſe in Deo prædeſtinationem hominum, ex ſuppoſitione, quod prædeſtinentur: cum non, niſi decreto Dei poſſint ad gloriam deſtinari, & prædeſtinari. Quod autem de facto ſint aliqui homines prædeſtinati, ſic oſtendit Divus Thomas: Prædeſtinatio eſt ordinatio creaturæ rationalis in vitam æternam; ſed de facto eſt in Deo ordinatio aliquorum hominum, qui ſunt creaturæ rationales, in vitam æternam: ergo. Prob. minor. De facto eſt in Deo providentia hominum, & creaturæ rationalis: ergo. Prob. conſ.

Ad providentiam Dei pertinet ordinare res in ſuum finem ; ſed finis præcipuus hominum, & creaturæ rationalis eſt vita æterna: ergo. Mai. eſt Divi Thomæ aſſerentis : *Omnia enim divinæ providentiæ ſubiacent.* Min manet oſtenſa. Conſeq. patet ex S. Doctore ita concludente : *Deo conveniens eſt homines prædeſtinare.*

10 Prob. etiam ratione: Conveniens eſt Deo, aliquos homines beatificare : ergo etiam prædeſtinare. Conſeq. patet ex illo Rom. 8. *Quos præſcivit , & prædeſtinavit: illos & glorificavit.* Ant. docetur à Divo Thoma quæſt. 23. artic. 1. Et probatur : Summo bono intellectuali eſt conveniens, ſe ſummo, ſeu perfectiori modo intellectuali communicare univerſo , ſive ſubiecto capaci talis communicationis; ſed Deus eſt ſummum bonum intellectuale, & modus perfectior talis communicationis eſt beatificando homines , qui ſunt capaces viſionis beatæ Dei : ergo. Mai. eſt certa : Nam de ratione boni eſt, ſe comunicare: & de ratione ſummi boni ſummo , vel perfectiori modo poſsibili ſe communicare. Min. patet ex Ang. Mag. loc. cit. Quare in præſenti art. 1. ait : *Vnde propriè loquendo rationalis creatura, quæ eſt capax vitæ æternæ , perducitur in ipſam quaſi à Deo tranſmiſſa.*

11 Illuſtratur : Conveniens eſt Deo manifeſtare perfectiones Divinas; ſed maximè eas manifeſtat, prædeſtinando aliquos homines: ergo de facto eſt in Deo Prædeſtinatio aliquorum hominum: Mai. patet ex illo Prover. 16. v. 4. *Vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Cuius communis inteligentia eſt : Propter ſe ipſum manifeſtandum. Min. oſtenditur: Nam Dei libertas maximè manifeſtatur, cum deſtinet aliquos , & non alios ad gloriam ; quia vult. Sicut Figulus, quia vult ex eodem luto facit aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam, vt dicitur ad Rom. 9. Nec libertas Dei ita ſplenderet , ſi tantùm produxiſſet, & prædeſtinaſſet Angelos. Aut ſi prædeſtinaſſet Angelos, & reprobaſſet homines. Aut ſi ſolum prædeſtinaſſet, & reprobaſſet Angelos : nam cum Angeli ſint diverſæ ſpeciei, poterat ſuſpicari: eorum Prædeſtinationem , & reprobationem reduci in aliquam conditionem naturalem eorum, & non in ſolam voluntatem Dei: Cum autem homines ſint eiuſdem ſpeciei , non eſt fundamentum talis ſuſpitionis in illis ; ſed apparet libertas divina, dum Deus prædeſtinat vnos , & reprobat alios. Miſericordia quoque enitet , quia elegit aliquos homines, reprobatis alijs eiuſdem naturæ, & multis Angelis naturæ perfectioris. Si enim prædeſtinaſſet

om-

omnes homines, miſericordia foret maior extenſivè, quia ad plures ſe extenderet. Non intenſive, ſicut eſt reſpectu eorum, quos prędeſtinavit. Bonitas, iuſtitia, veritas, & cætera attributa Dei mirè fulgent, vt conſideranti pateſiet.

12 Arg. 1. Si Deus prædeſtinaret homines, prædeterminaret merita eorum; ſed Deus non prædeterminat merita hominum: ergo. Mai. patet: nam prædeterminans finem, qualis eſſet vita æterna reſpectu Prædeſtinatorum, etiam prædeterminat media ad conſequendum finem, qualia ſunt merita hominum ad vitam æternam, & gloriam conſequendam. Prob. min. ex S. Joanne Damaſceno lib. 2. aſſerente: *Omnia quidem præcognoſcit Deus: non autem omnia prædeterminat. Præcognoſcit enim ea, quæ in nobis ſunt, non autem prædeterminat ea*; ſed media ſunt in hominibus: ergo. Min. eſt certa: Siquidem homines ſunt domini ſuorum actuum, in quibus eſt meritum. Reſp. admitto, & explico authoritatem. Cuius ſenſus eſt: quod non prædeterminat ea, imponendo illis neceſsitatem, ſed vt liberè fiant. Ita D. Thomas ad 1. dicens: *Damaſcenus nominat prædeterminationem impoſitionem neceſsitatis: Sicut eſt in rebus naturalibus, quæ ſunt prædeterminatæ ad vnum. Quod patet ex eo, quod ſubdit, non enim vult malitiam, neque compellit virtutem. Vnde prædeſtinatio non excluditur.*

13 Cont. Si Deus prædeſtinaret homines, & prædeterminaret merita, quæ ſunt in illis, imponeret neceſsitatem operãdi: ergo. Prob. ant. Foret in Deo decretum de vita æterna, & meritis eorum pro conſecutione illius; ſed tale decretum imponeret eis neceſsitatem operandi: ergo. Prob. min. Imponeret eis neceſsitatem merendi, & conſequendi vitam æternam: ergo. Prob. ant. Suppoſito tali decreto, homines infallibiliter mererentur, & conſequentur vitam æternam: ergo. Ant. conſtat: Cum tale decretum eſſet infallibile. Conſ. patet: Nam quod infallibiliter fit, neceſſariò fit.

14 Reſp. diſt. ant. Et conſequerentur liberè, conc. ant. Neceſſariò, nego ant. & conſeq. Cum decretum prædeſtinationis, & meritorum, quibus homines conſecuturi ſunt vitam æternam, ſit efficax; vt dicemus quæſt. 2. art. 1. Eo ſuppoſito infallibiliter eam merebuntur, & conſequentur. Non tamen neceſſariò, ſed liberè: nam illam conſecuturi ſunt, ſicut decretum eſt à Deo; & decretum eſt ab illo, vt eam conſequantur liberè, & non neceſſariò. Cum igitur hoc non ſit imponere eis neceſsitatem operandi: ideò eam non imponit illis, ſed liberè

merentur, & conſequentur vitam æternam. Hæc doctrina eſt Divi Thomæ q.19. art.8.ad 1. & illam adduximus tract.4.quæſt.4 art.2. num.7.

15 Contra: Si prædeſtinatio hominum ita eſſet, foret nota prędeſtinatis; ſed non eſt nota prædeſtinatis: ergo ita non eſt. Min. patet, cum non ſit multis revelata. Prob. mai. ſi Prædeſtinatio hominum ita eſſet, foret maximum beneficium Dei; ſed alia beneficia Dei hominibus collata, revelata, & nota facta ſunt viris Sãctis; ergo. Mai. patet: cum ſit maximum beneficium, Deum gratis decernere eorum ſalvationem, & merita, quibus infallibiliter conſequantur liberè vitam æternam. Min. conſtat ex illo 1. Corinth.2. *Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis.* Reſp nego conſ. Ratio aſsignatur à Divo Thoma art. 1. ad 4. ita affante: *Etiamſi aliquibus ex ſpeciali privilegio ſua prædeſtinatio reveletur, non tamen convenit vt reveletur omnibus: quia ſic illi, qui non ſunt prædeſtinati, deſperarent: & ſecuritas in prædeſtinatis negligentiam pareret.*

16 Arg.2. In Deo non eſt Prędeſtinatio aliarum creaturarum: ergo nec hominum. Prob. conſeq. Omnes creaturæ ordinantur in ſuos fines per divinam providentiam: Sed: ergo: Reſp. nego co Ratio eſt: quia prędeſtinatio p priè eſt deſtinatio ad vitam ęt nam, & gloriam, cuius homi ſunt capaces, & non aliæ crea tæ non rationales. Ita D. Tho ad 2.

17 Cont. Licèt homines capaces vitæ æternæ, non eſ Deo Prædeſtinatio hominum: go. Prob. ant. In Deo non eſt P deſtinatio Angelorum; ſed An li ſunt capaces vitæ æternæ: er Prob. mai. In Deo non eſt pro ſitum miſerendi Angelorum; juxta D. Auguſtinum prædeſti tio eſt propoſitum miſerendi p deſtinati: ergo. Mai. eſt certa, c in Angelis non præceſſerit mi ria ſublevanda, quia non præc ſit in eis peccatum, ſicut in ho nibus: nam qui ſemel pecca runt, damnati ſunt; & qui nu quam, ſunt ſalvati.

18 Reſpondeo admitto, explico aſſertum Magni Pare tis Divi Auguſtini de Præ ſtinatione ſupponente ex pa termini à *quo* peccatum, & mi riam. Non de illud non ſup nente, & ſumpta ex parte term ad *quem*, qualis eſt Prædeſtina Angelorum. Hæc expoſitio eſt vi Thomæ ad 3. aſſerentis: *Præ ſtinari convenit Angelis, ſicut hominibus*, licèt nunquam fuer miſeri. Nam natus non acci ſpeciem à terminis à *quo*, ſe

termino ad *quem*. Nihil enim refert quantum ad rationem dealbationis, vtrum ille, qui dealbatur fuerit niger, aut palidus, vel rubeus. Et ſimiliter nihil refert ad rationem prædeſtinationis, vtrum aliquis prædeſtinetur in vitam æternam à ſtatu miſeriæ, vel non: Quamvis dici poſſit, quod omnis collatio boni ſupra debitum eius, *cui confertur, ad miſeriam pertineat.* Hæc S. Doctor. Cum igitur Angelis non ſit debita vita æterna, ideò Prædeſtinatio eorum poteſt dici, in hoc ſenſu, propoſitum miſerendi.

19 Cont. Nec ita eſt in Deo Prædeſtinatio hominum: ergo. Probant. Si ita eſſet, omnes homines prædeſtinati ſine dono cõfirmationis in gratia, eſſent impeccabiles in hac vita; ſed non ſunt, vt fides docet: ergo. Probat. mai. ex illo 1. Joannis 3. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet.* Et S. Bernard. ſerm. 13. in Cant. legit: *Prædeſtinatio manet in illis.* Et Sacer textus proſequitur: *Et non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt*: ergo.

20 Reſp. Admitto, & explico Sac. Textum cum communi Sanctorum Patrum, cuius intelligentia eſt: quod prædeſtinatus, ſive iuſtus, in ſenſu compoſito gratiæ non poteſt peccare, cum non poſſit coniungere peccatum mortale cum gratia. Ita Gloſſa interlinealis, & ordinaria. Poteſt tamen abſolutè peccare, vt fides tenet; & patet in Davide, Petro, Paulo, & Magdalena. Oppoſitum namque fuit hæreſis Calvini, & Vvicleff. M.P.S. Auguſtinus, & Eminent. Caietan. illum exponunt in ſenſu cauſali: nam poſſe peccare non provenit hominibus ex gratia, nec ex charitate, cum ſit defectu liberi arbitrij, quia ex nihilo producti. Alij eum explicant de peccato finali, quia prædeſtinati non morientur in peccato mortali, ſed in gratia. Sic enim intelligitur illud Joannis 6. *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.* Et cap. 10. *Ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non recipiet eas quiſquam de manu mea.*

21 Arg. 3. Si in Deo eſſet prędeſtinatio hominum, Deus diligeret magis aliquem minùs iuſtum, imò peccatorem, quàm magis iuſtum, ſeu ipſum iuſtum; ſed Deus magis diligit iuſtum, quàm peccatorem; & magis iuſtum, pluſquàm minus iuſtum: ergo. Min. patet ex illo Pſal. 145. *Dominus diligit iuſtos.* Prob. mai. Deus magis diligeret prædeſtinatum, quàm reprobum; ſed prædeſtinatus aliquando eſſet peccator, & reprobus iuſtus: ſivè prædeſtinatus minùs iuſtus, quàm aliquis reprobus: ergo. Min. conſtat: Cum prædeſtinatus eſt in pecca-

to actuali, vt fuit Latro, poſtea converſus, & bonus; qui tunc erat peccator: Et Judas reprobus, antequam peccaret, cum fuit electus Apoſtolus erat iuſtus: qui & tunc foret iuſtior alijs iuſtis prædeſtinatis, qui non fuerunt electi Apoſtoli. Prob.mai. Deus magis diligit illum, cui magis benefacit; ſed magis benefacit prædeſtinato, etſi peccatori; & minus iuſto, quàm reprobo, & magis iuſto: ergo. Maior.patet: Nam Deus diligit benefaciendo. Min.conſtat: Siquidem tali prædeſtinato, & non reprobo, vellet beatitudinem; quæ eſt maius beneficium, quàm gratia; & eam reprobo non vult.

22 Reſp.diſt.min. Magis benefaceret abſolutè,& ſimpliciter, conc.min. Pro tempore determinato, nego min. & ita diſt. conſ. Cum beneficium prædeſtinationis perducat ad fruitionem æternam Dei, ita eſt magnum; vt abſolutè, & ſimpliciter ſit maius, quàm collatio gratiæ actualis; licèt hæc pro tempore determinato, quo vnus homo, & non alius, habet illam, ſit habenti maius beneficium. Quare Deus pro tali tempore magis diligit reprobum iuſtum, quàm prædeſtinatum peccatorem; & magis iuſtum, quàm minùs iuſtum: nam pro tunc complacet in eo, & vt amicus benefacit illi; cum in prædeſtinato exiſtente in peccato pro tunc diſpliceat, & ipſum, vt inimicum reſpiciat, cum eum videat gratia, & charitate orbatum. Veruntamen abſolutè, & ſimpliciter magis diligit talem prædeſtinatum: cum ipſum ordinet in gloriam æternam; & abſoluta Dei dilectio magis attendit bonitatem ita correſpondentem æternitati, quàm prædictam noſtro tempori. Cumquè Prædeſtinatio hominum requirat talem dilectionem: ideò eſt in Deo. Ita Divus Thomas in 3. diſt.32. q 1. artic.5.quæſtiunc.1. Vid.Tract.8. quæſt.3.art.5.num.7.

## ARTICULUS SECUNDVS;

### *QVID SIT PRÆDESTINATIO.*

1 VARIAS definitiones Prædeſtinationis, etſi parùm diverſas, aſsignant Doctores. S.P.Aug. relatus à Divo Thoma artic.2. arg.3. ſic eam definit: *Præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſsimè liberantur, quicumquè liberantur.* Quæ definitio eſt optima; & explicat prædeſtinationem per genus, & differentiam: nam primæ particulæ ſignificat rationem providentiæ in communi, quæ eſt præparatio, & ordinatio mediorum in finem; & eſt genus ad provi-

videntiam in particulari, & ſupernaturalem ordinantem media efficacia ad conſequendam gloriam: in qua conſiſtit prædeſtinatio. Unde iuxta hæc Angel. Mag. ait: *Prædeſtinatio eſt quædam ratio ordinis aliquorum in vitam æternam.* Hæc deſcriptio adducta à S. Doctore arg. 4. eſt ei ſimilis: *Preparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro.* Et quaſi præventa eſt Pſal. 83. dum dicitur: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Similiter explicat prædeſtinationem B. Alb. quæſt. 63.

2 Concluſio: Prædeſtinatio ſic optimè definitur à D. Thoma art. 1. *Ratio tranſmiſſionis creaturæ rationalis in vitam æternam.* Quæ definitio conſtat genere, & differentia: nam *ratio tranſmiſſionis, &c.* eſt genus, per quod convenit Prædeſtinatio cum alijs providentijs: ſiquidem omnis providentia Dei eſt ratio ordinis, ſeu ordinatio aliquorum in finem. *In vitam æternam*, eſt differentia, per quam Prædeſtinatio differt ab illis, cum ſola creatura rationalis, ſive intellectualis, ordinetur ſic ad conſequendam vitam æternam, & gloriam.

3 Explicantur ſingulæ particulæ. *Ratio* ſignificat duo. Primò ſignificat formam excogitatam à Deo, exiſtentem in mente Dei; quæ eſt exemplar talis tranſmiſſionis. In quo ſenſu ait Ang. Præceptor: *Ratio autem alicuius fiendi in mente actoris exiſtens eſt quædam præexiſtentia rei fiendæ in eo.* Secundò ſignificat actum, & decretum Dei, quo ordinat creaturam rationalem in vitam eternam. Quare dicit: *Cuius quidem tranſmiſſionis ratio in Deo præexiſtit, ſicut & in eo eſt ratio ordinis omnium in finem.* Dicitur *tranſmiſſionis*: quia prædeſtinatio eſt deſtinatio; & S. Doctor aſſerit: *Deſtinare eſt mittere.* Additur *creaturæ rationalis*: quia hæc ſola eſt capax vitæ æternæ. *In vitam æternam*, ſignificat finem prædeſtinationis: nam cum ſit providentia perfectior, finis, ad quem ordinatur, eſt potior, nempè beatitudo.

4 Ex his conſtat: Quod *ratio tranſmiſſionis* denotat cauſam efficientem prædeſtinationis, quæ eſt Deus decernens, & ordinans. *Creaturæ rationalis* ſubiectum: nam ſola illa, nempè, Angelus, & homo, eſt capax illius. *In vitam æternam* ſignificat finem, ad quem ordinatur. Etſi mavis, cauſam *efficientem* conſidera Deum decernentem, & ordinantem. *Formalem*, decretum Dei *Materialem*, creaturam rationalem ordinatam. *Finalem*, beatitudinem ſupernaturalem, ad quam ordinatur. Ex quibus DD. deducunt hanc communem deſcriptionem prædeſtinationis: *Providentia divina, per quam creatura rationalis efficaciter*

*dirigitur ad ſupernaturalem beatitudinem.*

5 Ex quo infertur: quod Prædeſtinatio activè ſumpta eſt in Deo. Ita D. Thomas art. 2. Hoc fundatur cum S. Auguſtino aſſerẽte: quod Prædeſtinatio eſt præſcientia beneficiorum Dei; ſed præſcientia non eſt ita in præſcitis, ſed in præſciente: ergo prædeſtinatio non eſt ita in prædeſtinatis, ſed in prædeſtinante, qui eſt Deus. Deinde præbet rationem: Providentia non eſt in rebus proviſis, ſed in proviſore; ſed Prædeſtinatio eſt providentia, ſive quædam pars providentiæ: ergo eſt in Deo proviſore, & prædeſtinante. Nunc Aug. Mag. ait: *Executio autem: eſt paſsivè quidem in prædeſtinatis, activè autem eſt in Deo.* Cuius rationem prævenit: *nam executio providentiæ, quæ gubernatio dicitur, paſsivè quidem eſt in gubernatis, activè autem eſt in gubernante.*

6 Arg. 1. Prædeſtinatio non eſt ratio: ergo ineptè per rationem definitur. Prob. ant. ſi Prædeſtinatio eſſet ratio, ab æterno exiſteret in mente Dei; ſed non exiſtit ab æterno in mente Dei: ergo. Prob. min. Si Prædeſtinatio ab æterno exiſteret in mente Dei foret hominibus occaſio negligentiæ, & deſperationis; ſed nequit exiſtere ab æterno in mente Dei aliquid, quod ſit talis occaſio: ergo. Prob. mai. Poſſet homo ita diſcurrere: Si ab æterno eſt in mente Dei ratio meæ Prædeſtinationis, quomodocumque nunc operer, tandem ſalvabor: Si non ſit minimè, ſed damnabor; ſed primum eſt occaſio negligentiæ, & ſecundum deſperationis; vt patet ergo. Hoc argumentum refert Divus Auguſtinus lib. 2. de dono perſeverantiæ cap. 14. & cap. 15. ait Quemdam rectum tali diſcurſu ceſſaſſe à ſancta operatione, & fuiſſe deſperatum.

7 Reſp. diſt. mai. Salvabor, ſi faciam determinata per Prædeſtinationem, conc. mai. ſi non faciam, nego mai. & diſt. min. In aliter diſcurrente, conc. min. Prædicto modo, nego min. & conſ. Prædeſtinatio enim non ſolùm eſt ratio, & prædeterminatio ſalutis æternæ, ſed etiam mediorum, quibus efficaciter ad illam pervenitur; quæ ſi non apponat, nemo illam conſequetur. Vnde quilibet homo tenetur operari quaſi prædeſtinatus, cum neſciat an ſit reprobatus: & debet procurare ſalutem ſpiritualem per media Prędeſtinationis, quæ ſunt declinare à malo, & facere bonum. Cum igitur his opponatur negligentia, & deſperatio: ideò non poteſt prudenter ita diſcurrere, nec procedere: nec ei adeſt occaſio ſic diſcurrendi, ſed ſolicitè operandi rectè. Caſus autem adductus, & ſimilis, fuit ex imprudenti inconſi-

de-

deratione, & diabolico diſcurſu.

8 Nec obiectio eſt pro Prædeſtinatione ſpeciali, ſed pro omni providentia communis. Nam poſſet etiam diſcurrere: Deus omnia ſcit, cum nil ignoret. Vel ergo ſcit, me ſalvandum, vel damnandum? Si primum ſciat; quomodocumque operer, ſalvabor. Si ſecundum; non, ſed damnabor: Cum ſcientia Dei ſit infallibilis. Ex quo imprudenter procederet, ſi in negligentiam, aut deſperationem veniret. Similiter agricola poſſet diſcurrere. Vel Deus determinavit, aut ſcit, me in hac hæreditate meſſem collecturum, vel non? Si determinavit, aut ſcit; quomodolibet procedam, colligam. Si non, minimè. Et Scholaſticus: Aut Deus determinavit, & ſcit, me fore doctum, aut non? Si primum; quomodocumque ero doctus. Si ſecundum, non. Uterquè enim imprudenter procederet, ſi negligeret, aut deſperaret: nam cum debeant ſcire, quod Deus præbet finem per media; meſſem per laborem; & doctrinam per ſtudium: qui vellit meſſem colligere, debet terram colere, ſeminare, & laborare; & qui deſideret doctrinam, ſtudere, & literis incumbere: quia hæc ſunt media ad tales fines. Cum ergo rectè operari ſit medium ad conſecutionem ſalutis æternæ; homo ita imprudenter diſcurreret, & procederet: Etſi velit ſalvari, vt debet, tenetur rectè operari, & media prædeſtinationis apponere, quibus ſalutem æternam conſequatur.

9 Cont. In hoc ipſo videtur eſſe occaſio negligentiæ, & deſperationis: ergo. Prob. antec. Ita diſcurrens, advertit: Si ſum ſic prædeſtinatus, tandem operabor rectè, ſaltim in fine vitæ: Si præſcitus, operabor pravè; ſed hæc videtur occaſio negligentiæ, & deſperationis, licèt non prudens, nec excuſans à culpa: ergo. Reſp. diſt. min. Prudentibus, & rectè intelligentibus, nego min. Alijs, ſubdiſtinguo: Ex parte ſui, conc. min. Ex parte prædeſtinationis, nego min. & ita diſt. conſ. Qui prudenter, & recta ratione prædeſtinationem conſideret, non inveniet in ea occaſionem negligendi, nec deſperandi; ſed motivum citò operandi rectè, ſolicitè, & accuratè pro conſequenda ſalute æterna. Cum enim neſciat, nec debeat inquirere, an ſit prædeſtinatus, aut præſcitus; tenetur procedere, & operari, vt eſt ei à Domino præceptum. In Pſal. 33. verſ. 15. omnibus eſt dictum: *Diverte à malo, & fac bonum.* Ad hec ſunt adhibita præcepta Decalogi, Matth. 10. *Qui autem perſeveraverit vſque in finem, hic ſalvus erit.* Et 2. Pet. 1. *Satagite vt per bona opera*

*certam veſtram vocationem, & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Qui enim prædeſtinat, & reprobat, iubet ita operari: quare ſic operandum eſt, & non negligendum, nec deſperandum. Præcipuè cum quilibet admoneatur ad Philip. 2. *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.* S. Thomas lect. 3. *Salubriter.* Et 1. Tim. 2. v. 4. *Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* D. Thomas lect. 1. *Hoc enim debet eſſe in Sanctis, quia neſciunt qui ſint prædeſtinati, & qui non: Omnibus propoſuit ſalutis præcepta, conſilia, & remedia.*

10 Propterea ergo, & quia homo ſcit: quod quilibet ſalvus fit ſuis meritis, auxilio divino elicitis: & quod damnatur ſuis demeritis, propria voluntate cauſatis; debet ſatagere, vt ſemper operetur rectè, & nunquam pravè. Et in caſu præſenti quietare diſcurſum, acquieſcere Deo, & monitis Dei; cui debet ſervire, ideoque rectè operari, quia Deus, & Dominus eius eſt, quin attendat alium finem, niſi hunc: Et quod in omnibus voluntas Dei impleatur, qui ita pius exiſtit, vt Apoſtolorum Princeps 1. Petr. 3. dicat de illo: *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.*

11 His quoque ſatisfit obiectioni: quod ſi ratio Prædeſtinationis ita præexiſtit in Deo; ad quid prædicatio, admonitio, & oratio, ſi ſuo tempore eveniet quod eſt in tali ratione? Hæc propoſita fuit loco cit. D. Auguſt. Reſp. igitur: Quod vt eveniat modo, quo in ea eſt, & Deus vult, quod eſt huiuſmodi. Quare Apoſt. 1. Timoth. 2. v. 1. ait: *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, &c. Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo.* Nunc D. Thomas *Ponitur ratio orationis. Ex parte Dei quia eſt acceptum Deo.*

12 Arg. 2. Prædeſtinatio non eſt transmiſsio: ergo non debet dici ratio transmiſsionis. Prob. ant. Prædeſtinatio ab æterno eſt in Deo; ſed transmiſsio creaturæ rationalis in gloriam non eſt ab æterno: ergo. Minor patet. Siquidem eſt in tempore, & poſt mortem ipſius creaturæ. Reſp. diſt. mai. Prædeſtinatio intentivè, & ordinativè ſumpta conc. mai. Executivè, & quoad effectum accepta, nego mai. & diſt. min. Transmiſsio executivè & quoad effectum, conc. min. Intentivè, & ordinativè, nego min. & conſ. Prædeſtinatio, & transmiſsio executivè, & quoad effe

ſium dicit executionem, & exercitium ſui. Intentivè, & ordinativè intentionem, & ordinationem Dei, vt homo ſalvetur. Et licèt executivè, & quoad effectum vtraque ſit in tempore, in quo anima ſeparata à corpore, & purificata à maculis, ingreditur gloriam; intentivè, & ordinativè eſt ab æterno in Deo, in quo eſt deſtinatio ſalvandi homines, quę ſuo modo eſt miſsio: nam deſtinare eſt mittere. Cumque definitio intelligatur in hoc ſenſu: ideò prædeſtinatio rectè dicitur *ratio tranſmiſsionis.*

13 Cont. Prędicta deſtinatio non eſt miſsio: ergo nec tranſmiſsio. Prob. ant. Deſtinatio mittendi non eſt miſsio; ſed prędicta eſt deſtinatio mittendi: ergo. Reſp. diſt. mai. Miſsio ordinata, nego mai. Executa, conc. mai. & min & nego conſeq. Cum igitur prædeſtinatio definita ſit miſsio ordinata, & non executa: ideò ita eſt tranſmiſsio. Sicut cum Rex deſtinat aliquem mittendum ad alium Principem, etſi non exierit è Curia Regia, eius miſsio dicitur ordinata, licèt non executa. In hoc ſenſu intelligitur de prædeſtinatis illud Apoc. 7. *Vidi numerum ſignatorum.* Et Epheſ. 1. *In quo & ſignati eſtis Spiritu promiſsionis Sancto, qui eſt pignus hereditatis noſtræ.* S. Thomas lect. 5. *Diviſi à grege diaboli.*

14 Cont. Prædeſtinatio non eſt miſsio ordinata: ergo. Prob. antec. Miſsio ordinata eſt eius, quod eſt; & non eius, quod non eſt; ſed prædeſtinatio eſt eius, quod non eſt; & non eius, quod eſt: ergo. Mai. conſtat: Rex enim ſolùm ordinat miſsionem exiſtentis: & Pontifex legationem eius, qui exiſtit. Min. docetur ab Origine ſup. Rom. 1. *Qui prædeſtinatus eſt, &c.* Et ratio eſt: nam Prædeſtinatio eſt ab æterno; & prædeſtinatus non, ſed in tempore.

15 Reſp. diſt. mai. Vt mente concepta, nego mai. Vt executioni mandata, conc. mai. & diſt. min. Vt mente concepta, conc. min. Vt executioni mandata, nego min. & conſeq. Diſtinctio, & ſolutio eſt D. Thomæ art. 2. ad 2. aſſerentis: *Deſtinatio aliquando ſumitur pro reali miſsione alicuius ad aliquem terminum: & ſic deſtinatio non eſt, niſi eius, quod eſt. Alio modo ſumitur deſtinatio promiſsione, quam aliquis mente concipit, ſecundum quod dicimur deſtinare quod mente firmiter proponimus. Et hoc ſecundo modo dicitur 2. Machab. 6. quod Eleazarus deſtinavit non admittere illicita propter vitæ amorem. Et ſic deſtinatio poteſt eſſe eius quod non eſt.* Hæc Divus Thomas. Cum igitur prædeſtinatio, vt miſsio ordinata, cum definitur, ſumatur vt mente concepta: ideò ſic

eſt eius, quod non eſt: & cum executioni mandatur, eſt eius, quod eſt.

16 Arg.3. In Deo datur etiã prædeſtinatio creaturæ irrationalis: ergo non benè dicitur ratio tranſmiſsionis *creaturæ rationalis*. Prob. ant. Deſtinatio antecedens creaturæ ad aliquem finem, eſt prædeſtinatio illius; ſed in Deo datur deſtinatio antecedens creaturæ irrationalis ad ſuum finem: ergo. Mai. patet ex ant. ant. Minor. conſtat: Nam Deus ab æterno deſtinavit ſingulas creaturas, etiam irrationales, atque earum fines.

17 Reſp. diſt. mai. Finem excedentem, conc. mai. Non excedentem, nego mai. & diſt. minor. Non excedentem, conc. min. Excedentem, nego min. & conſeq. Solutio conſtat art. ant. num. 16. Et in D. Thoma art. 1. ita affante: *Ad providentiam autem pertinet res in finem ordinare*. Finis autem, ad quem res creatæ ordinantur à Deo, eſt duplex. Vnus, qui excedit proportionem naturæ creatæ, & facultatem; & hic finis eſt vita æterna, quæ in divina viſione conſiſtit; quæ eſt ſupra naturam cuiuslibet creaturæ. Alius autem finis eſt naturæ creatæ proportionatus: quem ſcilicet res creata poteſt attingere ſecundùm virtutem ſuæ naturæ. Ad illud autem, ad quod non poteſt aliquid virtute ſuæ naturæ pervenire, oportet quod ab alio tranſmittatur, *ſicut ſagitta à ſagittante mittitur in ſignum*. Hæc Divus Thomas. Cumque creatura rationalis non poſſit ſua virtute pervenire ad finem ſe excedentem; & quælibet alia creatura poſsit ita pervenire ad ſuum finem non excedentem: ideò ſola prædicta deſtinatio creaturæ rationalis in vitam æternam, quæ eſt capax illius, dicitur prædeſtinatio.

18 Cont. Datur deſtinatio creaturæ irrationalis ad finem excedentem: ergo. Prob. ant. Miraculum eſt finis excedens creaturam irrationalem; ſed datur deſtinatio alicuius creaturæ irrationalis ad aliquod miraculum: ergo. Min. patet in Reliquijs Sanctorum, quibus Deus facit plurima miracula: & in varijs inſtrumentis inanimatis, quibus repetit mira. Reſp. diſt. mai. Finis vltimus. & poſsidendus, nego mai. Non vltimus, nec poſsidendus, conc. mai. & min & ita diſt. cons. Prædeſtinatio enim eſt deſtinatio ſubiecti, vel perſonæ ad finem excedentem, & vltimum, vt poſsidendum. Cumque talis deſtinatio creaturæ non rationalis non ſit ad talem finem, vt poſsidendum, ſed ad finem ſpecialem exequendum; vt evenit in deſtinatione illius pro miraculis patrandis: ideò illa non eſt prædeſtinatio

ad ſola deſtinatio creaturę rationalis ad finem prædictum.

19 Cont. Datur prædeſtinatio alicuius, quin ita conſequatur, nec poſsideat Deum: ergo nec prædictum finem. Prob.ant. S.Auguſtinus, & Divus Thomas appellant opera noſtra prædeſtinata, & ipſam gloriam prædeſtinatam; ſed hæc ita non conſequuntur, nec poſsident Deum: ergo. Reſp. admitto, & explico dictum SS. Doctorum cum Divo Thoma in 1.diſt.40. quæſt.2.art. 1. aſſerente: *Prædeſtinatio dicitur eſſe aliquorum dupliciter*: vel ſicut finis, & conferentium ad finem: & ſic dicitur gratiæ, & gloriæ. Vel eorum, qui finem conſequuntur; & ſic eſt omnium, qui gloriam per Dei gratiam adipiſcuntur. Utrumque autem ex nomine Prædeſtinationis accipi poteſt, in quo coniungitur actus deſtinationis cum hac præpoſitione *Præ* per compoſitionem advenientem. Deſtinare autem *ſignificat directionem alicuius in aliquid*. Cumque Prædeſtinatio rigoroſè ſumatur pro deſtinatione alicuius ad finem prædictum conſequendum, & poſsidendum, ad quem ſola creatura rationalis poteſt deſtinari: ideò non datur prædeſtinatio rigoroſa alterius.

20 Cont. Prædeſtinatio eorum, qui finem conſequuntur, non eſt deſtinatio creaturæ rationalis: ergo. Prob.ant. Prædeſtinatio Angelorum eſt eorum, qui finem conſequuntur; ſed non eſt deſtinatio creaturæ rationalis: ergo. Min.patet: Nam Angelus non eſt creatura rationalis, ſed intellectualis: cum non ſit diſcurſivus, nec ratiocinativus, ſicut homo: vt docet Divus Thomas quæſt.58.art.3. Reſp.diſt.minor. Nec intellectualis, nego min. Sed intellectualis, conc. min. & ita diſt.conſ. Sufficiebat enim dicere: quod Angel. Doctor in præſenti ſolum definit prædeſtinationem hominum, de qua eſt Tractatus; qui iam ſunt creaturæ rationales. De gratia autem, gloria, & prædeſtinatione Angelorum agit q. 62. licèt etiam hic art.1.ad 3. aliquid inſinuet. Cui facilè poteſt adaptari talis definitio, exponendo particulam *creaturæ rationalis*, non rigoroſè, ſed latè, de creatura intellectuali, & cognoſcitiva, & capaci videndi Deum; quales ſunt Angeli.

21 Arg 4. Prædeſtinatio non eſt tranſmiſsio in gloriam: ergo nec in vitam æternam. Prob.ant. Tranſmiſsio in pœnam æternam eſt prædeſtinatio: ergo. Prob.ant. ex Concilio Valentino cap 3.aſſerente: *Fidenter fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem*: ergo. Reſp. admitto, & explico Sac.Concilium: quod loquitur de

prædeſtinatione cum addito, nempè, in mortem: quo deſtinatio prædicta dicitur prædeſtinatio ad mortem æternam. Non verò de prædeſtinatione abſolutè, & ſimpliciter ſumpta, quæ ſtat pro bona parte, & eſt tranſmiſsio ad gloriam, vt hic definitur. Ita PP. Salm. vel dicimus cum Mag. Ferre, & Gonet: quod non loquitur in acceptione propria prædeſtinationis, quæ eſt tranſmiſsio creaturæ rationalis in finem vltimum, qui eſt gloria, vita æterna, & viſio Dei; ſed in lata, & ſumpta pro qualibet deſtinatione, qualis eſt prædicta: Siquidem æterna damnatio non eſt finis, nec conſecutio finis, ſed defectus conſecutionis finis vltimi creaturæ rationalis.

22 Cont. Deſtinatio creaturæ rationalis ad gloriam æternam eſt abſolutè, & propriè prædeſtinatio: ergo etiam deſtinatio ad pœnam æternam. Prob. conſeq. In vtraque datur conſecutio finis divinæ providentiæ; ſed: ergo. Reſp. diſt. mai. Finis vniverſalis, & præcipui creaturæ rationalis, nego maior. Univerſalis ſolùm, conc. mai. & min. & nego conſeq. Deus vtique in damnatione, & ſalvatione hominum manifeſtat ſua attributa, quorum manifeſtatio eſt finis vniverſalis divinæ providentiæ; & in ea, ſicut in iſta datur conſecutio finis ſpecialis præſciti, & electi, ſive reprobationis, & prædeſtinationis: Cum finis illius ſit pœna æterna, & finis iſtius gloria. Veruntamen in ſola ſalvatione eſt conſecutio finis præcipui totius creaturæ rationalis, qui eſt vita æterna, eiuſque ſalvatio: nam Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & neminem perire: etſi aliquis perit, eſt ob culpam ſui. Cumque ſola deſtinatio ad hunc finem ſit abſolutè, & propriè prædeſtinatio: ideò deſtinatio ad gloriam æternam, & non ad pœnam, eſt abſolutè, & propriè prædeſtinatio.

23 Cont. Sufficit conſecutio dicti finis, vt deſtinatio ad pœnam æternam ſit abſolutè, & propriè prædeſtinatio: ergo. Probat. ant. Sufficit, vt deſtinati ad pœnam æternam, dicantur abſolutè, & propriè prædeſtinati: ergo. Prob. ant. Sufficit, vt dicantur abſolutè, & propriè præſciti: ergo. Prob. conſ. ex illo Roman. 8. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit*; ſed: ergo. Reſp. admitto, & explico Sac. Textum cum D. Thoma lect. 6. aſſerente: *Deus habet præſcientiam, etiam de peccatis, ſed prædeſtinatio eſt de bonis ſalutaribus: Dicit autem: quos prædeſtinavit; non quia omnes præſcitos prædeſtinet: ſed quia eos prædeſtinare non poterat, niſi præſciret.*

24 Arg. 5. Si prædeſtinatio eſſet tranſmiſsio creaturæ rationa-

na-

nalis in vitam æternam, Deus prius voluiſſet beatitudinem ſupernaturalem, ſive vitam æternam creaturæ rationalis, quàm ipſam creaturam rationalem; ſed non prius voluit illam: ergo. Min. patet: Nam eſt accidens creaturę rationalis, quæ eſt ſubiectum illius; & prius eſt velle ſubiectum, quàm accidens. Prob. mai. Finis vltimus, propter quem aliqua res eſt volita, & prius volitus; ſed beatitudo ſupernaturalis eſſet finis vltimus creaturæ rationalis, propter quem hæc foret volita à Deo: ergo.

25 Reſp. diſt. maior. Prius in alio genere, nego mai. In genere cauſæ finalis, conc. mai. & minor. & ſimiliter diſt. conſ. Licèt foret inconveniens, quod beatitudo ſupernaturalis eſſet prior tempore, ſeu prius tempore volita, quàm creatura rationalis, quæ eſt ſubiectum illius. Cohæret optime, quod in ſuo genere cauſæ finalis ſit prior, & prius volita à Deo, quàm creatura rationalis; & hæc ſit prius volita in genere cauſæ materialis, & ſubiecti: nam hæc mutua præcedentia, & prioritas eſt inter quatuor genera cauſarum, cum ſimultate temporis omnium; etſi finalis dicatur ſimpliciter prior omnibus: quia ex illa incipit motus, & effectus. Cumque ſic, & non aliter, Deus velit prius beatitudinem ſupernaturalem, & vitam æternam creaturæ rationalis, cum eam prædeſtinat: ideò prædeſtinatio eſt tranſmiſsio illius in vitam æternam.

26 Cont. Deus nec in genere cauſę finalis poteſt prius velle beatitudinem ſupernaturalem, quàm creaturam rationalem, ſi hanc prædeſtinans, tranſmittit in vitam æternam: ergo. Prob. antec. Deus non poteſt velle prius in genere cauſæ finalis quod vult propter aliud; ſed ſi prædeſtinans creaturam rationalem, eam tranſmittit in vitam æternam, vult beatitudinem ſupernaturalē propter creaturam rationalem: ergo. Min. patet: Cum velit illam creaturæ rationali.

27 Reſp. diſt. mai. In genere eiuſdem cauſæ finalis, conc. mai. diverſæ, nego mai. & diſt. minor. Ut finem *cui*, conc. minor. *Cuius gratia*, nego min. & ita diſt. conſ. Mutua cauſalitas, & prioritas inter finem *cuius gratia*, & finem *cui* adſtruitur 2. Phyſ. reſpectivè in genere vtriuſque. Cumque beatitudo ſupernaturalis in prædeſtinatione ſit propter creaturam rationalem, vt finem *cui*: nam huic eſt volita, & concupita. Et creatura rationalis ſit propter beatitudinem ſupernaturalem, vt finem *cuius gratia*: nam eſt prædeſtinata, & creata propter illam, ſive propter Deum conſequendum:

ideò ita reſpectivè quælibet eſt prius volita. Enim verò abſolutè, & ſimpliciter prius eſt volita beatitudo: eo quod finis *cuius gratia* eſt ita prior fine *cui*: quia iſte vltimatè ordinatur ad illum: Cum finis *cuius gratia* ſit concupitus fini *cui*, vt iſte conſequatur, & poſſideat illum. Sicut beatitudo ſupernaturalis eſt concupita creaturæ rationali, vt hæc conſequatur, & poſsideat illam.

28 Cont. Nec cum tali mutua prioritate poteſt Deus aliquomodo prius velle beatitudinem ſupernaturalem, quàm creaturam rationalem: ergo. Prob.ant. Nullo modo poteſt prius velle accidens, quàm ſubiectum accidentis; ſed beatitudo ſupernaturalis eſt accidens creaturæ rationalis prædeſtinatæ: ergo. Mai.patet: Siquidem ex parte volitionis divinæ non eſt prioritas; & ex parte obiecti voliti eſt illa, quàm obiecta habent inter ſe: & accidens non eſt prius ſubiecto, ſed ſubiectum eſt prius accidente.

29 Reſp.diſt.mai. Quàm accidens perfectiſsimum, & quod eſt finis ſubiecti, nego mai. Quàm accidens aliud, conc.mai.& diſt. min. Perfectiſsimum, & finis creaturæ rationalis, conc minor. Aliud, nego min. & conſ. Cum enim accidens eſt ſupernaturale, perfectiſsimum, & finis ſubiecti, in genere aſsignato cauſæ finalis eſt prius ſubiecto: Sicque diligitur prius, etiam à Deo. Cumque beatitudo ſupernaturalis ſit huiuſmodi accidens reſpectu creaturæ rationalis, creatæ propter illam: ideò Deus ſic prius diligit beatitudinem ſupernaturalem; & adeſt prædicto modo mutua prioritas. Hæc doctrina conſtat in D. Thoma 3 part.quæſt.1. art. 3. vbi docet: Incarnationem Chriſti Domini fore prius ſimpliciter volitam à Deo, quàm redemptio noſtra, pro qua erat: quia illa eſt finis *cuius gratia*, hæc finis *cui*. Et licèt redempti ſint quaſi ſubiectum beneficij Incarnationis; hoc eſt bonum perfectiſsimum excedens, propter quod cœtera ſunt.

30 Arg.6. Prædeſtinatio eſt in prædeſtinato: ergo non eſt in Deo prædeſtinante. Prob. antec. Prædeſtinatio eſt in paſſo; ſed prædeſtinatus eſt paſſum reſpectu prædeſtinationis: ergo.Prob.mai. Actio inferens paſsionem, eſt in paſſo; ſed prædeſtinatio eſt actio inferens paſſionem: ergo. Maior, patet 3.Phyſ. Cum talis actio recipiatur in paſſo. Prob.min. Omnis actio infert paſsionem; ſed prædeſtinatio eſt actio: ergo. Reſp.diſt.maior. Actio tranſiens, conc.mai. Immanens, nego mai. & diſt.min. Immanens,conc.min. Tranſiens, nego min.& conſ. Licèt actio formaliter tranſiens,

quia tranſit in paſſum, & recipitur in eo, inferat ex ſe paſsionem, & ſit in paſſo; non verò actio formaliter immanens, quæ eſt in agente, & non in paſſo: vt docent Thomiſtæ 3. Phyſ. Cumque prędeſtinatio ſit actio formaliter immanens: ideò non infert paſsionem, nec recipitur in paſſo, nec eſt in prædeſtinato, ſed in Deo prædeſtinante. Ita D. Thomas art. 2. ad 1.

31 Cont. Prædeſtinatio eſt actio tranſiens ad prædeſtinatum: ergo. Prob. ant. Prædeſtinatio eſt aliquid in prædeſtinato: ergo. Conſ. patet: Nam ſi non tranſit ad illum, non poteſt eſſe aliquid in eo. Prob. ant. Præparatio eſt aliquid in præparato; ſed prædeſtinatio eſt præparatio beneficiorum Dei: ergo. Reſp. diſt. maior. Præparatio patientis, conc. mai. Agentis, nego mai. & diſt. min. Præparatio agentis, conc. minor. Patientis, nego min. & conſ. Solutio conſtat ex Ang. Mag. ad 3. ita affante: *Duplex eſt præparatio. Quædam patientis, vt patiatur*; & hæc præparatio eſt in præparato. Quædam alia eſt agentis vt agat. Et hæc eſt in agente. Et talis præparatio eſt prædeſtinatio, prout aliquod agens per intellectum dicitur ſe præparare ad agendum, in quantum pręconcipit rationem operis faciendi. Et ſic Deus ab æterno præparavit prædeſtinando, *concipiens rationem ordinis aliquorum in ſalutem*.

32 Cont. Prædeſtinatio non eſt præparatio Dei agentis: ergo eſt prædeſtinati patientis. Prob. ant. Præparatio Dei agentis eſt quid æternum; ſed prædeſtinatio non eſt quid ęternum: ergo. Prob. min. Illud, in cuius definitione ponitur quid temporale, non eſt quid æternum; ſed in definitione prædeſtinationis ponitur quid temporale: ergo. Mai. patet: Nam æternum non definitur per temporale. Min. conſtat: Cum gratia, quæ eſt temporalis, ponatur in illa: nam definitur: præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro.

33 Reſp. diſt. mai. Ponitur in recto, conc. mai. De connotato, nego mai. & diſt. min. De connotato, conc. min. In recto, nego min. & conſ. Definitivum in recto eſt prædicatum eſſentiale definiti, per quod definitur. Definitivum de connotato non eſt eſſentiale, ſed terminus, aut obiectum, in ordine ad quod definitur. Æternum enim nequit definiri in recto per temporale: cum hoc non ſit prædicatum eſſentiale æterni; benè verò de connotato, & in ordine ad illud: Cum poſsit eſſe terminus, effectus, aut obiectum illius. Cumque ſic ſe habeat gratia reſpectu prædeſtinationis, in ordine ad quam, ſive per quam

de

de connotato definitur: ideò eſt quid æternum, & præparatio Dei agentis. Ita Ang. Doct. ad 4. inquiens: *Gratia non ponitur in definitione prædeſtinationis quaſi aliquid exiſtens de eſſentia eius: ſed in quantum prædeſtinatio importat reſpectum ad gratiam, vt cauſæ ad effectum, & actus ad obiectum. Vnde non ſequitur quod prædeſtinatio ſit aliquid temporale.*

## ARTICULUS TERTIUS.

### *VTRVM PRÆDESTINATIO conſiſtat formaliter, & in recto in actibus intellectus, & voluntatis.*

1 PRÆMITTO 1. Quod prædeſtinatio eſſentialiter ſumpta conſiſtit formaliter in aliquo actu Dei. Conſtat ex dictis: Cum ſit ratio exiſtens in Deo, atque tranſmiſsio creaturæ rationalis ad gloriam. Certum autem eſt apud omnes: quod Deus ad extrà omnia facit intellectu, & voluntate, ac potentia executiva: nam prudens, vniverſalis, & ſpecialis proviſor, qualis eſt Deus reſpectu creaturarum, cognoſcit, vult, & exequitur ita opus proviſum. Sicut homo dives cognoſcit intellectu, & vult voluntate ſubventionem pauperis; & manu, quaſi potentia executiva, elargitur elemoſynam. Quare Deus procedit ita in prædeſtinatione, quæ eſt ſpecialis providentia. Cognoſcit enim gloriam, vult illam conferre, & eam confert aliquibus.

2 Unde inconcuſſum eſt, Actus intellectus, & voluntatis concurrere ad prædeſtinationem. Satis patet in Divo Thoma in præſenti, & quæſt. 14. art. 8. vbi docet: Scientiam Dei eſſe cauſam rerum. Et quæſt. 19. art. 4. vbi tenet: Etiam voluntatem eſſe cauſam earum. Idem edocet B. Alb. Ratio eſt: quia Deus providè, liberè, & cum conſilio prædeſtinat creaturas; ſed hoc requirit actus intellectus, & voluntatis: ergo. Mai. eſt certa: Cum prædeſtinatio Deo proviſori ſit libera, & non neceſſaria. Min. eſt manifeſta: Siquidem providentia requirit actum vtriuſque: & quia libertas eſt voluntatis, ſicut conſilium intellectus. Præterea: nam prædeſtinatio eſt ordinatio efficax creaturę rationalis in vitam ęternam; ſed ordinatio eſt propria intellectus, & efficacia voluntatis: ergo.

3 Præmitto 2. Quod ſunt plures actus vtriuſque potentiæ, qui concurrunt ad prædeſtinationem; non realiter diſtincti, ſed virtualiter diverſi: quomodo ſolùm ſunt in Deo, in quo omnia prædicata abſoluta ſunt realiter idem; vt dictum eſt Tract. 2. q. 3.

Nam

Nam ſicut agens creatum liberum pluribus actibus, realiter diverſis, perficit opus liberum; ita divinum virtualiter diſtinctis. De illis agit Divus Thomas 1.2. Quos Emin. Caiet. quæſt. 16. art. 4. numero duodenario comprehendit, & explicat. Eos infra expendemus. Nunc eſt difficultas: An prædeſtinatio eſſentialiter, formaliter, & in recto accepta conſiſtat in actibus vtriuſque potentiæ. Jeſuitæ communiter affirmant; vt videri eſt in PP. Munieſſa, & Ramirez.

4 Concluſio: Prædeſtinatio eſſentialiter accepta, non conſiſtit formaliter, nec in recto in actibus intellectus, & voluntatis. Ita Thomiſtæ cum Angel. Doct. Prob. 1. ex ipſo queſt. 22. art. 1. ad 3. ita affante: *Providentia eſt in intellectu, ſed præſupponit voluntatem finis.* Et quæſt. 23. art. 1. ait: *Prædeſtinatio quantum ad obiecta eſt quædam pars providentiæ.* Ex quo formatur diſcurſus: Prædeſtinatio, cum ſit quedam pars providentie, conſiſtit in eo, in quo conſiſtit providentia; ſed providentia eſſentialiter accepta, formaliter, & in recto non conſiſtit in actibus intellectus, & voluntatis: ergo nec prędeſtinatio. Prob. min. Providentia eſſentialiter accepta conſiſtit formaliter, & in recto in actu potentiæ, in qua eſt; ſed iuxta D. Thomam, eſt in intellectu, & non in voluntate: cum voluntatem præſupponat: ergo.

5 Formalizatur: Quodlibet conſiſtit formaliter, & in recto in eo, quo eſt, aut in quo eſt: & non in eo, quod præſupponit; ſed prædeſtinatio, ſicut providentia, eſt intellectu, & actu intellectus, ſive in intellectu; & præſupponit voluntatem, & actum voluntatis: ergo non conſiſtit formaliter, nec in recto in vtreque, ſive in actibus vtriuſque potentiæ, nempè, intellectus, & voluntatis. Mai. eſt certa: Nam præſuppoſitum non eſt rectum conſtitutivi alicuius, ſed oblicum eius, & antecedens ad conſtitutivum formale illius.

6 Prob. 2. concluſ. ratione Divi Thomæ: Prædeſtinatio formaliter, & in recto conſiſtit in actu imperij; ſed actus imperij non eſt intellectus, & voluntatis, ſed ſolius intellectus, & præſupponens actum voluntatis: ergo. Mai. ſtatim conſtabit. Minor. eſt expreſſa Divi Thomæ 1.2 quæſt. 17. art. 1. aſſerentis: *Imperare eſt actus rationis, præſuppoſito autem actu voluntatis.* Et poſtea: *Imperare autem eſt quidem actus rationis: præſuppoſito actu voluntatis, in cuius virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus.*

7 Prob. 3. concluſ. Nulla res ſimpliciter talis conſiſtit formaliter, nec in recto in pertinentibus

ad diverſas lineas; ſed prædeſtinatio eſt vna, & eadem res ſimpliciter talis; & actus intellectus, & voluntatis pertinent ad diverſas lineas: ergo. Mai. eſt certa: Aliàs foret ens per accidens. Min. eſt manifeſta: Siquidem prædeſtinatio non eſt ens per accidens: & intellectus, ac voluntas, in ſenſu propoſito, ſunt lineæ diverſæ. Reſpondebis: Eſſe verum de re incomplexa, & ſimplici. Non de complexa, & per modum aggregati; qualis eſt prædeſtinatio, coaleſcens ex ordinatione intellectus, & efficacia voluntatis: Sicque formaliter, & in recto conſiſtit in actibus vtriuſque. Cont. Prædeſtinatio eſt vnum ens per ſe: ergo non per aggregationem. Conſ. patet: Cum hoc ſit ens per accidens. Prob. ant. Quod definitur vnica definitione, & terminat ſcientiam, eſt vnum ens per ſe; ſed prædeſtinatio definitur vnica definitione, & terminat ſcientiam: ergo. Mai. eſt regula definitionis, & definiti; & conditio obiecti ſcibilis: cum ens per accidens definiatur pluribus definitionibus, & non pertineat ad vnicam ſcientiam: eo quod conſtet pluribus eſſentijs. Min. conſtat art. ant.

8 Reſpondebis: Prædeſtinationem fore vnum ens per ſe perſeitate ordinis: cum ſit complexum, quodam ordine conſtans ex ordinationę, & efficacia. Qu ſufficit, vt definiatur vnica de nitione, & terminet ſcientia atque vt formaliter, & in rec conſiſtat in actibus intellectus, voluntatis. Cont. Complexu quod eſt vnum per ſe perſeita ordinis, coaleſcit formaliter, in recto ex incomplexis, & compoſitum ex illis; ſed prædeſ natio non coaleſcit formalite nec in recto ex actibus intellect & voluntatis, in quibus eſt ord natio, & efficacia; nec eſt com poſita ex illis: ergo non eſt e complexum modo dicto, ſed vnu per ſe perſeitate ſimplicitati Min. patet ex Divo Thoma que 22. art. 1. Qui ita proponens ſibi argumentum: Nullum compoſ tum eſt in Deo. Sed provident videtur eſſe aliquid compoſitu quia includit in ſe voluntatem, intellectum: Ergo provident non eſt in Deo. Non admitte talem compoſitionem, & ſtatue in Deo providentiam: Reſpond ad 3. *Quod providentia eſt in inte lectu, ſed præſupponit voluntatem j nis.* Cum ergo prædeſtinatio quædam providentia, & præſu poſitum non ſit rectum, formal nec per ſe componens: inde e quod formaliter, in recto, & p ſe non coaleſcit ex illis.

9 Dices: Quod S. Doctor i proſequitur: *Et tamen ſi provide tia ex æquali reſpiceret voluntate*

*& intellectum divinum, hoc eſſet abſque detrimento divinæ ſimplicitatis, cum voluntas, & intellectus in Deo ſint idem*: ergo. Reſp. Quod clarè apparet: quod Aug. Mag. negat talem æqualitatem, cum loquatur ſub conditione, & in ſuppoſitione, quam non admittit. In illa enim foret ſine detrimento divinæ ſimplicitatis realis; qui eſt ſenſus talium verborum: nam cum in Deo intellectus, & voluntas ſint realiter idem, providentia coaleſcens æque ex illis, maneret realiter eadem. Non tamen eſſet ſine detrimento ſimplicitatis virtualis: quia cum virtualiter diſtinguantur, non maneret virtualiter eadem, cum eſſet compoſita ex rebus pertinentibus ad diverſas potentias, & quaſi diſtinctas lineas. Quod non admittimus in providentia, nec in prædeſtinatione Dei: Cum pro recto ſit virtualiter vna, & ſimplex, dicens actum intellectus, & præſupponens actum voluntatis.

10 Prob. 4. concluſ. Actus intellectus, & voluntatis ſunt inter ſe ſubordinati; ſed prædeſtinatio non poteſt æque, formaliter, nec in recto conſiſtere in actibus inter ſe ſubordinatis: ergo nec in illis. Mai. patet: Nam actus ſervant ordinem potentiarum; & intellectus, & voluntas ſunt potentiæ inter ſe ſubordinatæ: Cum intellectus ſit primum dirigens, & voluntas primum movens; & primo in vno quoque genere reliqua illius generis ſubordinantur: Sicque intellectui in genere directionis ſubordinatur voluntas; & voluntati in genere motionis ſubordinatur intellectus. Prob. minor. Conſtitutivum æquum, formale, & rectum cuiuslibet rei, & prædeſtinationis, æque primo concipitur in illa; ſed plures actus inter ſe ſubordinati non poſſunt æque primo intelligi in ea: ergo. Mai. eſt certa: Siquidem tale conſtitutivum rei eſt, quod primo concipitur in re. Prob. min. Subordinatum alteri concipitur poſt alterum: ergo. Ant. patet: Cum ſit poſt illud.

11 Arg. 1. Providentia eſſentialiter accepta, formaliter, & in recto conſiſtit in actibus intellectus, & voluntatis: ergo etiam prædeſtinatio. Prob. ant. ex Ang. Doct. in limine quæſt. 22. aſſerente: *Conſideratis autem his, quæ ad voluntatem abſolutè pertinent, procedendum eſt ad ea, quæ reſpiciunt ſimul intellectum, & voluntatem. Huiuſmodi autem eſt providentia*: ergo. Reſp. admitto, & explico author. In qua Divus Thomas loquitur de reſpicientia ſimultanea, ſed non æquali: de providentia reſpiciente formaliter, & in recto intellectum; in oblico autem, & præſuppoſitivè voluntatem. Quare artic. 1. ad 3. ait: *Providentia eſt*

*in intellectu, ſed præſupponit voluntatem.*

12 Cont. Prædeſtinatio eque, & ſimul dicit actum intellectus, & voluntatis: ergo. Prob. antec. Prædeſtinatio æque, & ſimul dicit prædicata ſuæ definitionis; ſed actus intellectus, & voluntatis ſunt prædicata ſuæ definitionis: ergo. Prob. min. Ex definitione adducta art. ant. num. 1. Præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei; ſed præſcientia eſt actus intellectus, & præparatio actus voluntatis: ergo. Reſp. diſt. minor. Præparatio in oblico, conc. min. In recto, nego min. & diſt. conſ. Sunt in recto, & in oblico, conc. conſ. In recto ſolùm, nego conſ. In tali enim definitione ſunt omnia prædicata prædeſtinationis. Ex quibus pertinentia ad intellectum, ingrediuntur in recto; & attinentia ad voluntatem, in oblico. Cumque præparatio non in recto, ſed in oblico ſit actus voluntatis: nam in recto dicit actum intellectus, ordinantem media pro conſecutione gloriæ: ideò prędeſtinatio non dicit æque actus intellectus, & voluntatis.

13 Cont. Prædeſtinatio in recto eſt præſcientia, & præparatio, etiam prout hæc eſt actus voluntatis: ergo. Prob. ant. Prædeſtinatio in recto eſt, quod eſt prædeſtinatio eſſentialiter; ſed prædeſtinatio eſſentialiter eſt præſcientia, & præparatio, etiam prout hæc eſt actus voluntatis: ergo. Prob. min. ex Divo Thom. Tract. de Præſcient. & Prædeſtin. cap. 1. aſſerente ſup. illud Epheſ. 1. *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum ſecundum voluntatis ſuæ propoſitum. Sic igitur de eſſentia prædeſtinationis eſt præſcientia, & voluntas aliquorum*: ergo.

14 Reſp. admitto, & explico verba prædicta: In quibus S. Doctor loquitur de prædeſtinatione, non formaliſsimè ſumpta, ſed pro electione accepta, quàm dicit præſuppoſitivè, & non formaliter. Vnde prædeſtinatio præſuppoſitivè, & pro electione conſiderata dicit eſſentialiter actum voluntatis; & formaliter ſumpta actum intellectus. Nunquam tamen, eodem modo ſumpta, ſive formaliter accepta, importat in recto actus vtriuſque. Primum patet in Divo Thoma ibidem dicente: *Prædeſtinatio tamen includit in ſe providentiam cum quadam ſpeciali acceptatione, & electione voluntatis. Quamvis enim prædeſtinatio præſupponat actum cognitionis, nominat tamen actum voluntatis eligentis ad ea, quæ ſola gratuita voluntate conferuntur.* In hoc ſenſu definita eſt à M. P. Auguſtino. Quare S. Thomas proſequitur: *Prædeſtinatio verò ſecundum Aug. in lib. de Prædeſt. Sanct. eſt gratiæ præparatio, id eſt, divina electio.* Secundum

conſtat quæſt. 6. de verit. artic. 1. vbi tradit noſtram reſolutionem: & ad 2. ait: *Prædeſtinatio non eſt idem electioni: ſed præſupponit eam, vt dictum eſt.* Et ad 13. dicit: *Præparatio ſecundùm quod importat ordinationem, vel directionem in finem, eſt actus proprius rationis, & non voluntatis.*

15 Arg. 2. Licèt prædeſtinatio ſit vnica res, poteſt formaliter, & in recto conſiſtere in complexo, ex actibus intellectus, & voluntatis: ergo conſiſtit in eo. Prob. ant. Pulchritudo eſt vnica res: & ſimiliter ſanitas; ſed illa conſiſtit in complexo perfectionum; & hæc in complexo, & proportione humorum: ergo. Reſp. diſt. mai. Res incomplexa, nego mai. Complexa, conc. maior. & min. & nego conſ. Res complexa, quæ eſt vna per aggregationem, & vnitate ordinis, conſiſtit formaliter, & in recto in complexo, & aggregato plurium, etſi nimis diverſorum: cum ſit aggregatum ex illis. Non verò res incomplexa, & ſimplex; quæ eſt vna vnitate ſimplicitatis, & perſeitate ſimplici: cum non ſit aggregatum ex rebus ita diverſis. Cum igitur pulchritudo, ſicut ſanitas, ſit vnica res complexa, & prædeſtinatio incomplexa: ideò illa formaliter, & in recto conſiſtit in tali complexo; non tamen iſta.

16 Contra: Prædeſtinatio eſt res complexa: ergo. Prob. antec. Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio: & coaleſcit ex ordinatione, motione, & efficacia: ſed res, quæ ita eſt, & coaleſcit, eſt complexa: ergo. Reſp. diſt. maior. Æquè, & in recto, nego maior. Inæqualiter, in recto, & in obliquo, conc. mai. & diſt. min. Quæ ita æque, & in recto, conc. min. Inæqualiter, in recto, & in obliquo, nego min. & conſ. Solutio patet num. 7. & arg. ant.

17 Cont. Prędeſtinatio ęque, & in recto eſt, & ita coaleſcit ex ordinatione, motione, & efficacia: ergo. Prob. ant. Potentia Dei executiva æque, & in recto eſt, & ita coaleſcit ex intellectu, & voluntate: ergo. Prob. ant ex Divo Thoma quæſt. 25. art. 1. ad 4. aſſerente: *Potentia non ponitur in Deo vt aliquid differens à ſcientia, & à voluntate ſecundùm rem, ſed ſolum ſecundum rationem, in quantum ſcilicet, potentia importat rationem principij exequentis id, quod voluntas imperat, & ad quod ſcientia dirigit. Quæ tria Deo ſecundum idem conveniunt*: ergo.

18 Reſp admitto, & explico author. ex ipſis verbis relatis. In quibus Ang. Mag. expreſsè affirmat: quod potentia executiva Dei eſt realiter eadem cum ſcientia, & voluntate. Et meritò: nam in Deo omnia prædicata abſoluta ſunt realiter idem: Sicque reali-

ter ſunt idem intellectus, & voluntas, & tria prædicta. Prævenit autem: quod differt ratione ab illis, per formalitates aſsignatas. Quare vt conſiderata præciſivè, vt per rationem, & virtualiter diverſa, non coaleſcit æque, nec in recto ex illis; ſed formaliter conſiſtit in ratione exequentis prædicta. Cum igitur ſermo ſit de conſtitutivo potentiæ executivæ Dei, & prædicati divini, non vt realiter, phyſicè, & vt in re eſt idem cum alijs; ſed metaphyſicè, & vt per rationem, & virtualiter diſtinguitur ab illis: ideò potentia executiva ſic accepta non coaleſcit æque, nec in recto ex intellectu, ſive ex ſcientia, & voluntate, nec ex actibus intellectus, & voluntatis. Sicut propterea voluntas divina non conſiſtit ita in intellectu, cum quo eſt realiter eadem; ſed in aliquo virtualiter diverſo. Similiter ergo prædeſtinatio eſt realiter idem cum actibus intellectus, & voluntatis. Imò & cum omnibus prædicatis divinis. Conſiderata autem metaphyſicè, vt per rationem, & virtualiter ab alijs diverſa, non eſt ſic eadem, ſed diſtincta ab actu voluntatis: quomodo æque, & in recto non coaleſcit ex illis, nec conſiſtit in vtroque actu intellectus, & voluntatis.

19 Cont. Potentia executiva Dei metaphyſicè præciſivè, & virtualiter conſiderata coaleſcit æque, & in recto ex intellectu, & voluntate: ergo. Prob. antec. Ex Aug. Mag. ita proſequente: *Ve dicendum, quod ipſa ſcientia, vel voluntas divina ſecundùm quod eſt principium effectivum, habet rationem potentiæ*: ergo.

20 Reſp. admitto, & explico authoritatem, per ſe ipſam. In qua apparet: quod potentia executiva ſic accepta, non conſiſtit æque in ſcientia, & voluntate; ſed in vna, vel in alia. Similiter ergo prædeſtinatio æque non conſiſtit in actibus intellectus, & voluntatis; ſed in recto in actu intellectus, & in oblico in actu voluntatis. Si autem inſiſtas in hoc, & in eo: quod aliqui tenent: conſiſtere æque in vtraque. Dicimus: Quod formaliſsimè non conſiſtit in ſcientia ſub ratione ſcientiæ. Nec in voluntate ſub ratione voluntatis: Sed in ratione principij ſequentis, eis ſuperaddita: Ut demonſtrant verba allegata. Quare Divus Thomas ita concludit: *Vnde conſideratio ſcientiæ, & voluntatis præcedit in Deo conſiderationem potentiæ, ſicut cauſa præcedit operationem, & effectum.* In Deo enim datur potentia dirigens, movens, & exequens. Et cum eis faciat opus, videntur eadem potentia. Enim verò, modo prædicto, ſunt diverſæ: nam intellectu dirigit, voluntate movet, & po-

tentia executiva exequitur. Sicut in nobis fit hoc tribus potentijs diſtinctis: Siquidem intellectus dirigit ſubventionem pauperis, voluntas movet ad illam, & manus exequitur eam, dum elargitur eleemoſynam.

21 Arg. 3. Prædeſtinatio eſſentialiter ſumpta, formaliter, & in recto non conſiſteret in actibus intellectus, & voluntatis, quia eſt ens per ſe, & ſimplex; ſed licet ita ſit, ſic conſiſtit in illis: ergo. Prob. min. Etiam homo eſt ens per ſe, & ſimplex; ſed formaliter, & in recto conſiſtit in animali, & rationali: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia animal, & rationale ſunt eiuſdem generis, lineæ, & ordinis: cum ſe habeant vt genus, & differentia: prędicatum ſuperius, & inferius: determinabile, & determinans: in quibus poteſt ita conſiſtere ens per ſe, & ſimplex, vt eſt homo. Actus autem intellectus, & voluntatis non ſic ſe habent, ſed pertinent ad diverſas potentias, vt vltimæ actualitates earum; vnuſque præſupponit alium; ita, vt nequeant eſſe ſimul, vt vnum ens per ſe, & ſimplex, vt eſt prędeſtinatio conſtituant, & in eis ita conſiſtat.

22 Cont. Animal, & rationale ſunt prędicata eiuſdem ordinis: Superius, & inferius, ita vt in eis, modo prædicto, homo formaliter, & in recto conſiſtat: ergo etiam actus intellectus, & voluntatis, vt in eis ſic conſiſtat prędeſtinatio. Prob. conſeq. Sicut actus volũtatis prǽſupponit actum intellectus, aut hic actum voluntatis; ita rationale præſupponit animal; ſed: ergo. Reſpond. nego conſ. Diſcrimen eſt: quia rationale ſolùm præſupponit animal prioritate logica, & vt prædicatum ſuperius, vniverſalius, & inadęquatum; cum quo aliunde eſt ſimul, & conſtituit inadæquatè hominem, qui adæquatè eſt conſtitutus metaphyſicè ex animali, & rationali. Actus autem intellectus in prædeſtinatione non ſic præſupponit actum voluntatis, ſed vt priorem prioritate potentiæ, eficientiæ, & quaſi cauſalitatis; in nobis realiter, & in Deo virtualiter: Et vt actum adęquatum, cui ſubordinatur, cum ab eo accipiat efficaciam, & participet libertatem. Sicque non ſunt prædicata inadęquata, vt eis prædeſtinatio adęquatè conſtituatur. Nec ſunt eiuſdem ordinis, nec ſe habent vt ſuperius, & inferius. Quare in illis ita non conſiſtit.

23 Et vt his, & ſimilibus amplius ſatisfiat, addimus: Quod animal, & rationale ſe habent vt prædicata incompleta, & compartes eiuſdem totius metaphyſici completi; nempè, hominis;

ſic-

ſicque ipſum conſtituunt. Sicut materia, & forma ſubſtantialis propterea conſtituunt idem totum phyſicum. Secus autem actus intellectus, & voluntatis prædeſtinationem: cum non ſe habeant ita, ſed quilibet ſit actus vltimus completus ſuæ potentiæ; non actuabilis, nec determinabilis per alium, ſed omninò præcedens illum, non cohærens illi, vt cum eo illam conſtituat. Nec dicas: Eſſe verum in creatis, vbi vnus actus ita præcedit alium; non in Deo, in quo eſt ſimul cum illo. Nam eſt ſimul in eſſe phyſico, & reali. Habet tamen ſimilem præcedentiam virtualem, & quoad expreſsionem. Quod ſufficit, vt vterque ita non conſtituat prędeſtinationem. Vid. Tract. 2. quæſt. 2. & 3.

24 Ut autem hæc plenius percipiantur, advertendum eſt: quod actus intellectus, & voluntatis ſervant ordinem ſuarum potentiarum. Sicut enim non eſt ſimul vtraque potentia, ſed vna realiter pręcedit aliam; ſic in Deo præcedit virtualiter: & propterea aliquod vnum per ſe non conſiſtit formaliter, nec in recto in vtraque. Similiter actus vnius non eſt ſimul cum actu alterius, ſed ita ipſum præcedit: & in vtroque vnum per ſe, vt eſt prædeſtinatio, nequit ita conſiſtere. Intellectus igitur, & voluntas non ęque immediatè procedunt in operando, ſed ordine quodam, ita vt vna potentia ſequatur aliam, & præſupponat illam: nam intellectus dirigit voluntatem, & voluntas movet intellectum. In diverſa motione ad invicem ſe movent. Similiter ſe habent actus vtriuſque. Quare vterque nunquam in recto concurrit, ſed alter alterum præſupponit, vt in oblico concurrentem. Nec ſe habent vt compartes, nec vt extrema eiuſdem totius; ſicut materia, & forma in toto phyſico, aut animal, & rationale in metaphyſico; ſed prædicto modo, iuxta naturam ſuarum potentiarum. Vnde prædeſtinatio formaliter, & in recto non conſiſtit in vtroque, ſed in vno, vt præſupponente alium.

25 Hæc doctrina conſtat exemplis: Fides enim eſt vna virtus, vnus habitus, & ſimplex qualitas, atque ens per ſe perfectate ſimplicitatis, & non ordinis ſeu aggregationis; licèt concurrant ad illam actus diverſarum potentiarum: vt pia affectio voluntatis, & aſſenſus intellectus; quia non æque concurrunt, ſed aſſenſus in recto, & affectio in oblico, præſuppoſitivè, & quaſi concomitanter. Sicque formaliter, & in recto non conſiſtit in vtroque, ſed in aſſenſu, piam affectionem connotante. Similiter de prudentia conſiſtente ita in

vera ordinatione intellectus, connotante rectam intentionem voluntatis. Idem evenit in prędeſtinatione.

26 Cont. Licèt prædeſtinatio ſit ita ſimplex, & vnum per ſe, poſſunt actus intellectus, & voluntatis æque, & in recto concurrere, vt illam conſtituant, etſi aliunde inter ſe prædictum ordinem ſervent: ergo. Prob. antec. Bonitas divina etiam eſt ita ſimplex, & vnum per ſe; ſed æque, & in recto conſtituitur bonitate eſſentiæ, & attributorum, & omnium prædicatorum Dei, quæ aliunde inter ſe habent ſimilem ordinem: ergo. Reſp. diſt. maior. Bonitas attributalis, conc. maior. Tranſcendentalis, nego maior. & diſt. min. Bonitas tranſcendentalis, conc. min. Attributalis, nego min. & conſ. In Deo enim eſt bonitas tranſcendentalis, quæ eſt paſsio entis divini, & convenit per tranſcendentiam ſingulis prędicatis divinis; ſicut vnitas, & veritas: Sicque obiectivè accepta non eſt ita ſimplex, ſed coaleſcit per modum aggregati ex bonitate omnium. Præterea eſt bonitas attributalis, ſeu per modum attributi; qua Deus dicitur ſpecialiter bonus, ſicut perfectus, & æternus: quæ conſiſtit in rectitudine operandi. Sicut Tract 9. quæſt. 1. art. 1. dicitur de attributo veritatis divinę: quod non ſtat in veritate tranſcendentali, ſed in veracitate, ſeu veritate in dicendo. Cumque talis bonitas ſit ita ſimplex, & non conſiſtat æque, & in recto in prædictis, ſed in aliquo ſimplici: ideò etiam prædeſtinatio ita conſiſtit, & conſtituitur. Vid. Divus Thomas quęſt. 5. & 6.

## ARTICVLVS QVARTVS.

### *VTRVM PRÆDESTINATIO formaliter, & in recto conſiſtat in actu voluntatis.*

1 SUPPONO 1. Quod omnem actum voluntatis præcedit aliquis actus intellectus; iuxta proloquium: *nil volitum, quin præcognitum.* Ratio eſt: quia intellectus dirigit voluntatem, & hæc vult quod intellectus ei proponit: aliunde cœco modo procederet. Exinde voluntas movet intellectum circa actus liberos: nam à libertate voluntatis provenit, quod intellectus exerceatur in eis. Quare tunc actus voluntatis præcedit actum intellectus; & ambæ potentiæ diverſis actibus ſe mutuò præcedunt: nam voluntas movet intellectum ad vnum actum; & hic dirigit voluntatem, vt eliciat ſuum actum ſequentem. De his, & ordine eorum agit Divus Thomas 1. 2. à quæſt. 9.

2 Suppono 2. Quod talis ordo ita in præſenti ſtatuitur. Primus actus intellectus divini eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua Deus cognoſcit omnia creata poſsibilia: & inter ea tres ordines rerum; naturæ, gratiæ, & Vnionis hypoſtaticæ; ſecundum quos poteſt ſe communicare creaturis. Sic cognoſcit omnem finem, vt poſsibilem, & omnia media poſsibilia, quibus quilibet obtineri poteſt. Hunc ſequitur primus actus voluntatis, qui eſt intentio, qua Deus vult, vt finem præcipuum, oſtenſionem ſuæ bonitatis in tali triplici ordine, cum ordine miro: nam inter omnes communicationes, prius voluit ineffabilem per Vnionem hypoſtaticam, & Incarnationem Verbi divini, vt finem vltimum omnium. Deinde pro gloria Chriſti Domini voluit beatificare aliquas creaturas rationales; quarum beatitudinem reſpexit vt medium reſpectu gloriæ Chriſti, ſicut & res naturales: eo quod talem gloriam intendit vt finem ordinis naturæ, & gratiæ. Quare Apoſtolus Rom. 1. ait de Chriſto: *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei.* Et Divus Thomas lect. 3. *Prædeſtinatio Chriſti, qui eſt prædeſtinatus vt ſit Filius Dei per naturam, eſt menſura vitæ; & ita prædeſtinationis noſtræ, qui prædeſtinamur in filiationem adoptivam, quæ eſt quædam participatio, & imago naturalis filiationis.* Propterea ad Rom 8 dicit: *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.*

3 Hanc intentionem conferendi gloriam aliquibus creaturis, & non alijs, vocant cum Ang. Mag. art. 4. dilectionem, & electionem ad gloriam: Cum electio ſit aſſumptio alicuius ex alijs, ſive præ alijs. Actum iſtum ſequitur iudicium indifferens, quo intellectus percipit omnia media poſsibilia, efficacia, & inefficacia. Nunc concurrit conſilium, modo, quo in Deo poſsit eſſe. Deinde iudicium practicum, & liberum, quo iudicat hæc media potius, quam alia, eligenda eſſe, vt creaturæ per illa perducantur ad vitam æternam. Sequitur nunc acceptatio voluntatis, & electio efficax mediorum. Exinde alter actus intellectus, qui dicitur imperium, quo intellectus à voluntate motus ordinat, & imperat talia media executioni mandari, vt per ea finis conſequatur. Ex hinc media manent futura. Reſtat vſus activus voluntatis, qui eſt applicatio potentiæ executivæ ad opus, & ad omnia ſuo tempore producenda. Tandem adeſt operatio potentiæ executivæ, ſive executio operis, & prædeſtinationis. In præſenti dubio communiter

ter affirmant Scotiſtæ, vt poteſt videri in Moderníoribus Provinciæ Aragoniæ, Hernandez, Caſtell, & vtroque Perez.

4 Concluſio: Prædeſtinatio eſſentialiter ſumpta, formaliter, & in recto non conſiſtit in actu voluntatis. Ita Thomiſtę cum Divo Thoma loc cit. art. ant. & q. 6. de verit. art. 1. Vbi, & in præſenti art. 4. ait: *Prædeſtinatio ſecundum rationem præſupponit electionem, & dilectionem*; ſed prædeſtinatio formaliter, & in recto non conſiſtit in eo, quod præſupponit: ergo cum electio, & dilectio ſit actus voluntatis, non conſiſtit iſta in illo. Min. eſt certa: Nam præſuppoſitum eſt oblicum. Et ibi in ſed cont. 3. aſſerit: *Prædeſtinatio magis debet poni in genere ſcientiæ, quam voluntatis*; ſed magis debet poni in actu, in quo formaliter, & in recto conſiſtit: ergo.

5 Confirmatur: Unumquodque formaliter, & in recto conſideratum conſiſtit magis, ſive eſſentialiter in eo, quod ei formaliter convenit, & non in eo, quod præſuppoſitivè; ſed actus intellectus formaliter convenit prædeſtinationi, & actus voluntatis præſuppoſitivè: ergo. Prob. min. ex Divo Thoma quæſt. 23. art. 4. dicente: *Prædeſtinatio aliquorum in vitam æternam, præſupponit ſecundum rationem, quod Deus illorum velit ſalutem*. En actum voluntatis præſuppoſitum, in obliquo, & non in recto concurrentem pro conſtituenda prędeſtinatione: ergo.

6 Prob. 1. concluſ. ratione: Prædeſtinatio eſt pars providentiæ; ſed providentia eſſentialiter ſumpta, formaliter, & in recto non conſiſtit in actu voluntatis: ergo. Præmiſſas docet Div. Thomas; vt viſum eſt. Probat. etiam min. Providentia eſt pars prudentiæ; ſed prudentia formaliter, & in recto non conſiſtit in actu voluntatis: ergo. Mai eſt. Ang. Mag. quæſt. 22. art. 1. aſſerentis: *Eſt enim principalis pars prudentiæ*. Minorem docet 2. 2. quęſt. 47. art. 1 Reſpondebis: Quod prudentia directivè, & regulativè ſumpta pertinet ad intellectum. Completivè autem accepta ad voluntatem; in qua perficitur quod prudentia dictat, regulat, & dirigit. Cumque formaliter, & in recto conſiſtat in ſuo completivo: ideò ita conſiſtit in actu voluntatis: & conſequénter etiam providentia, & prædeſtinatio.

7 Hæc autem reſponſio eſt contra D. Thomam loc. cit. 2. 2. vbi reſolvit: Prudentiam eſſe in vi cognoſcitiva, ſive in intellectu; & non in vi appetitiva, ſive voluntate; ſed formaliter, & in recto conſiſtit in actu potentiæ, in qua eſt: ergo. Mai. eſt Divi Thomæ aſſerentis: *Relinquitur*

*quod prudentia propriè ſit in ratione.* Et ad 1. ait: *Voluntas movet omnes potentias ad ſuos actus. Primus autem actus appetitivæ virtutis eſt amor. Sic ergo prudentia dicitur eſſe amor: non quidem eſſentialiter, ſed in quantum amor movet ad actum prudentiæ.* Ex quibus conſtat: quod prudentia movetur à voluntate, & non completur in ea, ſed in recta ordinatione, quæ eſt actus intellectus. Vnde M P. Aug. cit. in ſed cont. ait: *Prudentia eſt cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum.* Et Ariſt. cit. art. 2. *Prudentia eſt recta ratio agibilium.* Nunc Divus Thomas: *Sed hoc non pertinet niſi ad rationem practicam: Ergo prudentia non eſt niſi in ratione practica.*

8 Ex quibus hic formatur diſcurſus: Quod formaliter, & in recto conſiſtit in actu voluntatis, non eſt cognitio, nec ratio agibilium, nec eſt in ratione practica; ſed prudentia eſt cognitio, & ratio agibilium, & eſt in ratione practica: ergo iſta non conſiſtit in actu voluntatis: ſicque nec providentia, nec prædeſtinatio. Mai. patet: Cum talis ſit intellectus; & non voluntatis, in qua eſt actus voluntatis. Illuſtratur: Prudentia, providentia, & prædeſtinatio completivæ ſumptę ſunt intra lineam ſui obiecti, & pertinent ad potentiam illius; ſed obiectum earum pertinet ad intellectum: ergo. Prob. minor Obiectum earum eſt dirigibile, & ordinabile; ſed dirigibile, & ordinabile pertinet ad intellectum nam ſapientis eſt ordinare, & dirigere; vt fert commune proloquium: ergo.

9 Prob. 2. concluſ. Prædeſtinatio formaliter, & in recto conſiſtit in actu faciente ſibi obiectum; ſed actus voluntatis divinæ non facit ſibi obiectum: ergo Mai. eſt certa: Nam Deus facit, quod prædeſtinat: ita vt per decretum prædeſtinativum fiat futurum. Prob. min. Appetitus non facit ſibi obiectum; ſed actus voluntatis eſt appetitus: ergo. Prob. mai. Appetitus non trahit obiectum ad ſe, ſed fertur ad obiectum; ſed hoc non eſt facere, ſed ſupponere obiectum: ergo.

10 Roboratur: Potentia volitiva nequit efficere ſibi obiectum: ergo actus illius non facit illud, nec in eo ita conſiſtit prædeſtinatio, faciens ſibi obiectum. Prob. ant. Potentia non præcontinens in ſe obiectum, nequit efficere ſibi obiectum; ſed potentia volitiva non præcontinet in ſe obiectum: ergo. Mai. patet: Siquidem cauſa præcontinet in ſe effectum: quia non poteſt efficere extra ſe, quod non continet intra ſe. Prob. min. Potentia, quæ fertur ad obiectum, ſive extra ſe, vt attingat obiectum, non præ-

continet in ſe obiectum; ſed potentia volitiva ita fertur: ergo. Mai. patet: Nam potentia præcontinens in ſe obiectum, trahit illud ad ſe, vel habet illud in ſe. Potentia autem, quæ fertur ad obiectum, trahitur ab obiecto, vel inclinatur ad obiectum.

11 Corroboratur: Voluntas ſupponit factum, quod attingit: ergo non facit ſibi illud, nec obiectum. Prob.ant. Voluntas ſupponit attactum ab intellectu, quod attingit: ergo. Conſ.patet: Nam quod non eſt factum, non eſt, nec poteſt ſupponi attactum ab intellectu. Prob.antec. Nil eſt volitum, quin præcognitum: ergo. Vid.in Logica lib.2. quæſt.2. art.3. Nam propterea voluntas non efformat ens rationis. Reſpondebis: Quod omne volitum eſt præcognitum; non eodem modo, ſed diverſo. Etenim præcognitum vt factibile; & poſtea à voluntate eſt factum. Quod evenit in prædeſtinatione:nam Deus præcognoſcit prædeſtinandum; & deinde voluntate prædeſtinat ipſum.

12 Cont. Licèt propterea electio prædeſtinatorum ad gloriam ſit ab intellectu propoſita, & à voluntate facta; ipſa prædeſtinatio non eſt à voluntate, ſed ab intellectu effecta: ergo. Prob. ant. Prædeſtinatio formaliter, & in recto non conſiſtit in electione prædeſtinatorum ad gloriam, ſed in ratione deſtinationis, & tranſmiſsionis ad illam; ſed hæc non eſt à voluntate, ſed ab intellectu facta: ergo.Mai.patet art.1.& 2. Min.conſtat: Nam ratio, & ordinatio eſt propria intellectus. Si inſtes: Quod voluntas Dei eſt cauſa rerum; vt docet Div.Thomas. Imò art.4.dicit: Quod voluntas Dei cauſat bonum, quod vult: ergo facit ſibi obiectum. Reſp. ſenſum eſſe: quod cauſat motivè, & applicativè: cum moveat, & applicet potentiam executivam ad opus. Non verò directivè, nec ordinativè, ſicut intellectus: quod facit prædeſtinatio.Quare ibi prævenit S.Doctor: Quod præſupponit actum voluntatis, nempè, electionem, & dilectionem.

13 Arg.1. Prædeſtinatio formaliter, & in recto conſiſtit in actu, in quo conſiſtit providentia Dei; ſed formaliter, & in recto conſiſtit in actu voluntatis: ergo.Prob.min.Voluntas Dei formaliter, & in recto conſiſtit in actu voluntatis; ſed providentia Dei eſt voluntas Dei: ergo.Prob. min.ex S.Joan.Damaſc. cit.à Divo Thoma quæſt.5.de verit.art.1. aſſerente: *Providentia eſt voluntas Dei*: ergo. Reſp.admitto, & explico author.cum Ang.Mag.ad 1. dicente: *Damaſcenus dicit providentiam eſſe voluntatem, quia voluntas*

*ratem includit, & præſupponit.* Ex quo patet: quod præſuppoſitivè, & in obliquo erit actus voluntatis. Non formaliter, nec in recto. Quare queſt. 6. art. 1. objiciens ſibi ex M. P. Aug. *Prædeſtinatio eſt propoſitum miſerendi*; ſed propoſitum eſt voluntatis: ergo & prædeſtinatio. Reſpondet ad 1. dicens: *In actibus animæ ita eſt, quod præcedens actus includitur quodammodo virtute in ſequenti, & quia prædeſtinatio præſupponit electionem, quæ eſt actus voluntatis, ideò in ratione prædeſtinationis aliquid includitur ad voluntatem pertinens, & propter hoc propoſitum, & alia ad voluntatem pertinentia in definitione prædeſtinationis quandoque ponuntur.*

14 Cont. Prædeſtinatio formaliter, & in recto eſt voluntas, & non preſuppoſitivè: ergo. Prob. ant. ex Divo Thoma Tract. de Præſcient. & Prædeſt. cap. 1. aſſerente: *Quamvis enim prædeſtinatio præſupponat actum cognitionis, nominat tamen actum voluntatis eligentis*; ſed formaliter, & in recto eſt, quod nominat: ergo. Reſp admitto, & explico authoritatem. In qua S. Doctor loquitur de prædeſtinatione ſumpta pro electione; non de illa formaliſsimè accepta. Sic exponendi ſunt alij PP. dum proferunt ſimilia. Et S. Vincent. Fer. Serm. Converſ. S. Pauli dicens: *Et ita electio dicitur prædeſtinatio.* Quod ipſe explicat, aſſerens: *Eſt primum fundamentum, & principale, & principium ſalvationis.*

15 Cont. Prædeſtinatio formaliſsimè accepta conſiſtit in electione ad gloriam; ſed electio, iuxta D. Thomam, eſt actus voluntatis: ergo. Prob. mai. Conſiſtit in deſtinatione creaturæ rationalis ad gloriam; ſed electio ad gloriam eſt deſtinatio creaturę rationalis ad gloriam: ergo. Reſp. diſt. mai. In deſtinatione non ordinativa, nego mai. Ordinativa, conc. mai & diſt. min. Deſtinatio non ordinativa, conc. min. Ordinativa, nego min. & conſ. Electio aliquorum ad gloriam eſt: Deum velle gloriam illorum. Præterea reſtat, eos ordinare ad illam. Ad quod requiritur ratio ordinativa, & præceptiva mediorum, per quæ eam conſequantur. Quæ eſt deſtinatio ordinativa, in qua formaliſsimè prædeſtinatio conſiſtit. Cumque hæc non ſit electio, ſed electionem ſupponat, cum electos ordinet: ideò prædeſtinatio formaliſsimè accepta non conſiſtit in electione. Ita D. Thomas art 4. dicens: *Providentia, ſicut & prudentia, eſt ratio in intellectu exiſtens, præceptiva ordinationis aliquorum in finem. Non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, niſi præexiſtente voluntate finis. Vnde prædeſtinatio aliquorum in ſalutem æternam præſupponit ſecun-*

dum

*dùm rationem, quod Deus illorum velit ſalutem. Ad quod pertinet electio, & dilectio.*

16 Cont. Electio creaturæ rationalis ad gloriam eſt deſtinatio ordinativa illius ad gloriam: ergo. Prob.ant. Creatura rationalis electa ad gloriam, eſt ordinata ad gloriam: ergo. Prob.ant. Creatura infallibiliter conſecutura gloriam, eſt ordinata ad gloriam; ſed creatura rationalis electa ad gloriam, infallibiliter conſecutura eſt gloriam: ergo. Reſp. diſt.mai. Conſecutura ex vi ſolius electionis, nego mai. Ordinationis, conc.mai.& diſt.min. Ex vi electionis, conc.min. Ordinationis, nego min.& conſ. Non quodlibet infallibiliter inferens gloriam, & ordinatio ad gloriam: cum multa infallibiliter inferant illam, quin ordinent ad eam. Ut patet in ſcientia, qua Deus cognoſcit gloriam alicuius vt futuram. Solum vtique inferens per modum ordinationis, & præcepti eſt ordinatio ad illam. Cumque electio non ſic, ſed per modum electionis, & dilectionis inferat gloriam: ideò non eſt ordinatio creaturæ rationalis ad illam: nec hæc præcisè electa eſt ordinata, nec electio eſt deſtinatio ordinativa, nec in ea conſiſtit formaliſſimè prædeſtinatio.

17 Cont. Creatura rationalis electa ad gloriam, eſt conſecutura etiam ex vi ordinationis gloriam: ergo. Prob.ant. Eſt conſecutura ex vi electionis gloriam: ergo. Prob.conſ. Electio importat quamdam ordinationem; vt docet Divus Thomas 1.2. quæſt.13. art.1. ſed: ergo. Reſp.diſt.maior. Importat eſſentialiter, nego mai. Præſuppoſitivè, conc.mai.& min. & nego conſ. Ita Ang.Mag.ad 1. inquiens: *Electio importat collationem quamdam præcedentem, non quod eſſentialiter ſit ipſa collatio.* Cuius rationem præbet in corp. dicens: *Ratio quodammodo voluntatem præcedit, & ordinat actum eius, in quantum ſcilicet voluntas in ſuum obiectum tendit ſecundùm ordinem rationis.* Cum igitur prædeſtinatio eſſentialiter ſit ordinatio, ex vi cuius creatura conſecutura eſt gloriam: ideò præcisè vt electa, non eſt ita eam conſecutura ex vi ordinationis, nec prædeſtinata.

18 Cont. Sufficit, quod electio ad gloriam præſupponat ordinationem intellectus, vt creatura ex vi illius ſit conſecutura gloriam, & prædeſtinata: ergo. Prob. ant. Sufficit, quod imperium præſupponat electionem, & motionem voluntatis, vt creatura ex vi illius ſit conſecutura gloriam, & prædeſtinata: ergo. Ant. patet: Nam prædeſtinatio conſiſtit in illo. Prob.conſ. Sicut ad prędeſtinationem requiritur ordinatio intellectus, ita motio voluntatis;

ſed:

ſed: ergo Reſp. nego conſ. Ratio eſt: quia non quælibet ordinatio ad gloriam ſufficit ad conſtituendam prędeſtinationem; ſed ordinatio mediorum, ſive per media: cum hæc ſit conſtitutiva providentiæ, qualis eſt prædeſtinatio. Cumque hęc ordinatio ſit in actu imperij præſupponentis motionem, & electionem voluntatis; non verò in hac, cuius ordinatio eſt obiecti eligibilis, quod repreſentat, & proponit voluntati; ſeu ipſius finis, & non mediorum: *Eo quod vis apprehenſiva appetitivæ ſuum obiectum repreſentat*; vt ait Ang. Doct. in corp. ideò hæc non ſufficit. Et quia prædeſtinatio formaliſsimè non eſt motio, ſed ordinatio. Non obiecti, aut finis; ſed mediorum ad finem ſupernaturalem, nempè, gloriam.

19 Cont. Prædeſtinatio formaliſsimè accepta eſt deſignatio, ſeu antecedens deſtinatio ordinata creaturæ ad gloriam; ſed cum tali ordinatione electio prædicta eſt deſignatio, & antecedens deſtinatio ordinata creaturę ad gloriam: ergo prædeſtinatio formaliſsimè accepta conſiſtit in illa. Min. conſtat: Nam eligere ordinate aliquem ad finem conſequendum, eſt deſignare, & deſtinare illum ad talem finem. Reſp. diſt. mai. Per media, conc. mai. Aliter, nego mai & diſt. min. Aliter, conc. min. Per media, nego min. & conſ. Prædeſtinatio enim, quia pars providentiæ, eſt ratio, & ordinatio mediorum in finem: Sicque eſt anticipata deſtinatio mediorum, per quæ creatura rationalis conſequatur gloriam; & non alia deſtinatio, ſine ordinatione mediorum. Non enim eſt velle aliquibus conferre gloriam; ſed hac volitione ſuppoſita, ea electos mittere in gloriam. Cumque hoc non fiat tali deſtinatione ordinata, ſive electione: ideò prędeſtinatio formaliſsimè accepta non conſiſtit in illa.

20 Arg. 2. Prædeſtinatio eſſentialiter ſumpta conſiſtit formaliter, & in recto in actu eiuſdem potentiæ, ac reprobatio; ſed reprobatio ſic conſiſtit formaliter, & in recto in actu voluntatis: ergo. Mai. patet: Cum vtraque ſit pars providentiæ, oppoſita ex parte finis: nam prædeſtinatio eſt ordinatio in vitam ęternam; & reprobatio excluſio ab illa. Prob. minor. ex Divo Thoma quæſt. 6. de verit. art. 1. ad vlt. aſſerente: *Reprobatio ex ratione ſui nominis magis pertinet ad voluntatem, eſt enim reprobare, quaſi refutare*: ergo.

21 Reſp. admitto, & explico author. In qua S. Doctor loquitur quaſi in aliena ſententia, & permiſsivè. Sic enim ait: *Ad vltimum etiam poſſet dici.* Non verò in propria: Cum arg. 5, quaſi ratione

pro-

probet: prædeſtinationem in ſcientia, & in actu intellectus conſiſtere, quia reprobatio, quæ eſt in eodem genere, in eo conſiſtit. In quo ſenſu procedit in ſolutione ad alia. Et ad vlt. addit: *Pro tanto reprobatio ad præſcientiam dicitur in Deo pertinere.* Cum ergo reprobatio, ſicut & prædeſtinatio, formaliter, & in recto conſiſtat in actu potentiæ, ad quam pertinet: ideò neutra conſiſtit ita in actu voluntatis, ſed vtraque in actu intellectus. Et permiſſa illa opinione de reprobatione, adhùc reddit diſcrimen Ang. Præceptor de prædeſtinatione ita conſiſtente in actu intellectus, & non voluntatis.

22 Cont. In Sententia Divi Thomæ prædeſtinatio, ſicut & reprobatio, conſiſtit formaliter, & in recto in actu voluntatis: ergo Prob. ant. Ideò in eo non conſiſteret, quia voluntas non eſt ordinativa; ſed voluntas eſt ordinativa: ergo. Prob. min. Charitas reſidens in voluntate eſt ordinativa: ergo. Prob. ant. ex Divo Thoma 1.2 quæſt. 114 art. 4. aſſerente: *Motus autem humanæ mentis ad fruitionem divini boni eſt proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, ſecundum quod aliæ virtutes imperantur à charitate: & ideò meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes ſecundariò.* Et 2.2. quæſt. 23. artic. 8. ex hoc principio convincit: Charitatem eſſe formam virtutum. Sic enim ait: *Oportet, quod in moralibus id, quod dat actui ordinem, det ei & formam. Manifeſtum eſt autem ſecundum prædicta quod per charitatem ordinantur actus omnium aliarum virtutum ad vltimum finem. Et ſecundum hoc ipſa dat formam actibus omnium*: ergo.

23 Reſp. admitto, & explico author. Vbi Ang. Doct. loquitur de ordinatione motiva, & applicativa; non de elicitiva: Siquidem Charitas movet, & applicat intellectum, & virtutes iſtius, vt eliciat ordinationem. Vnde ordinatio eſt ab intellectu, & non à voluntate: nam actus aliarum virtutum ex motione, & applicatione charitatis ordinantur, media fide, quæ eſt virtus intellectus, ad finem ipſius, qui eſt Deus ſummè diligendus. Nec imperantur elicitivè à charitate, ita vt hæc eliciat actum imperij: cum hic ſit actus intellectus; vt docet Divus Thomas 1.2. quæſt. 17. art. 1. Sed motivè, & applicativè: quatenus movet, & applicat ad tale imperium. Quod ſufficit, vt ſit forma virtutum, & meritum primò pertineat ad ipſam.

24 Cont. Ordinatio aliarum virtutum ad talem finem, eſt elicitivè à Charitate: ergo. Prob. ant. Non eſt elicitivè à fide: ergo,

go. Prob.ant. Actus aliarum virtutum per talem ordinationem reſpiciunt finem charitatis; ſed per ordinationem elicitam a fide non reſpiciunt finem charitatis: ergo. Maior. patet: Cum in hoc ſtet talis ordinatio. Min.conſtat: Nam illum reſpiciunt per aliquid elicitum à Charitate. Reſp. diſt. min. A fide ratione ſui,conc.min. Ut mota, & applicata à Charitate, nego minor.& conſ. Licèt enim actus aliarum virtutum,per actum elicitum à fide,ratione ſui, ſive ſecundum ſe, non reſpiciant finem charitatis; vt patet in actibus elicitis à peccatore; benè verò per actum elicitum à fide, vt mota, & applicata à charitate: Sic enim ipſa fides reſpicit finem charitatis. Cumque talis ordinatio eliciatur à fide ſic mota, & applicata à charitate: ideò per illam reſpiciunt finem charitatis.

25 Cont. Actus aliarum virtutum per ordinationem elicitam à fide, etſi mota, & applicata à charitate, non ordinantur ad finem charitatis: ergo. Prob.ant. Si ita ordinarentur, fides potiùs, quàm charitas, foret forma virtutum; ſed non fides, ſed charitas eſt forma illarum: ergo.Prob. mai. Fides potiùs,quàm charitas, informaret actus aliarum virtutum: ergo. Prob.ant. Informatio provenit ex prędicta ordinatione; ſed ordinatio potiùs eſſet à fide, quàm à charitate: ergo. Ma principium, ex quo Divus I mas probat: Charitatem eſſe mam virtutum.Min.conſtat: potiùs ſit à principio elicie Reſp.diſt.mai. Ordinatione tivè, & applicativè accepta,c mai. Elicitivè, nego mai. & min. Eſſet elicitivè, conc.mi Motivè,& applicativè,nego n & conſeq. In virtutibus enim earum ordinatione, atque in matione charitatis, potior motio, & applicatio, quàm cientia: nam magis penſatur a ctus, quàm cenſus. Cumque tio, & applicatio ad ordina nem elicitam à fide, ſit à ch tate: ideò ordinatio, & inf matiò aliarum virtutum eſt po à charitate; & hæc eſt forma i rum; à qua propterea principa eſt earum meritum.

25 Arg. 3.Prædeſtinatio f mi iter, & in recto conſiſtit actu potentiæ efficaciter mo quoad exercitium; ſed hæc voluntas: ergo. Prob.mai. P deſtinatio formaliter, & in re conſiſtit in motione efficaci, aliqui deſtinantur ad vitam æ nam; ſed hæc motio conſiſti actu potentiæ efficaciter mot quoad exercitium: ergo. R diſt.mai. In motione volitiva, go mai. Ordinativa, conc.mai & min.& ita diſt. conſeq. Mo efficax quoad exercitium, alia

volitiva: quæ eſt motio, & applicatio voluntatis. Alia ordinativa, quæ fit ab intellectu. In quo ſenſu reſpectivè, vtraque potentia eſt ita motiva. Et licèt prædeſtinatio conſiſtat in hac motione ordinativa; non verò in volitiva. Cumque ordinativa ſtet in actu intellectus, & non voluntatis: ideò prædeſtinatio formaliter, & in recto non conſiſtit in actu voluntatis. Ita Divus Thomas queſt. 6. de verit. art. 1. ad 12. dicens: *Præparare, vel ordinare eſt motivæ potentiæ tantum: ſed motiva non ſolum eſt voluntas, ſed etiam ratio practica.*

27 Cont. Omnis motio efficax quoad exercitium, eſt volitiva: ergo. Prob. ant. Omnis motio propria voluntatis, eſt volitiva; ſed omnis motio efficax quoad exercitium, eſt propria voluntatis: ergo. Min. eſt certa: Nam movere efficaciter quoad exercitium, eſt proprium voluntatis. Reſp. diſt. minor. Efficax per ſe, conc. min. Per participationem, nego min. & ita diſt. conſeq. Cum enim voluntas per ſe ſit primum movens, liberum, & efficax quoad exercitium; motio huiuſmodi eſt propria illius. Veruntamen participatur ab intellectu, qui ex coniunctione cum voluntate, & ex ſubordinatione ad illam, habet per participationem ita movere. Et cum hæc motio non ſit volitiva, & in ea ſtet ſic prædeſtinatio: ideò formaliter, & in recto non conſiſtit in motione efficaci volitiva, nec in actu voluntatis. Solutio conſtat in Ang. Doct. 1. 2. quæſt. 17 art. 1.

28 Cont. Motio efficax quo ad exercitium non poteſt participari ab intellectu: ergo. Probat. ant. Motio quoad ſpeciem non poteſt participari à voluntate: ergo. Prob. conſ. Sicut hæc eſt propria intellectus, ita illa voluntatis; ſed ergo. Reſp. nego conſeq. Ratio eſt: Quia quod eſt ſubſtantia vnius potentiæ non poteſt participari ab alia; benè verò modus illius. Cumque movere efficaciter quoad exercitium ſit modus, & non ſubſtantia voluntatis; movere autem quoad ſpeciem ſit ſubſtantia, & non modus intellectus: ideò illa motio poteſt participari ab intellectu, & hæc non à voluntate.

29 Cont. Motio efficax quo ad exercitium eſt de ſubſtantia voluntatis: ergo. Prob. ant. Motio quo ad ſpeciem eſt de ſubſtantia intellectus: ergo. Prob. conſ. Sicut illa ſupponit velle in voluntate, ita hæc intelligere in intellectu; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia movere quoad ſpeciem, eſt movere dirigendo, & ordinando: cum ſit movere proponendo obiectum. Quod eſt de ſubſtantia intellectus, directi-

quam participabile à voluntate. Movere autem quoad exercitium, eſt applicare potentias ad opus. Quod non eſt ita de ſubſtantia voluntatis: cum detur applicatio directiva, & ordinativa; quæ, ſuppoſita volitiva, & appetitiva, libera, & efficaci, movet ſic efficaciter potentias ad opus. Quæ doctrina patet in ipſa voluntate: quia enim de ſubſtantia voluntatis eſt motio volitiva, & appetitiva, hæc nequit participari ab intellectu, qui non poteſt movere appetitivè, nec volitivè. Cum verò præcisè movere efficaciter quoad exercitium, non ſit de ſubſtantia eius; cum hoc poſsit fieri directivè, & ordinativè: ideò poteſt hoc ab intellectu participari.

30 Cont. Licèt intellectus de motione efficaci quoad exercitium voluntatis non participet rationem appetitivi, nec volitivi, participat rationem motionis efficacis quoad exercitium: quia illa eſt de ſubſtantia, hæc modus voluntatis: ergo ſimiliter in motione intellectus quoad ſpeciem, ratio talis motionis erit modus, licèt ratio intellectivi ſit ſubſtantia; & voluntas participabit illam rationem motionis, in qua eſt ſufficiens ordinatio, vt prædeſtinatio ita conſiſtat in actu voluntatis. Prob. conſ. Sicut in voluntate datur velle, & movere quoad exercitium; ita in intellectu i telligere, & movere quoad ſp ciem; ſed: ergo. Reſp. nego co Diſcrimen eſt: Quia in motio quoad ſpeciem eſt impreſcindil le ordinare, dirigere, & intel gere: cum non ſit alia motio q ad ſpeciem, niſi modo prædic Sicque eſt de ſubſtantia intel ctus, ſicut & illud, & imparti pabilis à voluntate. In motio autem quoad exercitium eſt pr cindibile velle, & appetere: cu reſtet movere dirigendo, & ord nando. Quare hoc non eſt de ſu ſtantia, ſed modus voluntatis, participatur ab intellectu.

## ARTICULUS QUINTU

*VTRVM CONSISTAT I actu intellectus.*

1 CONCLUSIO: Præ ſtinatio eſſentiali ſumpta, formalit & in recto conſiſtit in actu int lectus: & præſuppoſitivè, & oblico accepta in actu volunta Ita omnes Thomiſtæ. Et vide expreſſa in Divo Thoma loc. art. ant. & in B. Alb. quæſt. 63. etiam Emin. Belarminus, Gra dus, Faſolis, Montoya, & Jeſuitæ. Conſtat ex Angel. M quæſt. 22. art. 1. ad 3. aſſere *Providentia eſt in intellectu, ſed p ſupponit voluntatem.* Et quæſt.

art.

art.1. ait de prædeſtinatione: *Eſt quædam pars providentiæ*; ſed prædeſtinatio, ſicut providentia, conſiſtit formaliter, & in recto in actu potentiæ, in qua eſt; præſuppoſitivè autem, & in oblico in actu potentiæ, quam præſupponit: ergo. Expenditur hac reflexione: dum Ang. Doctor ait: *In intellectu*, intelligit actum intellectus: Et per *voluntatem*, actum voluntatis. Ut legenti conſtabit. Et patet ex eo, quod addit: *Præſupponit voluntatem finis.* Ac ſi diceret: Volitionem finis; ſed prędeſtinatio formaliter, & in recto conſiſtit in actu, in quo eſt; & præſuppoſitivè, & in oblico in actu, quem præſupponit: ergo.

2 Et 1.2. quæſt.17.art.1. ait: *Imperare autem eſt quidem eſſentialiter actus rationis :: præſuppoſito actu voluntatis*; ſed prædeſtinatio conſiſtit in actu imperij; vt videbimus: ergo eſſentialiter eſt actus rationis, ſive intellectus: Sive formaliter, & in recto conſiſtit in illo; & præſupponit actum voluntatis, in quo ſtat præſuppoſitivè, & in oblico. Et quæſt.6.de verit.art.1.dicit: *Prædeſtinatio magis debet poni in genere ſcientiæ, quàm voluntatis.* Vbi *magis* denotat formale, & rectum prædeſtinationis: & *quàm voluntatis* eſt quaſi *minus* correlatum, inſinuans præſuppoſitum, & oblicum.

3 Prob.1.concluſ.ratione Divi Thomæ loc.cit. 1.2. Prædeſtinatio formaliter, & in recto conſiſtit in actu imperij; ſed actus imperij formaliter, & in recto eſt actus intellectus, præſupponens actum voluntatis: ergo. Mai.conſtabit art.ſeq. Min.eſt S. Doctoris dicentis: *Imperare eſt actus rationis, præſuppoſito tamen actu voluntatis.* Quod fundat in illo S.Greg. Niceni, & Phyloſophi: *Appetitus obedit rationi.* Nunc infert: *Ergo rationis eſt imperare.* Et prob. ratione ipſius: Imperium dicit ordinationem alicuius ad agendum, & intimationem, atque motionem, vt agat ille, cui imperat; ſed formaliter, & in recto dicit ordinationem, & intimationem, quæ eſt actus intellectus; & præſuppoſitivè, & in oblico motionem, quæ eſt actus voluntatis: ergo. Præmiſſæ ſunt Ang Magiſtri. Prob.tamen min. Imperare eſt ordinare, & intimare movendo; non autem movere ordinando, nec intimando; ſed hoc eſt dicere formaliter, & in recto ordinationem, & intimationem; & præſuppoſitivè, & in oblico motionem: ergo.

4 Dices: Imperium requirit ordinationem, & motionem: Quare ergo non vtramque in recto? Aut motionem in recto, & ordinationem in oblico? Reſp. ad 1.art.ant.num.21.Ad 2. Quod in imperio precipuum eſt rectum,

& minus præcipuum oblicum. Et cum ordinare ſit præcipuum:cum hoc ſit principale in præcipiente, vt præceptum ſit rectum: ideò imperium dicit in recto ordinationem, & in oblico motionem. Et quia imperare, & præcipere eſt ſuperioris, quale eſt ordinans, vt intellectus; & non movens, vt voluntas: Sicque imperium dicit in recto ordinationem ſuperioris, & intellectus; & in oblico motionem inferioris, & voluntatis.

5 Dices: Voluntas imperat actus aliarum potentiarum; & Charitas, pertinens ad voluntatem, actus aliarum virtutum: vt viſum eſt art.ant.num.22. Et non poteſt dicere in recto ordinationem, ſed motionem: cum non ſit ordinativa, ſed motiva: ergo ſimiliter imperium. Reſp. vt ibi num.23. Quod imperat motivè, quatenus movet, vt intellectus imperet, & ordinet tales potentias, & actus. Non elicitivè: cum hoc ſit propriũ intellectus, in quo conſiſtit formaliſsimè imperium.

6 Prob. 2. concluſ. quo ad 1. part. ex dictis art.2. Prædeſtinatio formaliter, & in recto eſt ratio transmiſsionis creaturæ rationalis in vitam æternam; vt ait Divus Thomas: Et iuxta D.Aug. Præſcientia, & præparatio. Et Ang.Mag. quæſt.23. art.2. ad 3. addit: *Prout agens per intellectum dicitur ſe præparare ad agendum.* Et in corp.ait: *Prædeſtinatio eſt quædam pars providentiæ*:: *eſt quædam ratio in intellectu proviſoris*; ſed omnia hæc formaliter dicunt actum intellectus: ergo. Reſpondebis: Prædeſtinationem eſſe rationem, præſcientiam, & alia pertinentia ad intellectum, præſuppoſitivè,aut conſecutivè: quatenus præſupponit intellectum cognoſcentem, dirigentem, & proponentem voluntati, quæ velit, & faciat: aut percipientem, & approbantem, quæ fecit. Vnde formaliter, & in recto non conſiſtit in actu intellectus.

7 Cont. Cum res definitur, deſcribitur, & explicatur, non eſt præcipuè per ea, quæ præſupponit, aut ſubſequuntur, & in oblico imperat: ſed per illa, quæ formaliter, & in recto dicit, ipſamque conſtituunt; ſed SS. DD. definiunt, deſcribunt, & explicant præcipuè prædeſtinationem per actum intellectus; vt per rationem, præſcientiam, & ſimilia: vt patet ex allegatis: ergo. Mai.eſt certa: Quare ſic inepte explicaretur per actum volũtatis, quod conſiſtit in actu intellectus, licèt connotet illum.Et ineptè per actum connotatum intellectus, quod conſiſtit in actu voluntatis. Connotatum namque poteſt ingredi definitionem, & explicationem rei; non præcipuè, ſed minus principaliter; nam præcipuè

puè debet ingredi rectum, & formaliter conſtitutivum.

8 Illuſtratur ratio concluſ. ex Ang. Mag. Prædeſtinatio formaliter, & in recto eſt ratio tranſmiſsionis creaturæ rationalis in vitam æternam; ſed hæc ratio tranſmiſsionis conſiſtit ita in actu intellectus: ergo. Prob. min. Ratio tranſmiſsionis formaliter, & in recto conſiſtit in ratione ordinis, ſivè in ordinatione creaturæ rationalis in vitam æternam; ſed hæc ratio ordinis, ſive ordinatio, eſt actus intellectus: ergo. Mai. eſt Divi Thomæ art. 1. dicentis: *Tranſmiſsionis ratio in Deo præexiſtit, ſicut in eo eſt ratio ordinis omnium in finem.* Si inquiras: Vbi? Reſpondet: *In mente.* Et artic. 2. ait: *In intellectu.* Et poſtea: *Prædeſtinatio eſt quædam ratio ordinis aliquorum in ſalutem æternam, in mente divina exiſtens.* Hinc prædeſtinati dicuntur præordinati Act. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Probat. min. ex S. Doctore 1. 2. quæſt. 17. art. 1. aſſerente: *Ordinare per modum cuiuſdam intimationis eſt rationis.* Et 2. 2. quæſt. 83. art. 1. probat: Orationem pertinere ad intellectum, quia importat ordinationem. Ait enim: *Pertinet ad rationem, cuius eſt ordinare.* Et quæſt. 88. art. 1. propterea dicit de promiſſione: *Eſt actus rationis, ad quem pertinet ordinare.* Et conſtat ex Phyloſopho 4. Meth. aſſerente: *Sapientis eſt ordinare*; ſed ratio, & ſapiens eſt intellectus: ergo.

9 Reſpondebis: Quod intellectui convenit ordinare; non ex conceptu proprio ſpecifico, ſed ex conceptu communi immaterialitatis; qui etiam convenit voluntati, quæ exinde eſt quoque ordinativa. Cont. Si ordinare conveniret intellectui, & voluntati ex conceptu communi immaterialitatis, voluntas ex ſe, & ſine ordine ad intellectum foret ordinativa; ſed non eſt ita ordinativa; vt AA. oppoſiti fatentur: ergo. Mai. patet à paritate: Nam intellectus ex ſe, & ſine tali ordine ad voluntatem, eſt ordinativus. Et etiam ratione: quia immaterialitas convenit voluntati ex ſe, & ſine ordine ad intellectum. Min. conſtat: Siquidem communiter dicunt: Voluntatem eſſe ordinativam ex ſubordinatione ad intellectum. Et ratio eſt: quia voluntas attingit obiectum, vt ei ab intellectu propoſitum: quæ enim ei proponit vt ordinata ad finem, attingit per electionem in ordine ad finem: Quod ſine ordine, vt ipſum finem, attingit per intentionem, & ſine tali ordine. Conſ. eſt optima.

10 Roboratur: Ordinare vnum ad aliud, convenit intellectui ex conceptu proprio ſpecifico; ergo non ex communi aſsig-

nato. Prob.ant. Ordinare vnum ad aliud, eſt conferre, & comparare vnum cum alio, & ad aliud; ſed hoc convenit intellectui ex conceptu proprio ſpecifico: ergo. Prob min. Diſcernere vnum ab alio, ſive inter vnum, & aliud, convenit intellectui ex conceptu proprio ſpecifico; ſed conferre, & comparare vnum cum alio, & ad aliud, convenit intellectui, quia diſcernit vnum ab alio, ſive inter vnum, & aliud: ergo. Maior.eſt certa: Nam eſſe diſcretivum eſt conceptus proprius ſpecificus intellectus: qui ſolus eſt diſcretivus, quia cognoſcitivus, reflexivus, & advertens: cum diſcretio ſit propria rationis. Min.eſt nota: Nam collatio, & comparatio inter aliqua, nequit eſſe ſine diſcretione inter illa: aliunde eſſet cœca, & confuſio maxima, & nectiquam foret ordinatio.

11 Corroboratur: Conferre vnum cum alio convenit intellectui practico; ſicut inferre vnum ex alio, competit ſpeculativo; ſed inferre vnum ex alio convenit intellectui ſpeculativo ex conceptu proprio ſpecifico, & non ex aliquo communi etiam voluntati: ergo conferre vnum cum alio convenit ita practico. Præterea: Ordinare eſt dirigere; ſed dirigere convenit intellectui ex conceptu proprio ſpecifico, & non ex communi voluntati: cum h[...] nullatenus ſit directiva: erg[...] Deinde: Ordinare eſt dirigi[...] ſed eſtò voluntas ſit immateriali[...] non dirigit, ſed attingit obiec[...] ab intellectu directa, quin ip[...] efficiat novam directionem: er[...] nec ordinat, ſed attingit obiec[...] ab intellectu ordinata, quin ip[...] efficiat novam ordinationem. [...] ratio omnium eſt: Quia eſt p[...] tentia cœca, & non directiv[...] diſcretiva, reflexiva, nec ord[...] nativa. Tandem: licèt volunt[...] ſit immaterialis, eſt potentia in[...] ferior, & non ſuperior, ſicut in[...] tellectus; ſed ordinare conveni[...] ſuperiori ex conceptu proprio, & non ex communi etiam inferior[...] quare convenit Prælato, & no[...] ſubditis: ergo.

12 Reſpondebis: Quod prop[...] terea voluntas ex ſe, & per ſe no[...] eſt ordinativa; benè verò ex par[...] ticipatione intellectus. Sicut hi[...] ex ſe, & per ſe non eſt mover[...] quoad exercitium; & tamen e[...] ex participatione voluntatis: prop[...] ter mutuam ſubordinationem, & communicationem vtriuſque. Ho[...] autem manet præventum, & re[...] iectum art.ant.arg.3. Quia ordi[...] nare eſt de ſubſtantia intellectus Movere autem quoad exercitiu[...] non eſt de ſubſtantia, ſed modu[...] voluntatis. Et propterea hoc e[...] participabile ab intellectu, & illud non à voluntate.

13 Reſpondebis: Quod licèt ordinare intelligendo, ſive per modum intelligentis vnum cum ordine ad aliud, quia eſt de ſubſtantia intellectus, ſit ita imparticipabile à voluntate; hæc participat præcisè ordinare, & exinde ordinat volendo, ſive per modum volentis vnum in ordine ad aliud; nempè, media ad finem; ſive per modum proſequentis ordinationem præſcriptam ab intellectu. Cont. Ordinare eſt imprescindibile ab intelligere: ergo. Prob. ant. Non datur ordinare, niſi intelligendo: ergo. Prob.ant. Nō datur ordinare, niſi dirigēdo, & diſcernendo; ſed dirigire, & diſcernere non eſt, niſi intelligendo; vt patet ex dictis: ergo.

14 Dices: Datur movere intelligendo: ergo & ordinare volendo. Prob.conſ. Sicut ordinare eſt proprium intellectus, ita movere voluntatis; ſed: ergo. Reſp. diſcrimen eſſe: Quia implicat ordinare ſine diſcretione; quæ non eſt in volitione, ſed in intellectione. Movere autem poteſt eſſe ſine appetitu, & volitione; per intimationem, & imperium: quod fit intelligendo. Præterea: Nam ordinare ſemper reſpicit rationem veri, & nunquam boni; ſed reſpicientia veri ſemper eſt intelligendo: nam velle eſt cum reſpicientia boni: ergo repugnat ordinare, niſi intelligendo. Prob. mai. Ordinare reſpicit ordinem rerum; ſed ordo rerum ſemper conſiſtit in ratione veri: ergo. Prob.min. Conſiſtit in connexione rerum; vt in ſe; ſed hæc connexio eſt de ratione veri: ergo. Minor. patet in connexione partium artificij, & omnium rerum, vt reſpicientium finem vniverſalem, & particularem.

15 Secundum verò ita ſatisfit: Nam licèt voluntas ordinatè procedat, quia procedit iuxta ordinationem præſcriptam ab intellectu, proponendo vnum alteri, tendendo priùs in vnum, quàm in alium, & volendo vnum propter aliud, vt media propter finem; & ex intentione finis eligat media; non tamen efficit talem ordinem, nec ordinationem; ſed ordinare eſt efficere ordinationem, & non ſolū procedere ordinatè: ergo voluntas minimè ordinat.

16 Prob.concluſ.quoad 2.part. ex Divo Thoma quæſt.22. art.1. ad 3.ita affante: *Providentia eſt in intellectu, ſed præſupponit voluntatem.* Et quæſt.23. art.4. *Dilectio præſupponitur electioni ſecundùm rationem, & electio prædeſtinationi*; ſed prædeſtinatio conſiſtit præſuppoſitivè, & in oblico in eo, quod præſupponit: ergo ita conſiſtit in actu voluntatis. Et q.6.de verit.art.1. tenet hoc expreſsè, ad 1.dicens: *Prædeſtinatio præſupponit electionem, quæ eſt actus voluntatis.*

17 Probat. quoque ratione: Prædeſtinatio eſt pars providentiæ, & providentia prudentiæ; ſed prudentia præſuppoſitivè, & in oblico conſiſtit in actu voluntatis; vt vidimus art.4.n.6.ergo. Præterea: Prędeſtinatio eſt actus intellectus, liber, & efficax per participationem à voluntate: ergo præſupponit actum liberum, & efficacem voluntatis, à quo participet libertatem, & efficaciam: Sicque ſumpta præſuppoſitivè, & in oblico conſiſtit in eo. Prob. conſ. Liberum, & efficax per participationem præſupponit liberum, & efficax formaliter, & per eſſentiam; ſed voluntas eſt libera, & efficax formaliter, & per eſſentiam: ergo. Mai.patet: Nam participans ſupponit participabile, ſive illud, à quo participat: & quia liberum, & efficax participativè eſt ſecundum; quod ſupponit primum liberum, & efficax: quale eſt tale formaliter, & per eſſentiam.

18 Arg. 1. Si prædeſtinatio formaliter, & in recto conſiſteret in actu intellectus, conſiſteret ita in ſcientia; ſed non conſiſtit ita in ſcientia: ergo. Prob.min. Si ita conſiſteret in ſcientia, prædeſtinatio eſſet præſcientia; ſed non eſt præſcientia. ergo. Prob. min. Si prædeſtinatio eſſet præſcientia, quicumque præſciret ſalutem alicuius, prædeſtinaret illum; ſed non quicumque præ illam, prædeſtinat illum: er Min.conſtat: Nam Proph pręſcierunt ſalutem gentium,q non prædeſtinaverunt: cum lius Dei ſit prædeſtinare. Re diſt.mai. Si non ordinaret e ad illam, nego mai. Si ordinar conc.mai & diſt.min. Si non dinat, conc.min. Si ordinat, ne min & conſ. Non ſola ſcient aut præſcientia ſalutis alicui eſt prædeſtinatio eius; ſed q eſt dirigens, & ordinans eum ſalutem, & vitam æternam. Cu igitur non quicumque præſcier vt Propheta, ſed ſolus Deus di gat, & ordinet eum in illa ideò non quicumque, ſed De prædeſtinat: Sicquè prædeſtin tio formaliter, & in recto con ſtit in actu ſcientiæ, & intell ctus. Ita Divus Thomas quæſt. de verit.art.1.ad 4.

19 Cont. Præſcientia vt diri gens, & ordinans non eſt præd ſtinatio: ergo. Prob.ant. Præd ſtinatio importat cauſalitaten ſed pręſcientia non importat ca ſalitatem: ergo. Reſp.diſt mi Præſcientia ſecundùm ſe, con min. Ut dirigens, & ordinan nego min.& conſ. Solutio eſt Di Thomæ ibidem ad 5. aſſerenti *Quamvis cauſalitas non ſit de rati ne ſcientiæ, in quantum huiuſmod eſt tamen de ratione ſcientiæ in quan tum eſt dirigens, & ordinans in ſ*

*tem, quod non eſt voluntatis, ſed rationis tantum: Sicut etiam intelligere eſt de ratione animalis rationalis, non in quantum eſt animal, ſed in quantum eſt rationale.*

20 Cont. Licèt ſcientia, vt dirigens, & ordinans cauſet directivè, prædeſtinatio formaliter, & in recto non conſiſtit in ea: ergo. Prob. ant. Licèt voluntas, vt movens cauſet motivè, prædeſtinatio formaliter, & in recto non conſiſtit in ea: ergo. Prob. conſeq. Sicut in cauſalitate prædeſtinationis concurrit ſcientia dirigens, & ordinans, ita voluntas movens; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Nam cum prædeſtinatio ſit pars providentiæ, quæ in recto dicit ordinationem rerum in finem, & præſuppoſitivè, & in oblico motionem voluntatis ad ordinationem: Similiter in ſe, & in ſua cauſalitate requirit formaliter, & in recto ſcientiam ordinantem, & dirigentem; & non niſi in oblico voluntatem moventem.

21 Cont. Licèt prædeſtinatio ſit pars providentiæ, non dicit ſolam ordinationem rerum in finem, ſed ſuperaddit ei conſecutionem finis; ſed hæc conſecutio requirit actum voluntatis: ergo. Mai. docetur à Divo Thoma loc. cit. aſſerente: *Prædeſtinatio reſpicit etiam exitum, vel eventum ordinis: unde non eſt, niſi eorum, qui gloriam conſequuntur.* Reſp. diſt. min. Requirit præſuppoſitivè, & in oblico, conc. min. Formaliter, & in recto, nego min. & conſ. Patet ex Angel. Mag. ita proſequente: *Prædeſtinatio in actu rationis conſiſtit dirigentis, vel ordinantis in finem: ſed ad directionem in finem præexigitur voluntas finis: nullus enim aliquid in finem ordinat quod non vult.*

22 Arg. 2. Prędeſtinatio formaliter, & in recto conſiſteret in actu intellectus, quia conſiſtit in actu imperij, formaliter, & in recto conſiſtente in actu intellectus; ſed actus imperij formaliter, & in recto non conſiſtit in actu intellectus: ergo. Prob. min. Imperare formaliter, & in recto eſt movere; ſed movere non eſt actus intellectus, ſed voluntatis: ergo. Reſp. diſt. mai. Movere abſolutè, nego mai. Cum intimatione denunciativa, conc. mai. & diſt. min. Movere abſolutè, conc. min. Cum intimatione denunciativa, nego min. & conſ. Movere abſolutè dicit ſolam motionem alicuius. Movere cum intimatione denunciativa importat motionem ordinativam, & præceptivam. Illa motio eſt actus voluntatis. Hæc autem intellectus: Cum rationis ſit ordinare, intimare, denunciare, & præcipere voluntati, & alijs potentijs, opus faciendum. Cumquè imperare ſit movere cum

intimatione denonciativa: ideò formaliter, & in recto conſiſtit in actu intellectus, ipſaque prædeſtinatio. Ita Divus Thomas 1. 2. quæſt. 17. artic. 1. ad 1. dicens: *Imperare non eſt movere quocumque modo, ſed cum quadam intimatione denunciativa ad alterum, quod eſt rationis.*

23 Cont. Imperare formaliter, & in recto conſiſtit in movere abſolutè: ergo. Prob. antec. Non conſiſtit in movere cum intimatione denunciativa: ergo. Prob. ant. Datur intimatio denunciativa, quin ſit imperium: ergo. Prob. ant. Per verbum modi indicativi fit quædam intimatio denunciativa; ſed in ea non eſt imperium: ergo. Mai. eſt manifeſta: Vt cum aliquis dicit alteri: Hoc eſt tibi faciendum. Min. eſt certa: Cum imperium fiat verbo modi imperativi. Reſp. diſting. mai. Motiva, nego maior. Abſoluta, conc. mai. & minor. & nego conſ. Intimatio denunciativa abſoluta exprimitur verbo indicativi. Vt cum dicitur alicui. Hoc eſt tibi faciendum. Motiva verbo imperativi. Vt cum dicitur ei: *Fac hoc.* In hac, & non in illa invenitur imperium: cum illa ſuadeat, hæc præcipiat. Cum igitur hæc ſit intimatio denunciativa motiva, & ſit actus intellectus, & non voluntatis: ideò in ea, & non in actu intellectus conſiſtit imperium. ita D. Thomas loc. cit. in corp.

24 Cont. Imperium non conſiſtit in intimatione denunciativa motiva: ergo. Prob. ant. Non conſiſtit in intimatione denunciativa abſoluta; ſed hæc etiam eſt motiva: ergo. Prob. min. ex Avicena dicente: *Quadruplex eſt movens, ſcilicet, perficiens, diſponens, imperans, & conſilians*; ſed intimatio denũciativa abſoluta eſt ſaltim diſponens, & conſilians: ergo. Min. patet in exemplo allegato. Reſp. admitto auth. cum Divo Thoma ad 1. & diſt. conſ. Motiva abſolutè conc. conſ. Præceptiva, nego conſ. Patet ex dictis, & conſtat ex allegatis: Siquidem Avicena dividit movens per *imperans*, vt ab alijs condiſtinctum: Sentit ergo, imperium non ſtare in qualibet motione, ſed in præceptiva, & imperativa. Cumque prædicta intimatio abſoluta non ſit motiva præceptiva, ſed abſoluta, ſive conſiliativa, vel diſpoſitiva; alia verò aſsignata ſit præceptiva: ideò in hac, & non in illa, eſt imperium.

25 Cont. Hæc intimatio motiva præceptiva non eſt actus intellectus, ſed voluntatis: ergo. Prob. antec. Quælibet motio eſt actus voluntatis, & non intellectus: ergo. Reſp. diſt ant. Motio eſſentialis, conc. ant. participata, nego antec. & conſ. Solutio patet art. antec. arg. 3. Eam confirmat

Ang.Doct.in corp.dicens: *Primum ergo movens in viribus animæ eſt voluntas. Cum ergo ſecundum movens non moveat, niſi in virtute primi moventis, ſequitur quod ratio movet imperando, ſit ei ex virtute voluntatis.*

26 Cont. Imperium conſiſtit in motione eſſentiali; ſed hæc non eſt actus intellectus, ſed voluntatis: ergo. Prob. mai. Conſiſtit in motione participata; ſed hæc nequit eſſe ſine motione eſſentiali: ergo. Reſpond.diſt.minor. Eſſentiali præſuppoſita, conc. minor. Formaliter, & in recto concurrente, nego min.& ita diſt. conſ. Solutio patet ex Divo Thoma ita corp. art. concludente: *Relinquitur quod imperare ſit actus rationis, præſuppoſito actu voluntatis, in cuius virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus.*

27 Arg.3.Imperium eſt actus voluntatis, & non intellectus: ergo prædeſtinatio conſiſtens formaliter, & in recto in actu imperij, non conſiſtit ita in actu intellectus, ſed voluntatis. Prob.antec. Imperare eſt proprium actus liberi; ſed actus voluntatis eſt liber, non verò actus intellectus: ergo. Reſp.diſt. mai. liberi per modum cauſæ, conc. mai. Subiecti, nego mai.& diſt. min. Per modum ſubiecti, conc.min. Cauſæ, nego min. & conſ. Licèt voluntas ſit potentia libera, quia eſt ſubiectum libertatis, quæ eſt in ea, vt exercitium illius. Cauſa tamen talis libertatis eſt intellectus, & ratio: nam voluntas poteſt ferri ad diverſa, quia ratio poteſt habere diverſas apprehenſiones boni, & proponere diverſa volũtati. Cumque imperare ſit actus proprius liberi per modum cauſæ: eo quod imperium ſit cognoſcentis, diſcernentis, & ordinantis: ideò eſt actus rationis, & intellectus, in quo formaliter, & in recto conſiſtit prędeſtinatio. Ita Divus Thomas 1. 2. q. 17. art. 1. ad 2. concludens: *Ideò Philoſophi deſiniunt liberum arbitrium, quod eſt liberum de ratione iudicium, quaſi ratio ſit cauſa libertatis.*

28 Cont. Imperium eſt liberi per modum ſubiecti: ergo eſt actus voluntatis, & non intellectus, liberi per modum cauſæ. Probatur ant. Imperium eſt cuius eſt dominium; ſed dominium eſt liberi per modũ ſubiecti: ergo. Min. patet, cum ſit voluntatis, quæ eſt domina omnium actuum. Reſpondebis diſt.min. dominium pręſuppoſitivè, conc. min. Formaliter, & in recto, nego min. & conſ. Eadem enim eſt ratio de dominio, & imperio. Licèt ergo dominium præſupponat actum voluntatis, & ſic præſuppoſitivè ſit liberi per modum ſubiecti; formaliter, & in recto ſtat in ratione præcipiente, & dominante: Sicque eſt liberi

per modum cauſæ, ſicut ipſum imperium; & vtrumque formaliter, & in recto conſiſtit in actu intellectus. Voluntas namque dicitur domina omnium actuum: quia ratione ducta, & directa movet ad omnes actus; non quia rigorosè imperet, aut dominetur: nam hoc eſt proprium ducentis, dirigentis, & ordinantis; vt eſt intellectus cognoſcens, & ratio diſcernens. Conſtat ex dicto Sancti Gregorij Niceni: *Appetitus obedit rationi.* Nunc D. Thomas: *Ergo rationis eſt imperare.* Cuius rationem reddit, in corp. dicens: *Imperans enim ordinat eum, cui imperat, ad aliquid agendum.*

29 Cont. Dominium formaliter eſt actus voluntatis: ergo. Prob. ant. Dominium formaliter eſt actus dominantis; ſed voluntas dicitur dominans: ergo. Reſpond. diſt. mai. Dominantis per motionem, nego mai. Per ordinationem, & præceptum, conc. mai. & diſt. min. Per motionem, conc. minor. Per ordinationem, & præceptum, nego min. & conſ. Movens ad operationem, dicitur dominans per motionem, quia exercentur operationes, quas vult. Ordinans autem, & præcipiens illas, eſt dominans per ordinationem, & præceptum, quia eliciuntur operationes, quas ordinat, & pręcipit. Hic enim eſt actus formaliſsimus dominij, nam eſt ordinare, & præcipere inferiori, quod faciat aliquid; non præcisè velle, quod fiat. Cumque voluntas ſolo primo modo ſit dominans; intellectus autem ſecundo: ideò dominium formaliter, & in recto eſt actus intellectus, & non voluntatis, quia hic eſt virtualiter in actu pręcipiente intellectus. In quo ſenſu etiam actus voluntatis aliquando appellatur intellectus. Pro quo D. Thomas in corp. ait: *Quia actus voluntatis, & rationis ſupra ſe invicem poſſunt ferri*, prout ſcilicet ratio ratiocinatur de volendo, & voluntas vult ratiocinari, contingit actum voluntatis præveniri ab actu rationis, & è converſò, & quia virtus prioris actus remanet in actu ſequenti, contingit quandoque, quod eſt aliquis actus voluntatis, ſecundum quod manet virtute in ipſo aliquid de actu rationis, vt dictum eſt de vſu, & electione: & è converſò, aliquis eſt actus rationis, *ſecundum quod virtute manet in ipſo aliquid de actu voluntatis.* Hæc D. Thomas.

30 Cont. In dominio, & imperio concurrunt ita actus vtriuſque potentiæ, ſic mutuò ſe habentes: ergo non eſt maior ratio, cur formaliter ſit actus intellectus, quàm voluntatis. Reſp. nego conſ. Ratio eſt D. Thomæ ibidem dicentis: *Imperare autem eſt quidem eſſentialiter actus rationis: imperans enim ordinat eum, cui imperat.*

*rat ad aliquid agendum, intimando, vel denunciando.* Advertit autem hoc poſſe fieri indicativo, aut imperativo, ſic: *Hoc eſt tibi faciendum.* Aut: *Fac hoc.* Motio tamen voluntatis concurrit præſuppoſitivè, & minus principaliter, cum concurrat ita: Volo vt hoc fiat, aut facias. Cum igitur dominium, & imperium formaliter conſiſtat in illo, & ſit actus intellectus: adeò eſt talis ratio maior, vt in actu intellectus conſiſtat. Quare Angel. Mag. concludit, vt num. 26. diximus.

31 Cont. Imperium formaliter non conſiſtit in tali actu rationis: ergo. Prob ant. Imperium formaliter conſiſtit in eo, ad quod ſequitur ſtatim exercitium actus; ſed hoc non ſequitur ſtatim ad talem actum rationis: ergo. Min. conſtat: Siquidem iudicans aliquid eſſe faciendum, non ſtatim exequitur illud. Reſp. diſt minor. Ad actum abſolutum, conc. min. Moventem, nego min. & conſeq. Pro quo Divus Thomas ad 3. ait: *Ratio illa includit, quod imperium non ſit actus rationis abſolutè: ſed cum quadam motione.*

32 Arg. 4 Prædeſtinatio formaliter, & in recto non conſiſtit in actu ſcientiæ: ergo nec in actu intellectus. Prob. antec. Conſiſtit in actu reſpiciente aliquid faciendum; ſed actus ſcientiæ non reſpicit aliquid faciendum: ergo. Mai. eſt certa: Cum prædeſtinatio reſpiciat illud. Prob. minor. Actus ſcientiæ reſpicit ſciendum, & ſcitum: ergo. Reſp. diſt. conſ. Scientiæ ſpeculativæ, conc. conſ. Practicæ, nego conſ. Conſtat ex Divo Thoma quæſt. 6. de verit. art. 1. ad 7. dicente: *Quamvis ſcientia in quantum eſt ſcientia non reſpiciat faciendo: tamen ſcientia practica reſpicit facienda, & ad talem ſcientiam prædeſtinatio reducitur.*

33 Cont. Prædeſtinatio non conſiſtit in actu ſcientiæ practicæ: ergo. Prob. ant. Providentia de bonis non conſiſtit in actu ſcientiæ practicæ; ſed prædeſtinatio eſt providentia de bonis: ergo. Prob. mai. Providentia de malis appropiatur maximè actui ſcientiæ, ſive præſcientiæ: ergo. Prob. conſeq. Cum vnum contrariorum maximè appropiatur alicui, aliud maximè removetur ab eo; ſed: ergo. Min. patet: ideoque mali dicuntur præſciti.

34 Reſp. diſt. mai. Alicui vniverſali, nego maior. Particulari, conc. mai. & diſt. min. Ut cauſæ vniverſali, conc. min. Particulari, nego min & conſ. Cum enim contraria nequeant eſſe ſimul in eodem ſubiecto, nec regulariter procedere à cauſa limitata, qualis eſt particularis; ſi vnum maximè appropriatur alicui, aliud removetur ab ea. Secùs à cauſa vniverſali, à qua varia, diverſa, & con-

contraria proveniunt. Cum igitur Deus ſit cauſa vniverſalis omnium, eiuſquè ſcientia, & præſcientia infinita, qua cuncta ſcit, & comprehendit; etſi ſciat, & præſciat mala, ob quæ aliquos reprobat, eaquè dicantur præſciti, & propterea hoc maximè approprietur eius præſcientiæ; reſtat, vt ad illam maximè pertineant etiam bona, & prædeſtinatio; quæ in actu ſcientiæ practicæ conſiſtit. Pro quo Divus Thomas ad 10. ait: *Mala appropriantur præſcientiæ, non quod præſcientia ſit magis propriè de malis, quàm de bonis; ſed quia bona in Deo habent aliquid aliud reſpondens, quàm præſcientia: mala autem non.* Adducit exemplum in proprio quarto prædicabili: quod denominatur convertibile cum ſubiecto, quia non habet aliud ſpeciale. Et definitio, quæ etiam eſt convertibilis cum definito, non ita denominatur: quia habet aliud ſpecialius, & dignius. Per prædeſtinationem enim non ſolùm eſt in Deo præſcientia prædeſtinati, ſed etiam ordinatio illius ad gloriam per gratiam, auxilia, & merita. Quod eſt ſpecialius, & dignius, quàm ſola præſcientia, licet hac, vt ordinante, omnia fiant. Non tamen eſt ſic in præſcientia reprobationis. Quare evenit prædictum.

35 Arg. 5. Prædeſtinatio eſt motio efficax quoad exercitium actus ſequentis; ſed actus intellectus non eſt motio efficax quoad exercitium actus ſequentis: ergo. Prob. minor. Talis motio efficax quoad exercitium eſt propria voluntatis: ergo. Reſp. diſt. ant. Participabilis ab intellectu, conc. ant. Imparticipabilis, nego antec. & diſt. conſ. Non eſt per ſe, conc. conſ. Per participationem, nego conſ. Voluntas enim virtute propria, & per ſe movet efficaciter quoad exercitium ad actum ſequentem. Intellectus verò virtute voluntatis, & per participationem ab illa. Cumquè hoc ſufficiat, vt actus intellectus ita moveat efficaciter ad exercitium actus ſequentis: ideò movet, & in eo conſiſtit formaliter, & in recto prædeſtinatio.

36 Cont. Intellectus non participat à voluntate movere efficaciter quoad exercitium: ergo. Prob. ant. Non participat ab illa velle: ergo. Prob. conſ. Sicut velle eſt proprium voluntatis, ita movere efficaciter quoad exercitium; ſed; ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia velle eſt de ſubſtantia voluntatis; movere autem ita non; ſed eſt modus, qui participabilis eſt.

37 Cont. Movere ita efficaciter eſt de ſubſtantia voluntatis: ergo.

ergo. Prob.ant. Voluntas movet ita efficaciter per appetitum, & affectum; ſed appetitus, & affectus eſt ſubſtantia voluntatis: ergo. Reſp.diſt.maior. Ita vt motio efficax ſit ſubſtantia appetitus, & affectus, nego mai. Ita vt ſit modus, conc.mai.& minor. &,nego conſ.Sicut enim voluntas volendo movet efficaciter quoad exercitium; ita, & appetendo, & medio affectu: Siquidem ipſa volitio eſt appetitus, & affectus. Motio autem ita efficax eſt modus, & non ſubſtantia reſpectu vtriuſque. Quare intellectus participat illam, quin participet aliud. Vid. art.4.arg.3.

38 Arg 6.Prædeſtinatio non conſiſtit in oblico in eo, quod præſupponit; ſed præſupponit actum voluntatis:ergo. Prob.min. Præſupponit actum electionis;ſed actus electionis eſt actus voluntatis, in quo conſiſteret in oblico: ergo. Reſp.diſt.minor. In oblico præſuppoſitivè, conc.min. Terminativè, nego min. & ita diſt. conſ. Licèt enim non præſupponatur oblicum, in quo aliquid conſiſtit terminativè; præſupponitur oblicum, in quo conſiſtit præſuppoſitivè. Cumquè prædeſtinatio præſuppoſitivè conſiſtat in oblico in electione, & actu voluntatis, movente efficaciter ad actum ſequentem intellectus, qui ab ea participat motionem, & efficaciam: ideò præſupponit talem actum.

39 Cont. Licèt prædeſtinatio præſupponat electionem, non conſiſtit in oblico præſuppoſitivè in illa: ergo.Prob.ant. Licèt præſupponat ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, non conſiſtit in oblico præſuppoſitivè in illa: ergo. Prob.conſ. Sicut electio præcedit prædeſtinationem, ita ſcientia ſimplicis intelligentiæ; ſed: ergo. Reſp.nego conſeq. Diſcrimen eſt: Quia ſolum eſt oblicum, in quo aliquid præſuppoſitivè conſiſtit, quod immediatè præcedit, & præſtat aliquam virtutem recto, & conſtitutivo formali illius.Cum igitur hoc non habeat talis ſcientia, ſed electio, quæ ita præcedit, & præbet actui intellectus, in quo prædeſtinatio formaliter, & in recto conſiſtit, motionem, & efficaciam ad exercitium actus ſequentis: ideò ita conſiſtit in electione, & non in tali ſcientia. Sicut propterea actus fidei, qui in recto eſt intellectus, requirit præſuppoſitivè in oblico piam affectionem voluntatis; non verò actum ſenſus, licèt nihil ſit in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu.

40 Ex quibus conſtat: Quod electio requiritur præſuppoſitivè ad prædeſtinationem: & prædeſtinati ſunt electi à Deo ad gloriam. Ita Divus Thomas art.4.

Quod fundat in illo Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Et probat ratione: In Deo volitio ſalutis æternę aliquorum eſt electio eorum ad gloriam; ſed Deus vult ſalutem æternam prædeſtinatorum, taliſque volitio præſupponitur ad prædeſtinationem: ergo. Prob.min. Prædeſtinatio eſt ordinatio prædeſtinatorum in ſalutem æternam; ſed hęc ordinatio pręſupponit volitionem ſuæ ſalutis æternæ: ergo. Mai.patet: Nam prædeſtinatio eſt pars providentiæ; quæ, ſicut prudendentia, eſt ratio in intellectu exiſtens, præceptiva ordinationis aliquorum in finem. Prob.minor. Non ordinatur aliquid in finem, niſi præexiſtente voluntate finis: ergo. Ant.eſt Ang.Magiſt. Conſ. patet ex ipſo. Imò & tota reſolutio, cum dicat: *Prædeſtinatio ſecundum rationem præſupponit electionem, & electio dilectionem* Pro quo ita proſequitur: *Ad quod pertinet electio, & dilectio.* Dilectio quidem in quantum vult eis bonum ſalutis æternæ. Nam diligere eſt velle alicui bonum. Electio autem in quantum hoc bonum aliquibus prę alijs vult, cum quoſdam reprobet. Electio tamen, & dilectio aliter ordinantur in nobis, & in Deo: Eo quod in nobis voluntas diligendo non cauſat bonum, ſed ex bono præexiſtente incitamur ad diligendum. Et ideò eligimus aliquem, quem dilig mus. Et ſic electio dilectione præcedit in nobis. In Deo aute è converſo. Nam voluntas ei qua vult bonum alicui diligend eſt cauſa quod illud bonum ab prę alijs habeatur. *Vnde omnes p deſtinati ſunt electi, & dilecti.* Ha Divus Thomas.

42 Arg.cont.hoc: Electio e voluntas ſalvādi aliquos prę alij ſed in Deo non eſt talis volunt reſpectu prædeſtinatorum: erg nec ita præcedit electio. Mai.pa tet: Cum importet diſcretionem Prob.min. ex illo 1. Tim.2. *Deu vult omnes homines ſalvos fieri*: er go. Reſp.admitto, & explico Sac Textum cum Divo Thoma ad dicente: *Deus vult omnes homin ſalvos fieri antecedenter*: ( *quod n eſt ſimpliciter velle, ſed ſecundum quid* ) *non autem conſequenter, quo eſt ſimpliciter velle.* Ex quo pate Quod Deus habet voluntate conſequentem, ſimpliciter talem & efficacem ſalvandi aliquos, pr alijs: quæ eſt electio eorum a gloriam.

43 Cont. Talis voluntas con ſequens non eſt electio prædeſti natorum: ergo. Prob.ant. ex D vo Dionyſio cap.4. de divin.nom aſſerente: *Sicut Sol corporeus, n eligendo omnibus corporibus lum immittit, ita & Deus ſuam bonit tem*; ſed Deus tali voluntate co ſequente communicat ſuam bon

ta-

tatem prædeſtinatis: ergo. Reſp. admitto, & explico author. cum Divo Thoma ad 1. ita exponente: *Si conſideretur communicatio bonitatis divinæ in communi, abſque electione bonitatem ſuam communicat, in quantum ſcilicet nihil eſt, quod non participet aliquid de bonitate eius. Sed ſi conſideretur communicatio iſtius, vel illius boni, non abſque electione tribuit, quia quædam bona dat aliquibus, quæ non dat alijs. Et ſic in collatione gratiæ, & gloriæ attenditur electio.* Cum ergo talis voluntas conſequens, & prædeſtinatio ſit collatio gratiæ, & gloriæ: ideò ita eſt electio.

44 Cont. Licèt prædicta voluntas, & prædeſtinatio ſit communicatio talis boni, non eſt electio prædeſtinatorum: ergo. Prob. ant. Electio eſt eorum, quæ ſunt; ſed talis voluntas, & prædeſtinatio eſt ab æterno, cum nondum ſunt predeſtinati: ergo. Reſp. diſt. mai. Electio divina, nego maior. Noſtra, conc. mai. & min. & nego conſ.

45 Cont. Electio noſtra eſt eorum, quæ ſunt: ergo etiam divina. Prob. conſ. Securior eſt electio divina, quàm noſtra; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio aſsignatur ab Aug. Doct. ad 2. aſſerente: *Quando voluntas eligentis provocatur ad eligendum à bono in re præexiſtente, tunc oportet quod electio ſit eorum, quæ ſunt, ſicut accidit in electione noſtra. Sed in Deo eſt aliter, vt dictum eſt. Et ideo ſicut dicit Aug. eliguntur à Deo qui non ſunt, neque tamen errat qui eligit.*

46 Cont. Licèt voluntas divina non moveatur, nec provocetur à bono creato, electio divina eſt eorum, quæ ſunt: ergo. Prob. ant. Electio divina eſt electorum; ſed electi ſunt: ergo. Reſp. diſt. min. Sunt per electionem, conc. min. Ante electionem, nego min. & ſimiliter diſt. conſ. Cont. Electio noſtra eſt eorum, quæ ſunt ante, & non per electionem: ergo etiam divina. Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia electio noſtra nec dat eſſe, nec bonitatem electis; ſicut divina, quæ eſt practica.

## ARTICVLVS SEXTUS.

### *IN QVO ACTV INTELLECTUS conſiſtat formaliter, & in recto Prædeſtinatio.*

1 PRÆMITTO 1. Quod prædeſtinatio formaliter, & in recto non conſiſtit in actu ſcientię ſimplicis intelligentiæ. Ita omnes Thomiſtæ, & communiter alij. Conſtat ex dictis: nam conſiſtit ita in actu intellectus, ſupponente aliquem actum voluntatis; ſed talis actus ſcientiæ nullum actum voluntatis ſupponit: cum ſit proponens obie-

ctum primo actui voluntatis, qui eſt ſimplex volitio: ergo. Deinde: Prædeſtinatio conſiſtit ita in actu intellectus, qui eſt præſcientia; ſed ſcientia ſimplicis intelligentię non eſt præſcientia: ergo. Prob. min. Præſcientia præcedit duratione ſuum obiectum; ſed ſimplex intelligentia in Deo non pręcedit duratione ſuum obiectum: ergo. Mai.eſt certa: Cum ſit ſcientia anticipata. Prob.min. Obiectum ſcientię ſimplicis intelligentię diuinæ ſunt poſsibilia; ſed non pręcedit duratione poſsibilia: ergo. Mai.eſt certa: Cum ſit obiectum ſecundùm ſe. Min. eſt manifeſta: Cum poſsibilia ſint ab æterno.

2 Præterea: Præſcientia eſt ſcientia futurorum; ſed in Deo ſimplex intelligentia non eſt ſciētia futurorum; ſed poſsibilium: ergo non eſt præſcientia, in qua ita conſiſtit prædeſtinatio. Tandem: Prædeſtinatio ita conſiſtit in ſcientia futurorum; ſed ſcientia ſimplicis intelligentiæ non eſt futurorum, ſed poſsibilium: ergo. Maior. patet: Cum ſit ordinatio eorum ad conſequendam gloriam. Min.conſtat: Nam eſt de obiectis ſecundùm ſe, & præciſiuè à tali ordine. Denique: Prædeſtinatio conſiſtit ita in aliquo libero Dei; ſed ſcientia ſimplicis intelligentię non eſt Deo libera, ſed neceſſaria: quia non eſt adiuncta actui voluntatis, à quo participet libertatem, cum omnem actum voluntati præcedat: & quia eſt de poſsibilibus, quæ ſunt neceſſaria: ergo.

3 Pręmitto 2. Quod non conſiſtit in iudicio regulante intentionem conferendi gloriam prædeſtinatis, ſiue electionem eorum ad gloriam. Ita omnes Thomiſtę. Patet ex prædictis; & docetur à Diuo Thoma art.4. cum dicat: Prædeſtinationem ſupponere talem electionem, & intentionem; ſed hæc ſupponit tale iudicium, vt regulans ipſam: ergo. Probatur etiam: Tale iudicium non eſt de medijs ordinatis ad finem prędeſtinationis, ſed de fine ipſius: ſed prædeſtinatio formaliter, & in recto conſiſtit in actu ordinante media ad finem, & non de fine prædeſtinationis: ergo.Maior.eſt certa: Cum regulet intentionem finis, & gloriæ; & non media ad conſecutionem illius. Min.eſt manifeſta in antecedentibus.

4 Præmitto 3. Quod non conſiſtit in iudicio indifferente, ſecuto ad intentionem, & præcedente electionem. Sic cuncti Thomiſtæ. Probatur: Tale iudicium non eſt ordinatio efficax, nec per media determinata, prædeſtinatorum ad gloriam; ſed prædeſtinatio ita conſiſtit in ordinatione efficaci, per media determinata prædeſtinatorum ad gloriam ergo. Maior. patet: Cum per illud

indifferenter proponantur omnia media poſsibilia, efficacia, & inefficacia; & non inferat efficaciter electionem aliquorum. Nec conſiſtit in actu conſilij: cum hoc non ſit ita ordinativum.

5 Præmitto 4. Quod non conſiſtit in iudicio practico determinato, & libero, præcedente, & regulante, electionem mediorum. ita communiter Thomiſtæ. Licet Emin. Caiet. M. Bañez, Alvarez, Zumel, & Carraſco affirment; ſicut & P. Suar. Molina, Arrubal, Azor, & alij. Prob. ratione: Prædeſtinatio ita conſiſtit in actu ſupponēte electionem mediorum ad gloriam; ſed iudicium regulans electionem mediorum ad gloriam, eam non ſupponit, ſed præcedit: ergo. Probat. mai. Ordinatio mediorum ad finem, ſupponit electionem mediorum ad ipſum finem; ſed prædeſtinatio ita conſiſtit in actu ordinante media ad gloriam; ergo. Mai. eſt certa: Nam ordinatio eſt mediorum electorum. Min. eſt ſatis oſtenſa, & docetur à Divo Thoma art. 4.

6 Difficultas eſt: An conſiſtat in actu imperij. Hic actus ſequitur in intellectu poſt electionem mediorum. De quo aliqua diximus ex D. Thoma 1.2. quæſt. 17. Aliud autem dicitur monaſticum: quo agens imperat ſibi actus proprios, in ordine ad ſe. Aliud dominativum: quo imperat in ordine ad effectus extrinſecos; M. Carraſco cum Nazario, Baptiſta, Joan. à S. Thoma, & nuper citatis negat imperium monaſticum in Deo. Ipſum tamen concedunt Illuſt. Araujo, Alvelda, Ferra, Ildephonſ. Mic. Godoy, Gonet, Lezana, Ferre, Bolivar, & PP. Salm. Secundum vtique omnes debent admittere: cum Deus ſic imperet paſsivam productionem, & gubernationem creaturarum. Conſtat ex illo Geneſ. 1. *Fiat lux, & facta eſt lux.* Et Pſal. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt.* Hinc Divus Thomas 3 cont. Gent. cap. 64. ait: *Scriptura Deum Dominum, & Regem profitetur, ſecundùm illud Pſal. Dominus ipſe eſt Deus. Et idem, Rex omnis terræ Deus. Regis enim, & Domini eſt ſuo imperio regere, & gubernare ſubditos. Vnde & rerum curſum Sacra Scriptura divino imperio adſcribit.*

7 Imperium verò dicitur executivum: quia eſt directivum, ordinativum, & motivum voluntatis ad vſum, & potentiæ executivæ ad executionem. In Deo autem potentia executiva eſt ipſe intellectus practicus, vt habens adiunctum actum voluntatis, quo applicatur ad opus. Ita communiter AA cum Divo Thoma q. 14. art 8 vbi reſolvit: Scientiam Dei eſſe cauſam rerum, & concludit:

*Deus per intellectum ſuum cauſat res. Vnde neceſſe eſt, quod ſua ſcientia ſit cauſa rerum, ſecundum quod habet voluntatem coniunctam.* Et quæſt.25. art.1.ad 4 ait: *Conſideratio ſcientiæ, & voluntatis præcedit in Deo conſiderationem potentiæ.* Et adſtruens inter eas diſtinctionem rationis, inquit: *In quantum, ſcilicet potentia importat rationem principij exequentis id, quod voluntas imperat, & ad quod ſcientia dirigit.* Ex quo ſequitur: Quod intellectus, vt cognoſcitivus, ordinativus, & directivus imperat ſibi, vt potentiæ executivæ, ſive exequenti.

8 Concluſio: Prædeſtinatio formaliter, & in recto ſumpta conſiſtit in actu intellectus, qui dicitur imperium executivum. Ita communiter Thomiſtæ; præcipuè Godoy, Gonet, Ferre, Joann. à S.Thoma, Lezana, Bieſcas, Contenſon, Bolivar, PP.Salm.& alij. Videtur conformis menti Divi Thomæ art.4. aſſerentis: *Prædeſtinatio eſt pars providentiæ. Providentia autem, ſicut & prudentia, eſt ratio in intellectu exiſtens præceptiva ordinationis aliquorum in finem*; ſed ratio ita præceptiva eſt actus intellectus, qui dicitur imperium: ergo. Min.patet: Nam actus iudicij practici proponit media voluntati; ea verò non ordinat in finem, nec præcipit ordinationem per ea; & quia præcipere eſt imperare. Et quæſt.22.art.1.ad 1. ait: *Secundum Philoſophum in 6. Ethic. Providentia proprie eſt præceptiva eorum, de quibus Eubulia rectè conſiliatur, & Sineſis rectè iudicat.* Et in corp.prævenit de providentia: *Eſt enim principalis pars prudentiæ.* Et ad 1 proſequitur: *Præcipere de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet, competit Deo, ſecundum illud Pſal. Præceptum poſſuit, & non præterivit. Et ſecundum hoc competit Deo ratio prudentiæ, & providentiæ*; ſed iuxta Sanct.Doct. prædeſtinatio eſt pars providentiæ: ergo eſt propriè præceptiva, & imperativa: Sicquè conſiſtit in actu intellectus, qui dicitur imperium, ſupponente conſilium, & iudicium præcedens electionem.

9 Illuſtratur: Prudentia, ſicut providentia, & prædeſtinatio, formaliter, & in recto conſiſtit in ſuo actu proprio; ſed actus proprius prudentiæ eſt ita præcipere, ſive ordinare media in finem; quod fit tali actu imperij: ergo. Min.patet ex Divo Thoma loc.cit. Et 2.2. quæſt.47.artic.8. id reſolvit, & ait: *Oportet quod ille ſit præcipuus actus prudentiæ, qui eſt præcipuus actus rationis agibilium.* Cuius quidem ſunt tres actus, quorum primus eſt conſiliari: quod pertinet ad inventionem. Nam conſiliari eſt quærere. Secundus actus eſt iudicare de in-

ven-

ventis, & hoc facit ſpeculativa ratio. Sed practica ratio quæ ordinatur ad opus, præcedit vlterius. Et eſt tertius actus eius præcipere, qui quidem actus conſiſtit in applicatione conſiliatorum, & iudicatorum ad operandum. Et quia iſte actus eſt propinquior fini rationis practicæ, inde eſt quod iſte eſt principalis actus *rationis practicæ, & per conſequens prudentiæ*.

10 Reſpondebis: Quod loquitur de imperio præcedente electionem mediorum; nempè, de iudicio libero practico, illam regulante. Quod ſuo modo eſt imperium, in quo conſiſtit prudentia, providentia, & prædeſtinatio. Non tamen de ſubſecuto ad illam, à nobis aſsignato. Cont. Loquitur de imperio, de quo dicitur in Pſal. *Præceptum poſſuit*; ſed hoc eſt poſt electionem, & non ante: cum ſit executivum, & imperans vſum voluntatis, & exercitium potentiæ exequentis: ergo. Præterea: Loquitur de imperio, & actu præceptivo; ſed iudicium præcedens electionem mediorum, non eſt præceptivum, nec imperium: cum non præcipiat, nec imperet, ſed proponat voluntati media eligenda: ergo.

11 Dices propterea: Loqui de prudentia humana; non de divina. Ineptè tamen; cum loc. cit. quæſt. 22. & 23. loquatur de prudentia prout in Deo; & de providentia, & prædeſtinatione; affirmans: eſſe ita præceptivam. Reſpondebis: Prudentiam humanam fore primariò præceptivam. Divinam autem ſecundariò: cum imperium, in quo ſtat præceptum, ſit illius executio; quæ eſt actus ſecundarius: nam primarius præcedit illud, & eſt iudicium liberum practicum, regulans electionem mediorum; quod eſt actus internus, & alius eſt quaſi externus, & ſecundarius, à quo ſumit denominationem. Sicut ars domificatoria denominatur ſic à domificatione: non quia hæc ſit actus internus, nec primarius illius; ſed quia eſt executio, & actus externus eius. Sicut prudentia dicitur etiam gubernativa; & tamen gubernatio non eſt actus primarius, ſed ſecundarius, & executio ipſius.

12 Cont. Divus Thomas eodem modo deſcribit ex Philoſopho quæſt 22. art. 1. & 2. 2. quæſt. 47. art. 8. actus prudentiæ: & vtrobique pro conſilio aſsignat Eubuliam, pro iudicio Sineſim, & pro præcepto, ſive imperio prudentiam. De qua primo loco ait: *Secundum quem modum prudentia, vel providentia Deo convenire poteſt*; ſed in 2. 2. affirmat ex Philoſopho: prudentiam eſſe primariò præceptivam, ſive actum principalem illius

illius eſſe præcipere, & imperare: ergo prudentia divina, de qua loquitur, eſt primariò præceptiva, ſicut humana. Deinde: Sicut actus præcipuus dicitur primarius; ita & proprius, ſive propriè conveniens; ſed ſicut Divus Thomas 2. 2. ait de prudentia humana: quod eius actus præcipuus eſt præcipere, ita de divina aſſerit in 1. part. quod propriè eſt præceptiva, & quod illius eſt ordinare alia in finem: ergo.

13 Confirmatur: Ang. Magiſter condiſtinguit quoquè in Deo tres prædictos actus, & pro illis tres aſsignatas virtutes; ſed pro conſilio aſsignat Eubuliam, pro iudicio Sineſim, & pro præcepto, ſive imperio prudentiam: ergo cum illi actus ſint primarij earum, præcipere erit actus primarius prudentiæ. Reſpondebis: quod prudentia in Deo diſtinguitur ab illis, non quia primariò, ſed quia ſecundariò eſt præceptiva. Cont. Eubulia in Deo diſtinguitur ab illis, quia primariò eſt rectè conſiliativa: & Sineſis, quia primariò iudicativa: ergo. Ant patet in Divo Thoma quæſt. 22. artic. 1. ad 1. aſſerente pro prima parte: *Ratio rerum agendarum conſilium in Deo dicitur, non propter inquiſitionem, ſed propter certitudinem cognitionis, ad quam conſiliantes inquirendo perveniunt. Vnde dicitur Epheſ. 1. Qui operatur omnia ſecundum conſilium.*

14 Dices: Quod prudentia divina non poteſt eſſe primariò præceptiva, ſicut humana: quia non eſt ordinativa, nec directiva actus divini, nec regula ſuæ voluntatis, nec virtutum moralium, ſicut eſt humana; in quo ſtat ratio primaria prudentiæ. Hoc enim ſolùm habet reſpectu creaturarum: Sicquè reſpectu earum eſt præceptiva ſecundariò, & quaſi executivè. Cont. Ad conceptum primarium prudentiæ ſufficit ordinare, & dirigere ſe ipſum, vel alia in finem: ergo. Prob. ant. ex Ang. Mag. in corp. aſſerente: *Prudentiæ autem proprium eſt ſecund. Philip. in 6 Ethic. ordinare alia in finem, ſive reſpectu ſui ipſius, ſicut dicitur homo prudens, qui benè ordinat actus ſuos ad finem vitæ ſuæ: Sive reſpectu aliorum ſibi ſubiectorum. Secundum quem modum prudentia, vel providentia Deo convenire poteſt. Nam in ipſo Deo nihil eſt in finem ordinabile, cum ipſe ſit finis vltimus. Ipſa igitur ratio ordinis rerum in finem providentia in Deo nominatur:* ergo.

15 Roboratur: Sicut prudentia eſt præceptiva, ita Eubulia eſt conſiliativa; ſed in Deo eſt Eubulia cum ſua primaria ratione, nempè, cum conſilio, vt eſt certa ratio agendarum, licèt non vt dicens dubium, & inquiſitionem ex parte Dei; vt inſinuat Divus Thomas ad 1. ergo etiam eſt

pru-

prudentia cum ſua ratione primaria; quæ erit ratio ordinis creaturarum in finem. Unde iuxta hæc, prudentia formaliſſimè ſumpta dicit primariò ordinationem, & directionem alicuius in finem. In homine, etiam ſubiectivè, & ex parte ipſius. In Deo autem terminativè, obiectivè, & ex parte creaturarum. Deus namquè dicitur prudens, & habens prudentiam ſub conceptu eſſentiali, & primario: quia ordinat creaturas in ſuam finem. Sicut habet ſcientiam, quæ eſt cognitio rei per cauſam: non quia ſubiectivè, & ex parte ſui vna cognitio ſit cauſa alterius; ſed obiectivè, & quia cognoſcit obiectum principiorum, vt cauſam obiecti concluſionis.

16 Præterea admittimus in Deo prudentiam, & imperium reſpectu ſui, & ſuorum actuum, ſine diſtinctione reali, cum ſola virtuali: nam poſt actum electionis mediorum, elicit actum intellectus ordinantem ea in finem, quo intimat voluntati, eamquè movet, & ei præcipit vſum illius, & potentiæ executivæ executionem eorum. Sicut, cum ſimili diſtinctione ex parte ſui, adſtruimus in Deo ſcientiam, & cognitionem rei per cauſam. Nec ad imperium requiritur ordinatio in finem ex parte ſubiecti, ſed ex parte rerum, in quibus exercetur, ſeu ſit executio eius, ſive gubernatio illius. Nunc formatur hic diſcurſus, quo ſatisfit inſinuatis. In Deo non ſolùm eſt executio ordinis rerum, quæ dicitur gubernatio, ſed etiam ratio talis ordinationis; ſed in hac ſtat prudentia, & providentia divina: ergo non ſtat in tali executione, quæ adſtruitur ſecundaria. Quare Ang. Præc. ad 2 ait: *Ad Curam duo pertinent, ſcilicet ratio ordinis, quæ dicitur providentia, & diſpoſitio, & executio ordinis, quæ diciturgubernatio.* Et in corp. aſſerit: *Neceſſe eſt, quod ratio ordinis rerum in finem in mente divina præexiſtat.*

17 Prob. 1. concluſ. ratione: Prædeſtinatio formaliter, & in recto conſiſtit in actu intellectus, efficaciter ordinante creaturam rationalem, per media determinata efficacia, in vitam æternam; ſed hic actus eſt imperium: ergo. Mai. patet ex Divo Thoma art. 1. aſſerente: *Ratio prædictæ tranſmiſſionis creaturæ rationalis in vitam æternam, prædeſtinatio nominatur.* Et paulò ante: *In eo eſt ratio omnium in finem.* Et art. 2. ait: *Prædeſtinatio eſt quædam ratio ordinis aliquorum in ſalutem æternam in mente divina exiſtens.* Et talis ratio, & tranſmiſſio conſiſtit in actu intellectus, ſic ordinante. Minor. conſtat ex Angel. Doct. 1. 2. quæſt. 17 artic. 1. dicente: *Imperans enim ordinat eum, cui imperat ad aliquid agen-*

*agendum, intimando, vel denunciando.*

18 Reſpondebis: Quod hæc tranſmiſsio, ratio ordinis, & ordinatio fit iudicio libero practico, regulante electionem mediorum; in quo ita conſiſtit prædeſtinatio. Hæc reſponſio manet reiecta n. 5. Impugnatur iterum: Judicium liberum practicum, regulans electionem mediorum ad vitam æternam, non ordinat creaturam rationalem per media in vitam æternam: ergo eo non fit, nec in illo ita conſiſtit prædeſtinatio. Prob ant. Non ordinat talia media in vitam æternam: ergo Prob. ant. Ordinatio mediorum in finem, ſupponit electionem eorum; ſed tale iudicium non ſupponit electionem mediorum: ergo. Mai. patet: Cum ordinet media electa. Min. conſtat: Nam regulat ipſam electionem faciendam.

19 Roboratur: Tale iudicium practicum proponit voluntati media eligenda: ergo non ordinat media ad finem, ſive ad conſecutionem vitæ æternæ. Prob. conſ. Propoſitio mediorum voluntati, & ordinatio eorum ad talem conſecutionem, ſunt actus diverſi intellectus; ſed: ergo. Prob. mai. Propoſitio mediorum eſt ante electionem eorum; ordinatio verò eſt poſt illam: cum ſit ad vſum voluntatis, & exercitium potentiæ executive; ſed cum ita mediat actus voluntatis, actus intellectus ſunt diverſi: ergo.

20 Corroboratur: Ordinat aliquorum in finem, ſupponit v litionem finis: ergo talis act intellectus, qui eſt ordinatio m diorum in finem, ſupponit vo tionem, ſive electionem medi rum; & non fiet iudicio practic eam regulante, & præcedent Ant. eſt Divi Thomę art. 4. dice tis: *Non autem præcipitur aliqu ordinandum in finem, niſi præexiſte te voluntate finis. Vnde prædeſtinat aliquorum in ſalutem æternam præſu ponit ſecundum rationem, quod De illorum velit ſalutem.* Conſeq. pate Nam ſicut eſt ordinatio in finem ita eſt ordinatio per media: Sic ergo eſt in finem iam volitum debet eſſe per media iam volit & electa.

21 Formalizatur: Deus nc ordinat creaturam rationalem niſi in finem intentum, & ia volitum: ergo nec eam ordina niſi per media electa, & iam vo lita. Prob. conſ. Talis ordinati creaturæ rationalis eſt per medi in finem; ſed: ergo. Prætere Ideò ordinatio eſt in finem inten tum, & iam volitum, quia eſt a conſecutionem ipſius; quæ ſu ponit intentionem eius; ſed etia eſt ordinatio mediorum ad ta lem conſecutionem: ergo. Conſe patet: Nam ſicut finis inſpectu vt aſſequendus, ſupponitur vo litus, & intentus, ita medi inſpecta reſpectu talis aſſecutio

nis,

nis, ſupponuntur volita, & electa.

22 Dices: Quod in tali iudicio practico eſt duplex formalitas. Vna, qua regulat electionem. Alia, qua ordinat media electa in finem. Sub prima præcedit electionem. Sub ſecunda ſubſequitur eam. Quæ mediat inter duas formalitates aſsignatas. Videtur tamen difficile, quod actus voluntatis mediet inter formalitates eiuſdem actus intellectus, & non inter actus diverſos: cum extrema magis diſtent inter ſe, quàm diſtet medium ab illis. Præterea: In Deo non eſt dabilis actus voluntatis, cum ſimili duplici formalitate, inter quas mediet actus intellectus: ergo nec actus intellectus, cum tali duplici formalitate, inter quas mediet actus voluntatis. Ant. eſt certum: Ideòquè idem actus voluntatis nequit in Deo eſſe intentio finis, & electio mediorum, inter quas mediet tale iudicium practicum.

23 Deinde: In Deo idem actus intellectus nequit ſub vna formalitate regulare intentionem finis mediantem, & ſub alia electionem mediorum ſubſecutam: ergo nec regulare hanc, & ſub alia ordinare media electa ad vſum, & executionem; ſive dirigere vſum voluntatis. Hinc Divus Thomas 1.2. quæſt. 17. artic. 3. ad 1. ait: *Non omnis actus voluntatis præcedit hunc actum rationis, qui eſt imperium; ſed aliquis præcedit, ſcilicet electio, & aliquis ſequitur, ſcilicet vſus: quia poſt determinationem conſilij, quæ eſt iudicium rationis, voluntas eligit, & poſt electionem, ratio imperat ei, per quod agendum eſt, quod eligitur, & tunc demum voluntas alicuius incipit vti exequendo imperium rationis.*

24 Rurſus: Si tale iudicium practicum habet aliquam formalitatem ordinationis, eſt expreſſa per verbum modi indicativi: *Hoc eſt tibi faciendum.* Non per verbum imperativi: *Fac hoc*; ſed hæc ordinatio requiritur ad preceptum, & imperium movens ad vſum voluntatis, & ad exercitium potentiæ executivæ; vt vidimus cum Divo Thoma, & ait quæſt. cit. art. 1. Ergo non habet formalitatem præcepti, nec imperij; quæ erit in actu ſequente, à nobis aſsignato. Etſi hanc illi etiam attribuant, erit quaſi quæſtio de nomine: An ſit formalitas, vel actus diſtinctus? In eaquè ſtabit prædeſtinatio, ſicut conſiſtit in actu imperij prædicto.

25 Dices: Quod huic actui, à nobis aſsignato, deficit ratio, & formalitas imperij: quia imperium intimat, & movet, ordinando eum, cui imperat, in finem; & in Deo nil eſt ordinabile in finem. Hoc autem iam manet præoccupatum: Sicut & quod ſo-

lum ſit executio, & gubernatio rerum, ſive prædeſtinationis: Siquidem eſt intimatio, & motio voluntatis ad vſum; & potentiæ executivæ Dei ad opus, & exercitium prædeſtinationis, quibus fit executio,& gubernatio: in quo ſtat rigoroſa ratio, & formalitas imperij, quo Deus ſibi, ſeu ſuis actibus imperat. Ad quod non requiritur, quod ipſe, nec eius actus, ordinetur in finem; ſed ſufficit, quod ex parte obiecti ſit talis ordinatio.

26 Probat. 2. concluſ. ratione Divi Thomæ: Prędeſtinatio formaliter, & in recto conſiſtit in actu intellectus, ſupponente electionem perſonæ prædeſtinatæ, & mediorum; ſed licèt iudicium liberum practicum ſupponat electionem perſonæ prædeſtinatæ, non ſupponit, ſed præcedit electionem mediorum ad conſecutionem gloriæ, quàm etiam ſupponit actus imperij: ergo in hoc, & non in illo, ita conſiſtit. Prob. mai. ex Divo Thoma quæſt. 6. de verit. art. 1. ita affante: *Prædeſtinatio in actu rationis conſiſtit dirigentis, vel ordinantis in finem: ſed ad directionem finis præexigitur voluntas finis :: & ideo prædeſtinatio præſupponit dilectionem, per quam Deus vult ſalutem alicuius :: Præexigitur etiam electio, per quam ille, qui in finem infallibiliter dirigitur, ab alijs ſeparatur.* Et ad 3. ait; *Prius autem eſt accipere illum, qui dirigitur in finem, quàm ipſum dirigere in finem: & ideo electio in propoſi. prædeſtinationem præcedit*: ergo.

27 Expenditur ratio: Prędeſtinatio formaliter, & in recto conſiſtit in actu, quo certæ, & determinatæ creaturæ rationales tranſmittuntur efficaciter in gloriam, per certa, determinata, & efficacia media, per quæ in tempore, de facto illam conſequantur; ſed hoc non fit iudicio libero practico præcedente, ſed imperio prædicto, ſupponente electionem perſonæ prædeſtinatæ, & talium mediorum: ergo. Mai. eſt innegabilis iuxtà relata Divi Thomæ, & admiſſa definitione adducta prædeſtinationis. Prob. min. Tale iudicium proponit voluntati plurima media efficacia, per quæ poſſit conſequi gloriam; & non ſunt determinata illa, per quæ eam conſequetur, vſquè dum voluntas eligit ea: quæ eſt libera, vt eligat media propoſita, vel non, & poteſt ea non eligere: Sic autem electa iam ſunt determinata, & ſequitur imperium intellectus, vt voluntas eis vtatur: ergo.

28 Illuſtratur: Propoſitio mediorum, etſi efficacium, ad conſecutionem finis, nondum amplexa, ſed liberè amplectenda, non eſt ordinatio efficax alicuius per illa in finem; ſed tale iudicium practicum eſt huiuſmo

propoſitio: ergo non eſt ita ordinatio efficax, in qua ſic conſiſtit prædeſtinatio. Mai.patet: Cum adhuc ſit indifferentia pro tali ordinatione. Min.conſtat: Cum voluntas adhuc ſit libera, vt eam amplectatur, vel non: & vt eligat, vel non eligat media: cum electio ſit actus liber. Tale enim iudicium proponit, & dicit voluntati: *Hoc eſt tibi faciendum.* Sive: *Hoc eſt conveniens facere.* Imperium autem, cum ſupponat media electa determinata, præcipit voluntati ſic: *Fac hoc.* Quare eſt ordinatio efficax, in qua prædeſtinatio conſiſtit.

29 Dices: Quod tale iudicium ſupponit electionem creaturæ rationalis ad gloriam, & huius volitionem; & etiam ordinat media; per quæ conſequatur illam, cum ea proponat voluntati: Sicquè eſt ordinatio. Cont. Prædeſtinatio eſt ordinatio creaturæ rationalis ad gloriam per determinata media; ſed tale iudicium non eſt ordinatio per determinata media: ergo. Mai.patet: Nam eſt ordinatio determinatæ creaturæ, & perſonæ, & iam volitæ, & electæ: igitur etiam per determinata media, iam volita, & electa. Prob.minor. Solùm eſt ordinatio, præparatio, & propoſitio plurium mediorum, quæ proponit cum indifferentia voluntati, vt pro ſuo libito eligat illa: ergo.

30 Roboratur: Tale iudicium non ſolùm proponit voluntati media, quæ eligit, ſed etiam quæ poſſet eligere, & omittit; ſed prædeſtinatio conſiſtit in actu ordinante per determinata media, quæ ſunt electa, & non quæ poſſent eligi, nec omiſſa, aut non electa: ergo non conſiſtit in tali iudicio, ſed in imperio ita ordinante. Corroboratur: Licèt tale iudicium proponeret ſola media eligenda; voluntas eſſet libera ad eligenda, & non eligenda illa; & ad eligenda non propoſita, cum ei proponerentur; & ad non eligendum quodlibet eorum: Cum eſſet libera libertate contrarietatis, & contradictionis: ergo per tale iudicium media non ſunt determinata, ſed poſtquàm ſunt electa: Sicquè in eo non ſtat ordinatio efficax creaturæ rationalis ad gloriam per determinata media, ſed in actu imperij, in quo prædeſtinatio formaliter, & in recto conſiſtit.

31 Arg.1.cont.1.præmiſſ. Prędeſtinatio formaliter, & in recto conſiſtit in actu ſcientiæ; ſed non in actu ſcientiæ viſionis: ergo in actu ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ. Prob.min. Prædeſtinatio formaliter, & in recto conſiſtit in actu cauſante ſuum obiectum; ſed ſcientia viſionis non cauſat ſuum obiectum: ergo. Maior.eſt certa: Siquidem cauſat gloriam. Min;

patet: Cum ſupponat illud cauſatum. Reſp. diſt. minor. Scientia ſpeculativa, conc. min. Practica, nego min. & ita diſt. conſ. Licèt ſcientia purè ſpeculativa viſionis non cauſet ſuum obiectum, quia illud ſupponit cauſatum, & exiſtens: cum præcisè ipſum contempletur; practica autem cauſat illud, eique præbet exiſtentiam. Cumquè ſcientia, in qua ita conſiſtit prædeſtinatio, ſit practica: ideò ſic eſt ſcientia viſionis, & non ſimplicis intelligentiæ.

32 Cont. Prædeſtinatio non conſiſtit ita in actu ſcientiæ practicæ viſionis: ergo. Prob. antec. Prædeſtinatio ita conſiſtit in actu ſcientię dirigentis voluntatem; ſed hic non eſt actus ſcientiæ practicæ viſionis: ergo. Prob. minor. Scientia ſimplicis intelligentię dirigit voluntatem circa prædeſtinationem: ergo. Ant. eſt certum: Cum proponat ei finem prædeſtinationis; nempè, gloriam; & perſonas prædeſtinandas. Probat. conſ. Duplex ſcientia non dirigit voluntatem circa prædeſtinationem; ſed: ergo. Reſp. diſt. maior. Eodem modo acceptam, conc. mai. Diverſo, nego mai. & diſt. minor. Preſuppoſitivè acceptam, conc. min. Formaliter, nego min. & hoc modo diſt. conſ. Prædeſtinatio poteſt conſiderari pręſuppoſitivè, ſive intentivè, pro intentione conferendi gloriam, & electione creaturæ rationalis ad illam. Et formaliter, pro ordinatione illius ad gloriam, per media electa, & determinata. Et licèt præſuppoſitivè accepta dirigatur ſcientia ſimplicis intelligentiæ; vt proponit inſtantia. Conſiderata formaliter, dirigitur actu ſcientiæ practicæ viſionis qui eſt liber, concurrens ad opus itaquè ordinans creaturam rationalem ad gloriam. Cum igitur loquamur de conſtitutivo prædeſtinationis formaliter acceptæ: ideò hæc ſic dirigitur actu ſcientiæ practicæ viſionis; in quo conſiſtit, & non in actu ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ.

33 Cont. Prædeſtinatio formaliter accepta non dirigitur ſcientia practica viſionis: ergo. Prob. ant. Prædeſtinatio non cadit ſub merito; ſed ſi formaliter accepta dirigeretur ſcientia practica viſionis, caderet ſub merito: ergo. Maior. eſt communis in ſententia aſſerente: Eſſe ante pręviſa merita. Minor. patet: Cum ſupponeret merita præviſa, propter quæ Deus conferret gloriam. Reſp. diſt. mai. Prædeſtinatio intentivè ſumpta, conc. mai. Executivè accepta, nego mai. & diſt. min. Executivè, conc. min. Intentivè, nego min. & conſ. Prædeſtinatio intentivè ſumpta eſt intentio conferendi gloriam. Executivè accepta eſt ordinatio prædeſtina-

torum ad gloriam. Illa non cadit ſub merito, ſed eſt ante præviſa merita: vt docent Thomiſtæ cum Divo Thoma: Cum Deus omninò liberaliter, & gratuitò intendat conferre illam, & eligat creaturas rationales ad gloriam. Hæc autem cadit ſub meritò, & eſt poſt prævisionem meritorum: cum ſupponat merita, & media propoſita ab intellectu voluntati divinæ; quæ illa eligit, quia liberè vult; & exinde intellectus imperet ei, & moveat eam, & potentiam exequentem, vt conferat gloriam propter illa, ad quam per ea ordinat creaturas rationales. Cumquè prædeſtinatio executivè ſit formaliter accepta: ideò cum dirigatur ſic ſcientia practica viſionis, formaliter ſumpta dirigitur ea, & in illa conſiſtit.

34 Cont. Prædeſtinatio formaliter ſumpta non cadit ſub merito: ergo. Prob.ant. Prædeſtinatio intentivè ſumpta non cadit ſub merito; ſed prædeſtinatio intentivè ſumpta eſt formaliter accepta: ergo. Prob.min. Cum eſt intentio, & electio prædeſtinatorum ad gloriam, iam eſt formaliter prædeſtinatio: ergo. Prob. ant. Cum eſt talis intentio, & electio, iam ſunt prædeſtinati: ergo. Reſp.diſt.ant. Prædeſtinati incohativè, conc.ant. Completè, & formaliter, nego ant. & conſ. Cum enim talis intentio, & electio ſit initium prædeſtinationis, ea ſunt prædeſtinati incohativè. Non verò completè, nec formaliter: cum nondum ſit, ſed reſtet ordinatio eorum ad gloriam per media determinata; quæ non eſt, niſi per actum imperij, qui eſt ſcientia practica viſionis. Cumquè prædeſtinatio hoc modo ſit executivè ſumpta, & cadat ſub merito: ideò eſt, & formaliter accepta cadit ſub merito. Nec in rigore ſunt prædeſtinati, ſed dilecti, & electi, cum ſolùm intelligitur intentio, & electio ad gloriam; vt ait Divus Thomas art.4. Sunt enim, & intelliguntur prædeſtinati, cum actu imperij ordinantur ad illam.

35 Cont. Cum eſt talis intentio, & electio, ſunt prædeſtinati completè, & formaliter: ergo. Prob.antec. Cum eſt talis intentio, & electio, eſt ordinatio efficax prædeſtinatorum ad gloriam; ſed cum eſt hæc ordinatio, ſunt prædeſtinati completè, & formaliter: ergo. Mai.patet: Cum talis intentio, & electio ſit efficax; & poſt illam ſit infallibilis conſecutio gloriæ. Reſp.diſt.mai. In linea intentiva, conc.maior. Executiva, nego mai.& diſt.min. In linea executiva, conc.min. Intentiva, nego min.& conſ. Cum enim talis intentio, & electio ſit ita efficax, ex vi illius eſt in linea intentiva ordinatio efficax præ-

deſtinatorum ad gloriam. Non verò in executiva: nam hæc incipit in actu imperij, & illa completur in electione mediorum. Cumquè prędeſtinatio formaliter accepta, ſit in linea executiva ordinatio efficax prædeſtinatorum ad gloriam: nam eſt ordinatio per media determinata, quæ ſunt electa: ideò, cum eſt talis intentio, & electio, non eſt prædeſtinatio completè, nec formaliter, nec ita ſunt prædeſtinati. Nam licèt poſt illam ſit infallibilis conſecutio gloriæ; non eſt formaliter ex vi illius, ſed illativè: Eo quod infert omnia ſequentia, non vt neceſſariò, ſed liberè conſtituenda: quia in Deo omninò immutabili, præ creatura mutabili, & flexibili, primus actus efficax pro aliquo opere, infert ita omnia requiſita ad tale opus. Et tamen in illo primo actu non conſiſtunt formaliter actus ſequentes, ſed in ſpeciali virtualitate, & expreſsione vniuſcuiuſque.

36 Arg. 2. cont. 4. Prædeſtinatio formaliter, & in recto conſiſtit in actu ſcientiæ practicæ viſionis; ſed iudicium liberum practicum, regulans electionem mediorum ad conſecutionem gloriæ, eſt actus ſcientiæ practicæ viſionis: ergo ita conſiſtit in illo. Reſp. diſt. mai. Proponentis voluntati media, nego mai. Ordinantis per media creaturam rationalem in gloriam, conc. mai. & diſt. mi. Ita proponentis, conc. min. Ordinantis, nego min. & conſ. Prædeſtinatio enim formaliter, & in recto ſumpta, non conſiſtit in quolibet actu ſcientiæ practicæ viſionis, ſed in ordinante per media creaturam rationalem in gloriam. Cumquè tale iudicium ſolùm proponat voluntati media eligenda, quin per ea ordinet creaturam rationalem in gloriam: ideò prædeſtinatio ſic non conſiſtit in illo.

37 Cont. Tale iudicium eſt actus ſcientiæ practicæ viſionis ordinantis media: ergo & ordinantis per media. Prob. ant. Tale iudicium ordinat media: ergo. Prob. ant. Proponit media: ergo. Prob. conſ. Omnis actus intellectus ordinat, quod proponit; ſed ergo. Reſp. diſt. mai. Ordinat ad conſecutionem gloriæ, nego ma. In generali, conc. mai. & min. & ita diſt. conſ. Cum enim intellectus ſit ordinativus, in quolibet actu ſuo procedit cum ordine, ſive ordinat ordinatione generali & communi: Sicquè dum tale iudicium proponit media voluntati, ita ordinat, & cum tali ordine proponit. Veruntamen non ordinat ea, nec creaturam rationalem per ea ad conſecutionem gloriæ. Cumquè in actu ſic ordinante conſiſtat ita prędeſtinatio: ideò non conſiſtit in illo.

38 Cont. Tale iudicium ordinat media ad conſecutionem gloriæ: ergo. Prob.ant. Eius ordinatio, & propoſitio mediorum eſt pro conſecutione gloriæ: ergo. Ant. patet: Cum ſit propter finem prædeſtinationis, qui eſt conſecutio gloriæ. Reſp.diſt.ant. Eſt immediatè, & formaliter, nego ant. Mediatè, & illativè, conc. ant. & ita diſt.conſeq. Cum finis talis ordinationis, & omnis actus concurrentis in opere prædeſtinationis, ſit iſtius finis; mediatè, & illativè eſt conſecutio gloriæ: Cum tandem inferat, & reſpiciat illam. Non tamen eſt immediatè, nec formaliter: nam ſic præcise proponit voluntati media eligenda. Cumquè prædeſtinatio conſiſtat ita in actu ordinante immediatè, & formaliter media ad talem finem: ideò non conſiſtit in eo.

39 Cont. Tale iudicium ordinat formaliter, & immediatè media ad gloriam: ergo. Probat. ant. ex Divo Thoma ſup.Pſal.32. aſſerente: *Conſilium dum eſt in nobis, dicit inquiſitionem, cum autem dicitur de Deo importat ordinationem omnium ad debitum finem*; ſed tale iudicium eſt ſicut conſilium in ratione ordinationis: ergo. Reſp. admitto, & explico auct. In qua S.Doctor loquitur de ordinatione generali, & communi. Non de ordinatione formali prædeſtinatorum ad gloriam. Et ad ſummum de hac præſuppoſitivè accepta.

40 Cont. Tale iudicium formaliter, & immediatè ordinat prædeſtinatos ad gloriam: ergo. Prob.ant. Præceptum Dei ſupponit ordinationem formalem, & immediatam prædeſtinatorum ad gloriam: ergo. Prob.ant. Præceptum de ordinatis in finem, ſupponit ordinationem formalem, & immediatam eorum in finem; ſed in Deo eſt præceptum de ordinatis in finem, ſive in gloriam: ergo. Prob.minor. ex Divo Thoma quæſt.22. artic.1. ad 1. aſſerente: *Præcipere de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet, competit Deo: ſecund. illud Pſal. Præceptum poſſuit*: ergo. Reſp. admitto aſſertum Divi Thomæ; in quo Ang. Mag. non loquitur de ordinatis, ſed de *ordinandis* in finem: Sicquè tale præceptum non ſupponit, ſed efficit ordinationem. Et cum ſit imperium, & non tale iudicium: ideò hoc non ordinat formaliter, nec immediatè prædeſtinatos ad gloriam.

41 Cont. Ex prædictis verbis conſtat: Talem ordinationem præcedere præceptum: ergo fit tali iudicio. Prob. ant. S.Doctor ait: *Præcipere de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet.* Ex quo ita formatur diſcurſus: Cum eſt ratio recta ordinandorum in finem, eſt ordinatio eorum in fi-

nem; ſed talis ratio præcedit præceptum: ergo. Reſp. diſt. maior. Ratio iudicativa, nego maior. Præceptiva, conc. mai. & diſting. min. Iudicativa, conc. min. Præceptiva, nego min. & conſ. Solutio patet ex Ang. Præcept. ibidem: Nam pro ratione conſiliativa aſſignat Eubuliam, pro iudicativa Sineſim, & poſtea pro præceptiva Prudentiam, in qua conſiſtit providentia, & prædeſtinatio. Cumquè hæc non præcedat præceptum, ſed illa: ideò talis ordinatio non fit tali iudicio, ſed imperio.

42 Arg. 3. cont. concluſ. In Deo non eſt actus imperij reſpectu vſus ſuæ voluntatis: ergo prędeſtinatio formaliter, & in recto non conſiſtit in illo. Prob. antec. In intellectu divino non eſt imperium reſpectu actus liberi ſuæ voluntatis; ſed ſi in Deo eſſet actus imperij reſpectu vſus ſuæ voluntatis, in intellectu divino eſſet imperium reſpectu actus liberi ſuæ voluntatis: ergo. Min. eſt certa: Nam talis vſus eſt actus liberi ſuę voluntatis. Prob. mai. In intellectu creato non eſt imperium reſpectu actus liberi ſuæ voluntatis: ergo. Conſ. patet: Nam actus divini aſſignantur à nobis iuxta proportionem cum actibus creatis. Prob. ant. ex Ariſt. aſſerente: *Nos aliquando triſtari ſine imperio rationis*: ergo.

43 Reſp. admitto, & explic dictum Ariſt. de triſtitia orta naturali diſpoſitione corporis, ſub ratione, qua non eſt liber. In quo ſenſu Divus Thomas 1. quæſt. 17. art. 7. ad 1. ait: *Quod homo vult non concupiſcere, & tamen concupiſcit, contingit ex diſpoſitione corporis, per quam impeditur appetitus ſenſitivus, ne totaliter ſequatur imperium rationis.* Non autem de voluntaria, quæ ſubditur imperio rationis, ſicut & appetitus ſenſitivus prout ſic, vt reſolv Angel. Mag. Quare in intellect creato eſt imperium reſpectu actu liberi ſequentis, vt docet artic. & aſſignans fundamentum, inquit: *Omne, quod eſt in poteſtate noſtra, ſubiacet imperio noſtro.* Unde etiam eſt in intellectu divino reſpectu vſus liberi voluntatis.

44 Cont. In intellectu divino non eſt imperium reſpectu vſu liberi ſuæ voluntatis: ergo. Prob ant. In intellectu divino non e imperium reſpectu electionis liberæ mediorum; ergo. Antec. pate in Divo Thoma art. 3. ad 1. Prob conſeq. Sicut vſus eſt actus libe Dei, ita electio mediorum; ſed ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſ Quia imperium, de quo loquimur, eſt intimatio, & motio e ficax quoad exercitium, quam in tellectus efficit in voluntate; docet Ang. Mag. art. 1. Quæ actu intellectus, ſecuto ad el

ctionem mediorum, & movente voluntatem ad vſum: Sicquè eſt in intellectu divino reſpectu vſus, quem præcedit; & non reſpectu electionis mediorum, quam ſequitur. Ita Divus Thomas artic. 2. ad 1.

45 Cont. In intellectu divino non eſt talis motio reſpectu vſus liberi voluntatis, ſicut nec reſpectu electionis: ergo. Probat. ant. Intellectus non movet quoad exercitium voluntatem; ſed ſi in intellectu divino eſſet talis motio reſpectu vſus liberi voluntatis, intellectus moveret quoad exercitium voluntatem: ergo. Probat. maior. Voluntas movet ſe ipſam quoad exercitium: ergo. Ant. docetur à Divo Thoma quæſt. 9. artic. 3. Reſp. diſt. ant. Movet applicativè, conc. ant. Ordinativè, & imperativè, nego ant. & ita diſt. conſeq. Licèt voluntas per vnum actum ſe applicet ad alium; quæ eſt motio applicativa quoad exercitium. Non tamen ordinat actus ſuos, nec media elicita ad finem: cum hæc ordinatio ſit propria intellectus. Cumquè hoc ſit movere ordinativè, & imperativè: ideò intellectus movet hoc modo quoad exercitium voluntatem, & in intellectu divino eſt talis motio reſpectu vſus liberi ſuæ voluntatis.

46 Cont. Voluntas movet ſe ipſam ordinativè, & imperativè quoad exercitium: ergo. Probat. ant. Intellectus moveret ordinativè, & imperativè quoad exercitium voluntatem, virtute ipſius voluntatis: ergo. Ant. conſtat ex dictis, & ex Divo Thoma quæſt. 17. cit. art. 1. Prob. conſeq. Cauſa poteſt per ſe facere, quod alia facit virtute ipſius; ſed: ergo. Reſp. diſt. mai. Virtute ſola ipſius, conc. mai. Virtute ipſius, & alterius, nego mai. & diſt. min. Virtute voluntatis, & propria, conc. min. Virtute ſola voluntatis, nego min. & conſ. In motione enim ordinativa efficaci intellectus quoad exercitium reſpectu voluntatis, & eſt ipſa motio efficax quoad exercitium, quam intellectus facit virtute voluntatis; & ordinatio, quam efficit virtute propria. Cumquè cauſa ſolum poſſit per ſe, quod alia poteſt, & facit ſola virtute illius; non quod etiam virtute propria, vel alterius: ideò licèt intellectus ſic moveat ordinativè, & imperativè quoad exercitium voluntatem, hæc ſe ipſam ita non movet. Ad ſummum enim ſequitur: quod voluntas ſe ipſam movet efficaciter quoad exercitium. Non quod ordinet, nec imperet: cum intellectus illud faciat virtute voluntatis; hoc virtute propria.

47 Cont. Licèt intellectus ſic moveat ordinativè voluntatem, poteſt voluntas ſe ipſam or-

dinativè movere: ergo. Probat. ant. Poteſt voluntas virtute intellectus ordinare; ſed virtute propria etiam poteſt ita movere: ergo. Prob.mai. Intellectus poteſt virtute voluntatis ita movere: ergo. Prob.conſ. Sicut ordinare eſt proprium intellectus, ita movere voluntatis; ſed: ergo. Reſp nego conſ. Ratio conſtat ex dictis: Nam ordinatio eſt imparticipabilis à voluntate, cum ſit de ſubſtantia intellectus. Motio autem eſt participabilis ab intellectu; cum non ſit de ſubſtantia, ſed modus voluntatis.

48 Arg.4. In Deo non datur imperium reſpectu vſus voluntatis: ergo prædeſtinatio formaliter, & in recto non conſiſtit in tali actu imperij. Prob.ant. Imperium eſt reſpectu actus ordinabilis in finem; ſed vſus voluntatis divinæ non eſt actus ordinabilis in finem prædeſtinationis: ergo. Prob.min.ex Ang.Doct.quæſt.22. art. 1. aſſerente: *In ipſo Deo nihil eſt in finem ordinabile, cum ipſe ſit finis vltimus*: ergo.

49 Reſp.admitto, & explico author. Cuius ſenſus eſt: Quod in Deo ſubiectivè, & ex parte actus nil eſt ordinabile in finem providentiæ, ſive prædeſtinationis. Eſt tamen ordinabile obiectivè, & ex parte obiecti ſui actus: nam actus imperij ordinat media, quibus vtens voluntas, movet potentiam executivam ad exercitium operis, vt per eam conſequatur finem prædeſtinatio[nis]. Cumque hoc ſufficiat, vt intellectus divinus imperet volunt[atis] vſum eius: ideò eſt in Deo t[ale] imperium, quo voluntati ill[i] imperat, dicens: *Fac hoc.* Si[ve]: Utere his medijs pro fine præ[de]ſtinationis. Hoc patet in inte[n]tione finis, quæ in Deo movet electionem mediorum reſpe[ctu] prædeſtinationis: non quia i[pſa] intentio ſubiectivè ſit cauſa e[le]ctionis divinæ, ſed quia eſt ca[u]ſalitas ex parte obiecti: Cum [fi]nis, qui eſt obiectum intention[is] ſit cauſa mediorum, quæ ſu[nt] obiectum electionis. Quæ or[di]natio ſufficit ad prudentiam, pr[o]videntiam, & prædeſtination[em] in Deo. Unde Divus Thomas [...] concludit: *Ipſa igitur ratio ordi[nis] in finem providentia in Deo nomi[na]tur.*

50 Cont. In Deo non eſt i[m]perium reſpectu vſus, ſi iſte ſu[b]iectivè non eſt ordinabilis in [fi]nem: ergo. Prob.ant. In intel[le]ctu creato non eſt imperium r[eſ]pectu vſus, ſi iſte ſubiectivè n[on] ſit ordinabilis in finem: ergo. Pr[o]bat.conſ. Actus divinus aſsign[a]tur ad ſimilitudinem actus crea[ti] ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Rat[io] eſt: Quia non ſolum obiectu[m] ſed etiam actus creatus, ob ſ[uam] imperfectionem, eſt ordinabil[is]

in finem: Sicquè imperium ordinans media, etiam ordinat vſum mediorum in finem. Actus autem divinus non eſt ita ordinabilis in finem prædeſtinationis: itaquè vt vſus imperetur ab intellectu, non requiritur, quod ipſe ordinetur, ſed quod media, quibus vtitur, ordinentur in finem. Quod eſt ob infinitam ſui perfectionem. Sicut propterea ſcientia humana eſt cognitio rei per cauſam ex parte actus, & obiecti; & ſcientia divina non, niſi ex parte obiecti.

51 Cont. Intellectus divinus non imperat vſum voluntatis, ſi iſte ex parte ſui non eſt ordinabilis in finem: ergo. Prob.ant. Imperium eſt de illis, de quibus eſt providentia; ſed in Deo non eſt providentia de vſu ſuæ voluntatis, ſi iſte ex parte ſui non ſit ordinabilis in finem: ergo. Minor. patet: Nam providentia eſt de ordinabilibus in finem. Reſp.diſt. mai. De illis actibus, nego mai. Rebus, conc.mai.& min.& nego conſ. Cum imperium ſit ordinatio rerum in finem, ſolùm eſt de rebus proviſis, ſive de quibus eſt providentia. Preterea eſt de actibus vtentibus medijs,& exequentibus providentiam,licèt non ſint ex parte ſui ordinabiles in finem. Cumquè vſus voluntatis divinæ ſit huiuſmodi: ideò in intellectu divino eſt imperium de illo.

52 Cont. Imperium intellectus creati ſolùm eſt de rebus, & de actibus, de quibus eſt illi providentia: ergo etiam imperium intellectus divini.Prob.conſ.Sicut providentia creata fit vſu, & executione, ita divina; ſed: ergo. Reſp.nego conſ. Ratio eſt: Quia non ſolùm res, ſed etiam actus creati cadunt ſub providentia: cum etiam actus ſint ordinabiles in finem. Non verò actus divini, cum ita non ſint ordinabiles. Hinc actus divini ſunt actus providentis,non actus proviſi Creati autem ſunt etiam proviſi. Enim verò etiam divini ſunt imperati: Cum intellectus divinus ſuo actu ordinet media providentiæ, & prædeſtinationis. Quam ordinationem intimat voluntati, eam movet ad eorum vſum, & potentiam executivam ad executionem.

53 Ex quibus conſtat: Quod in Deo eſt imperium monaſticum; non dominativum, ſed directivum vſus liberi, & executionis prædeſtinationis.Ratio eſt: Nam hoc imperium conſiſtit in ordinatione mediorum ad finem prædeſtinationis, & in intimatione, & motione efficaci, quæ fit voluntati ad vſum activum potentiæ executivæ: quod eſt dirigere, & imperare talem vſum; ſed in Deo eſt talis intimatio, & motio; vt viſum eſt: ergo eſt tale imperium reſpectu ſui. At reſpectu creatura-

 rum

rum eſt in Deo imperium regale, & dominativum: cum eas ordinet per media in finem, & exerceat dominium in illas, imperans paſſivam productionem, & earum gubernationem.

54 Inſtabis: In Deo non eſt imperium reſpectu ſui: ergo nec tale imperium monaſticum, quo imperet vſum voluntatis. Probat. ant. Imperium eſt reſpectu inferioris; ſed Deus non eſt inferior reſpectu ſui: ergo. Reſp. diſt. mai. Inferioris ſuppoſiti ſemper, nego mai. Suppoſiti, aut potentię, conc. mai. & diſt. min. Inferior in ratione ſuppoſiti, conc. min. Potentię, ſubdiſt. Realiter, conc. min. Virtualiter, nego min. & conſeq. Ad rationem imperij non requiritur ſuperioritas vnius ſuppoſiti reſpectu alterius ſuppoſiti inferioris: Sicut quæ eſt in Principe reſpectu ſubditi. Sufficit vtiquè ſuperioritas potentiæ, vt potentia ſuperior imperet inferiori. Cumquè in Deo intellectus ſit virtualiter potentia ſuperior voluntate: ideò in intellectu divino eſt imperium reſpectu ſuæ voluntatis. Sicut propter ſuperioritatem realem potentiæ, in intellectu hominis eſt imperium reſpectu ſuæ voluntatis.

55 Cont. Superioritas potentiæ non ſufficit, vt in intellectu divino ſit imperium reſpectu ſuæ voluntatis: ergo. Prob. ant. Non ſufficit, vt in vna potentia Dei ſit oratio reſpectu alterius: er[...] Prob conſ. ex Ang. Præcept. 2 quæſt. 83. art. 10. aſſerente: *Ora[...] eſt actus rationis, per quem aliq[...] ſuperiorem deprecatur: Sicut im[...] rium eſt actus rationis, quo infe[...] ad aliquid ordinatur*; ſed: er[...] Reſp. admitto, & explico auth[...] In qua Divus Thomas loquitur [...] imperio politico, habente v[...] præcepti obligantis cum vi co[...] civa: Et hoc parificatur cum o[...] tione in eo, quod eſt inter ſupp[...] ſitum ſuperius, & ſuppoſitum i[...] ferius. Quare idem homo neq[...] tale imperio ſibi imperare, ſic[...] nec orare ad ſe ipſum: Sicquè ill[...] eſt in ſuppoſito ſuperiori reſpec[...] inferioris; & oratio in inferi[...] reſpectu ſuperioris. Præterea [...] imperium monaſticum exigens ſ[...] perioritatem in ratione dirige[...] tis, moventis, & intimantis. A[...] quod ſufficit ſuperioritas virtua[...] potentiæ, quæ eſt intellectu D[...] reſpectu ſuę voluntatis: Cui pro[...] terea ſic imperat, licèt ad ſe n[...] oret. Sicut homo ad ſe non ora[...] & ita ſibi imperat.

56 Cont. Imperium monaſ[...] cum non ſolùm habet vim dir[...] ctivam, ſed etiam coercivam re[...] pectu illius, cui imperat, erg[...] Prob. ant. Poſito imperio mon[...] ſtico efficaci, voluntas, cui im[...] peratur, non poteſt non obtem[...] perare, ſed debet exequi intim[...] tum tali imperio: ergo. Conſe[...]

pa-

patet: Ideoquè apparet vis coercìva in imperio politico. Reſpond. diſt. ant. Ratione efficaciæ directionis, conc. ant. Ex vi coerciva, nego ant. & conſ. Vis coerciva, & vis præcepti, qua ipſi non obtemperans, peccat mortaliter, aut venialiter, vel neceſſariò ſubditur alicui pœnæ. Efficacia directionis eſt: quàm affert ordinatio efficax de agendis, ſine ſimili culpa, & pœna. Prima ſequela dicit vim coercivam imperij, & requirit ſuperioritatem, & inferioritatem ſuppoſitorum. Secunda non, ſed ſolam virtutem directivam efficacem. Ad quam ſufficit virtualis ſuperioritas, & inferioritas potentiarum. Cumquè imperium monaſticum hanc ſolùm requirat: ideò non habet vim coercivam, qualem propterea habet politicum; ſed directivam.

57 Arg. 5. In Deo non datur aſsignatum imperium: ergo. Prob. ant. Si daretur in Deo, eſſet, vt moveret potentiam executivam Dei ad executionem prædeſtinationis; ſed ad hoc non datur: ergo. Prob. min. Potentia executiva Dei eſt intellectus divinus; ſed tale imperium non datur ad movendum intellectum: ergo. Mai. eſt communis. Prob. min. Imperium eſſet in intellectu divino ad movendum aliud, & non ſe ipſum: ergo. Ant. patet arg. antec. Reſp. diſt. antec. Se ipſum eodem modo ſumptum, conc. antec. Diverſo modo, nego ant. & diſting. conſ. Intellectum, vt dirigentem, conc. conſ. Ut exequentem, nego conſeq. Intellectus practicus Dei poteſt conſiderari vt dirigens, & vt exequens. Ut dirigens non eſt potentia executiva, ſed vt exequens. Ipſequè, vt dirigens, imperat ſibi, vt exequenti: nam vt dirigens ordinat media ad finem prædeſtinationis, quæ vt exequenda intimat cum quadam motione voluntati, vt reducat illa ad vſum; & exinde ſibi, vt potentiæ executivæ, vt ratione diſtinctæ, imperat, vt ea exequatur, & eis obtineat finem. Cumquè hoc ſufficiat, vt ſit in Deo tale imperium, & moveat potentiam executivam: ideò eſt, & movet. Nec mirum, cum ipſe intellectus propterea, vno actu poſsit imperare alium actum ſui ipſius; vt docet Divus Thomas 1.2. quæſt. 17. art. 6.

58 Cont. Intellectus, vt dirigens, non imperat ſibi, vt exequenti: ergo. Prob. ant. Si intellectus, vt dirigens, imperaret ſibi, vt exequenti, inter intellectum vt dirigentem, & intellectum vt exequentem mediaret vſus voluntatis; ſed non mediat: ergo. Mai. eſt certa: Nam inter imperium, & executionem operis mediat vſus voluntatis. Probat. min. Si mediaret, actus intellectus participaret aliquam efficaciam

ciam à tali vſu voluntatis;ſed non participat illam: ergo. Mai.patet: Cum actus practicus intellectus, qualis foret executio, participet aliquam efficaciam ab actu præcedente voluntatis, qui eſt applicatio ad illum, vt eſſet vſus. Prob.min. Vſus voluntatis participat efficaciam ab actu intellectus: ergo. Ant.eſt certum: Cum eam participet ab imperio. Prob. conſeq. Actus voluntatis nequit participare efficaciam ab actu eius, qui eam participat à voluntate; ſed: ergo.

59 Reſp.diſt.mai. Ab eodem actu, conc.mai. A diverſo, nego mai.& diſt.min. Ab actu præcedente, conc.min. Subſecuto, nego min.& diſt.conſ. Actus ſubſecutus, conc.conſ. Præcedens, nego conſ. Voluntas enim nequit ab eodem actu intellectus participare efficaciam, & motionem, eamquè illi communicare. Poteſt tamen à diverſo: nam inter has potentias, earumquè actus eſt mutua communicatio, & participatio; ita vt actus vnius participet motionem, & efficaciam ab actu præcedente alterius, eamquè actui ſequenti communicet. Cum igitur imperium, quod eſt actus intellectus, vt dirigentis, præcedat vſum voluntatis; & hic executionem operis, quæ eſt actus intellectus, vt exequentis: ideò imperium communicat efficaciam vſui, dum movet ad vſum; & vſus executioni, dum applicat ad illam. Quare intellectus, vt dirigens, imperat ſibi, vt exequenti.

60 Cont. Vſus voluntatis nequit participare efficaciam ab eodem actu intellectus, cui illam communicat; ſed ſi ita mediaret, illam participaret ab eodem: ergo. Prob.min. Participaret illam ab imperio; ſed eam communicaret imperio:ergo. Prob.min. Communicaret eam actui potẽtiæ exequẽtis; ſed imperium eſt actus potentię exequentis Dei:ergo. Prob. minor. Non eſt aſsignabilis alius actus potentiæ exequentis Dei: ergo. Prob.ant. Si aliquis alius eſſet aſsignabilis, foret gubernatio rerum; ſed hæc non eſt actus potentiæ exequentis Dei: ergo. Probat. min. Actus potentiæ exequentis Dei eſt in Deo; ſed gubernatio rerum non eſt in Deo: ergo. Prob. min. Gubernatio rerum eſt in rebus gubernatis: ergo.

61 Reſp. diſt.ant. Gubernatio paſsivè accepta, conc. antec. Activè, nego ant.& ita diſt.conſ. Hac diſtinctione multæ præcaventur inſtantiæ, & variæ difficultates ſatisfiunt. Pro qua ſufficiat referre D.Thomam art.2.dicentem: *Providentia autem non eſt in rebus proviſis, ſed eſt quædam ratio in intellectu proviſoris. Sed executio providentiæ, quæ gubernatio dicitur, paſsivè quidem eſt in guber-*

*na-*

*naris, activè autem eſt in gubernante. Vnde manifeſtum eſt, quod prædeſtinatio eſt quædam ratio ordinis aliquorum in ſalutem æternam in mente divina exiſtens: Executio autem huius ordinis eſt paſsivè quidem in prædeſtinatis, activè autem eſt in Deo.*

62 Cont. Gubernatio activè ſumpta non eſt actus exiſtens in intellectu Dei: ergo. Prob.antec. Non pertinet ad aliquam ſpeciem actus intellectus: ergo. Prob.ant. Non pertinet ad aprehenſionem, iudicium, nec diſcurſum; ſed hæ ſunt ſpecies actus intellectus: ergo.Reſp.diſt.min. Intellectus ſpeculativi, conc.min. Practici, nego min.& ita diſt.conſeq. Solutio conſtat ex Divo Thoma 2.2.quæſt. 83.art.1.ad 3. aſſerente: *Illi tres actus pertinent ad rationem ſpeculativam. Sed vlterius ad rationem practicam pertinet cauſare aliquid per modum imperij, vel per modum petitionis.* Et in præſenti quæſt. artic.2. ait: *Eſt autem executio prædeſtinationis vocatio, & magnificatio, ſecundum illud Apoſtoli ad Roman 8. Quos prædeſtinavit, hos & vocavit, &c.* Unde talis executio, & gubernatio erit aliquid per modum vocationis,& exercitij tranſmiſsionis creaturæ in gloriam.

63 Cont.Nec eſt actus intellectus practici; ergo. Prob.antec. Actus intellectus practici eſt aliquid; ſed talis actus non videtur quid ſit; ergo. Reſp.diſt. maior. Aliquid conſtitutum ex alijs,cóc. mai. Non ita conſtitutum, nego mai. & diſt.minor. Quid ſit non conſtitutum ex alijs, conc.minor. Ita conſtitutum, nego minor. & conſ. Executio enim, & gubernatio prædicta, quæ eſt actus intellectus practici, eſt quid conſtitutum,& quaſi coaleſcens ex actibus intellectus ſpeculativi, cum ordine practico ſuperaddito; nempè, concurſu voluntatis, & intellectus, ea applicati, & exequentis opus providentiæ, & prædeſtinationis. Quod ſufficit, vt ita ſit actus intellectus practici, & potentiæ exequentis. Hæc doctrina patet in D. Thoma 1.2.quæſt. 90. art.1.ad 2. aſſerente: *In operibus rationis eſt conſiderare ipſum actum rationis, qui eſt intelligere, & ratiocinari, & aliquid per huiuſmodi actum conſtitutum: Ideò invenire eſt aliquid in ratione practica, quod ita ſe habeat.* Quodnam autem ſit, docet hic quæſt.22.artic.1.ad 2. dicens: *Ad curam duo pertinent, ſcilicet ratio ordinis, quæ dicitur providentia, & diſpoſitio, & executio ordinis, quæ dicitur gubernatio.*

64 Arg. 6. In Deo non eſt imperium movens ad vſum voluntatis: ergo. Prob.ant. In Deo non eſt actus auferens libertatem vſus voluntatis; ſed imperium movens ad vſum voluntatis, auferret libertatem illius: ergo. Maior. eſt

ce

certa: Cum vſus voluntatis divinæ ſit liber. Prob.minor. Inferens neceſſariò aliquem actum, aufert libertatem illius; ſed tale imperium inferret neceſſariò vſum voluntatis: ergo. Mai.patet: Cum non poſsit non ſequi talis actus; & liberum ita ſit, quod potuerit non eſſe, & non ſequi. Min.conſtat: Nam poſito imperio, impoſsibile eſt, quod vſus voluntatis non ſequatur.

65 Reſp.diſt.mai. Neceſsitate conſequentiæ, nego mai. Conſequentis, conc.mai.& diſt.min. Neceſsitate conſequentiæ, conc. min. Conſequentis, nego min.& conſ. Neceſsitas conſequentiæ eſt: Cum vnum ſequitur infallibiliter ex alio. Neceſsitas conſequentis: Cum illatum ex alio eſt neceſſarium. Hæc enim aufert libertatem: cum inducat neceſsitatem in re conſecuta. Illa non, ſed cohæret libertati: cum liberum, poſsit liberè, ex aliquo infallibiliter ſequi. Cumquè in Deo, imperium hoc modo inferat vſum voluntatis: ideò non aufert libertatem ab illo, & eſt in eo. Sicut intentio efficax finis infert infallibiliter in Deo electionem mediorum; & tamen hæc eſt abſolutè libera.

66 Cont. Imperium inferret neceſſario neceſsitate conſequentis vſum voluntatis: ergo. Prob. antec. Uſus conſecutus eſſet in ſe neceſſarius; ergo. Prob.ant. Non foret in ſe liber, ſed in cauſa; ſe liberum in cauſa, & non in ſe, ſe eſt neceſſarium: ergo. Proba mai. Ideò electio mediorum in eſt libera, quia ſequitur intenti nem finis, qui eſt conſequibil per diverſa media, & illa elig determinata pro libito voluntati ſed vſus ſequitur propoſitione medij determinati, & non pote reſpuere ipſum, nec aliud appl care pro libito voluntatis: ergo.

67 Reſp.diſt.mai. Ideò præ cisè, nego mai. Et quia ſequit iuxta naturam ſuam, & modo l bero, conc.mai. & diſt.min. S quitur iuxta naturam ſuam, modo libero, conc.min. Alite nego min.& conſ. Propter inſta tiam, M. Ferre ait: quod vſ non eſt liber in ſe, ſed in cauſ M.Bolivar tenet: vſum etiam e in ſe liberum. Ratio eſt aſsignat Vt enim actus ſit in ſe formalit liber, ſufficit: quod modo liber & iuxta naturam liberi proceda Cumquè vſus voluntatis divin ita procedat ab imperio: cum h imperet ei, vt liberè vtatur m dijs propoſitis; & exinde poten tiæ executivæ, vt liberè exequ tur opus: ideò vſus in ſe eſt fo maliter liber. Etenim, ſi propt rea in ſe iam non foret liber; n in nobis ambulatio eſſet in ſe l bera, nec applicatio voluntatis illam. Imò nulla executio oper foret in ſe libera: Cum omnis ſi

imperio prædicto, proponente vnicum medium, & imperante efficaciter vſum illius. Veruntamen in ſe eſt libera: quia libertas deſcendit ex intentione libera finis, & electionem mediorum; & quidquid exinde fit, vſquè ad executionem operis, fit modo libero, & iuxta naturam liberi, quę exigit ita fieri.

68 Cont. Uſus non ſequitur modo libero propoſitionem medij determinati: ergo. Prob. antec. Modus libertatis requirit indifferentiam; ſed in propoſitione medij determinati non eſt indifferentia: ergo. Reſp. diſt. mai. Indifferentiam in vſu, & executione, nego maior. In intentione, aut electione, conc. mai. & min. & nego conſ.

69 Cont. In intentione requirit indifferentiam: ergo etiam in vſu. Prob. conſ. Modus vtriuſquè libertatis eſt perfectus; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia libertas ad opus, requirit indifferentiam in actu primo concurrente ad illud; ſive in principio, & quaſi radice ipſius. Non verò in vltimo, nec in immediato. Imò in hoc eſt impoſsibilis: cum requirat determinationem pro vſu, & executione operis, quæ ſine determinatione non fit. Cum igitur intentio ſit primus actus; vſus verò vltimus voluntatis, & executio potentiæ executivæ: ideò modus libertatis requirit indifferentiam in intentione, & non in vſu.

## ARTICULUS SEPTIMUS.

### *VTRVM PRÆDESTINATIO ſit pars obiectiva Providentiæ.*

1 PRÆMITTO 1. Quod dantur tres ſpecies providentiæ divinæ. Probatur: Providentia eſt ratio ordinis rerum in finem: vt docet Divus Thomas quęſt. 22. Sed dantur tres ordines, ſive eſt triplex ratio ordinis rerum proviſarum in fines diſtinctos: ergo. Minor. patet: Cum ſit ordo naturæ, gratiæ, & Vnionis hypoſtaticæ. Conſ. eſt optima: Sicquè erit providentia naturalis, ſupernaturalis, & ordinis hypoſtatici. Prædeſtinatio autem pertinet ad ſupernaturalem: cum ſit præparatio gratiæ, & gloriæ; quæ ſunt in tali ordine.

2 Præmitto 2. Quod prædeſtinatio eſt pars divinę providentiæ. Ita Ang. Mag. quęſt. 23. art. 2. Difficultas eſt: An ſit pars obiectiva, vel ſubiectiva? Pars ſubiectiva eſt: Cuius diſtinctio ab alia eſt ex parte ſubiecti. Obiectiva, cum ex parte ſolius obiecti. Vnde ſenſus eſt: An ex parte Dei providentis prædeſtinatio ſit diſtincta providentia ab aſsignatis?

An ſolùm ex parte obiecti, & termini proviſi? Aliqui Schotiſtæ videndi in M. Hernand. tenent: eſſe partem ſubiectivam. Et ſimiliter aliqui Jeſuitæ in P. Ramirez. Thomiſtæ communiter propugnant: eſſe obiectivam. Ita Eminent. Caiet. M. Nazar, Bañez, Godoy, Gonet, Joann. à S. Thoma, Lezana, Silva, PP. Salm. & multi extra noſt. Scholam.

3 Concluſio: Prædeſtinatio eſt pars obiectiva providentiæ. Conſtat ſatis ex Divo Thoma artic. 1. concludente: *Prædeſtinatio quantum ad obiecta eſt quædam pars providentiæ*; ſed pars quantum ad obiecta eſt obiectiva: ergo. Prob. min. Pars ex parte obiecti, eſt obiectiva; ſed pars quantum ad obiecta, eſt pars ex parte obiecti: ergo. Roboratur ex Ang. Doctore: Pars diſtincta ſolùm ex parte obiecti, & termini, eſt obiectiva; ſed prædeſtinatio ſolùm ex parte obiecti, & termini eſt diſtincta ab alijs providentijs: ergo. Prob. min. Iuxta Div. Thomam loc. cit. diſtinguitur ab illis, quia reſpicit finem ſupernaturalem, cum providentia naturalis reſpiciat naturalem, & alia finem eminentiorem ordinis hypoſtatici; ſed hæc diſtinctio eſt ex parte obiecti, & termini: ergo.

4 Corroboratur: Prædeſtinatio non eſt ſpecies, ſive pars providentiæ diſtincta ex part Dei providentis, ſed ex parte obiecti, termini, & effectus proviſi: ergo non eſt pars ſubiectiva ſed obiectiva. Prob. ant. Non eſ diverſa ratio ordinis in finem, ſe ordo diverſus diverſarum rerum ſive in diverſum finem; ſed ratio ſe habet ex parte Dei, & cœtera ex parte obiecti, termini, & effectus: ergo. Prob. mai. Talis fini eſt diverſus, & etiam ordo creaturarum ad illum, quia eſt excedens naturam: Sicquè ſupernaturalis, & diverſus à naturali; ſe prædicta ratio ex parte Dei non eſt excedens ipſius naturam, ne eſt ſupernaturalis: cum Deus æquè omnes fines reſpiciat; & diſtinctio naturalis, & ſupernaturalis ſit e parte creaturæ, obiecti, termini, & effectus: ergo.

5 Prob. 1. concluſ. ratione Unitas, & diſtinctio ſpecifica ſubiectiva providentiæ debet ſumi à fine adæquato, & vltimo proviſoris; ſed finis adæquatus & vltimus Dei, proviſoris vniverſalis, eſt vnicus: ergo providentia ſpecificè ſubiectivè eſt vnica ſicquè prædeſtinatio non eſt par ſubiectiva, ſed obiectiva illius Maior. eſt certa: Aliunde ſpecie ſubiectivę providentiæ eſſent plurimæ, ſi à fine inadæquato, & non vltimo ſumeretur: cum hic multiplex ſit. Unde eſſet alia providentia pro Angelis, alia pr ho-

hominibus, alia pro Cœlis, & ſic de cœteris. Prob min. Finis adæquatus, & vltimus Dei proviſoris, & divinæ providentiæ, eſt bonitas Dei, ſive oſtenſio, & communicatio ſuæ bonitatis, & perfectionis creaturis; ſed hic finis eſt vnicus: ergo. Mai. patet ex Divo Thoma 3. cont. Gent. cap. 97. aſſerente: *Deus per ſuam providentiam omnia ordinat in divinam bonitatem ſicut in finem* Vbi, & cap. ant. & 1. part. quæſt. 103. conſtat hæc doctrina.

6 Confirmatur: Finis divinę providentiæ eſt finis divinæ gubernationis; ſed finis adæquatus, vltimus, & principalis divinæ gubernationis eſt vnicus aſsignatus; vt reſolvit Divus Thomas quæſt. cit. art. 4. ergo. Roboratur: Idem eſt finis creationis rerum, ac providentiæ, & gubernationis earum; ſed finis adæquatus, & vltimus creationis eſt aſsignatus: ergo. Maiorem oſtendit S. Paulus ad Rom. 1. dicens: *Invisibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* Et Divus Thomas art. 2. ex illo Prov. 16. *Vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Quare ipſe Dominus Iſaiæ 43. dicit: *Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum.*

7 Dices: Quod talis finis eſt triplex: cum alius ſit finis providentiæ naturalis, alius ſupernaturalis, & alius ordinis hypoſtatici. Cont. Prædicti fines ſunt particulares; finis autem vniverſalis, adæquatus, & principalis eſt vnicus aſsignatus: vt docet Divus Thomas; ſed ratio ſpecifica ſubiectiva providentiæ ſumitur ab hoc fine; vt cum ipſo viſum eſt: ergo. Min. conſtat ex S. Doctore quæſt. 15. art. 2. aſſerente: *In quolibet effectu illud, quod eſt vltimus finis, propriè eſt intentum à principali agente. Illud autem, quod eſt optimum in rebus exiſtens, eſt bonum ordinis vniverſi: Ordo autem vniverſi eſt propriè à Deo intentus.*

8 Illuſtratur: Reſpectu triplicis ordinis prædicti non eſt in Deo triplex intellectus, voluntas, aut Omnipotentia: nec eſſentia in ratio ſpeciei eſt triplex; nec iuſtitia; & ſic de alijs attributis: ergo neque ſubiectivè eſt triplex providentia, ſed vnica, ſicut eſt vnicus intellectus, & vnica voluntas. Prob conſ. Ideò illud evenit, quia ſe habent vt principium, ſive ex parte principij, quo Deus operatur; qui ob ſummam perfectionem, vnico principio operatur omnia; ſed providentia ſe habet vt principium, ſive ex parte principij, quo Deus ordinat cuncta in ſuum finem: ergo.

9 Deinde: Ideò illa ita ſunt vnum, quia ſub vnica ratione formali attingunt omnia triplicis

ordinis; ſed etiam providentia ſub vnica ratione formali attingit illa: ergo. Mai. eſt certa. Min. manifeſta: Cum omnia ordinet in finem, oſtendendo, & communicando illis ſuam bonitatem. Præterea: Ideò ita ſunt vnum, quia intellectus, eo quod infinitus, habet virtutem intelligendi omnia. Et idem de alijs in ſua linea; ſed providentia divina, quia infinita, habet virtutem providendi omnibus, & ordinandi cuncta in finem: ergo.

10 Prob. 2. concluſ. In Deo eſt vnica providentia reſpectu rerum triplicis ordinis: ergo prędeſtinatio non eſt pars ſubiectiva diſtincta, ſed obiectiva illius. Prob. ant. In Deo eſt vnicum dominium reſpectu rerum triplicis ordinis: ergo. Ant. patet: Cum dominium Dei fundetur in potentia creandi, & gubernandi res; quæ eſt vnica: & relatio, ac res fundata non eſt multiplex, ſi fundamentum eſt vnicum. Conſ. eſt legitima: Nam providentia Dei eſt iuxta illius dominium; & providet, ſicut dominatur. Ex quibus conſtat: Quod prædeſtinatio non eſt pars ſubiectiva providentiæ, ſicut ſpecies, de qua prædicetur providentia, vt prædicatum ſuperius eſſentiale: Cum ſubiectivè ſit eadem, & non ſit prædicatum inferius ſuperadditum providentiæ, ſicut homo ſuperadditur animali. Nec ſicut attributum, ſeu principium, ſive virtus. Modo, quo intellectus, & voluntas, iuſtitia & miſericordia ſunt in Deo ſpecies diverſæ: Cum entitativè ex parte Dei, nec virtualiter diſtinguantur tales providentiæ, ſicut prædicta diſtinguuntur; ſed ſolùm obiectivè, & terminativè quia terminus, obiectum, & effectus earum differunt.

11 Arg. 1. Providentia naturalis, ſupernaturalis, & ordinis hypoſtatici per modum attributi diſtinguuntur ſpecificè; ſed ſpecies ita diſtinctæ ſunt partes ſubiectivæ, & non obiectivæ rationis communis: ergo. Prob. mai. Si ita non diſtinguerentur, eſſet, quia reſpiciunt vnicum finem principalem, ſcilicet oſtenſionem, & communicationem bonitatis, & attributorum Dei; ſed hoc non obſtanti, ita diſtinguuntur: ergo. Prob. min. Virtutes morales; nempè, iuſtitia, & miſericordia, prout in Deo reſpiciunt vnicum finem principalem, ſcilicet, Deum vt obiectum charitatis; ſed per modum attributi diſtinguuntur ſpecificè: ergo.

12 Reſp. diſt. mai. Reſpiciunt ex fine operis, nego maior. Operantis, conc. mai. & min. & ita diſt. conſ. Finis operis eſt: quem virtus, ſeu principium ex propria ratione intendit. Finis operantis: quem ratione, & ex ordinatione

alterius. Licèt enim virtutes morales, vt prædictæ, ex fine extrinſeco operantis, videlicet, ex ratione, & ordinatione Charitatis, reſpiciant vnicum finem principalem, nempè, Deum, vt obiectum illius; ex fine intrinſeco operis quęlibet reſpicit diverſum: iuſtitia bonitatem divinam, vt eſt ratio reddendi ius ſuum vnicuique; & miſericordia vt eſt ratio ſublevandi miſeriam alienam. Cum ergo diſtinctio ſpecifica virtutum ſumatur à fine principali intrinſeco operis, & non ab extrinſeco operantis: ideò ſic diſtinguuntur. Non verò tales providentiæ, quæ ex fine intrinſeco operis reſpiciunt vnicum finem principalem, adæquatum, & vltimum prædictum.

13 Cont. Prædeſtinatio ex fine operis reſpicit ſimilem finem, diverſum à fine, quem reſpicit reprobatio: ergo ſaltim eſt diverſa ſpecificè per modum attributi à reprobatione: Sicquè erit diverſa ſpecies, & pars ſubiectiva providentiæ. Prob.ant. Sicut iuſtitia ex fine operis reſpicit bonitatem divinam, vt rationem ſervandi æquitatem, & miſericordia vt rationem ſublevandi alienam miſeriam; ita prædeſtinatio oſtenſionem miſericordiæ, & liberalitatis; & reprobatio oſtenſionem iuſtitiæ: ergo. Reſp. diſt. antec. Ita prędeſtinatio reſpicit vt finem inadæquatum, conc. antec. Adæquatum, nego ant. & ita diſting. conſ. Prædeſtinatio enim reſpicit talem oſtenſionem, & ſimiliter reprobatio, vt finem inadæquatum divinæ providentiæ: nam adæquatus eſt oſtenſio bonitatis, & attributorum Dei. Juſtitia autem, & miſericordia reſpiciunt tales fines, vt adæquatos. Et cum diſtinctio ſpecifica ſubiectiva per modum attributi ſumatur à diverſo fine adæquato: ideò non eſt inter prædeſtinationem, & reprobationem, licèt ſit inter iuſtitiam, & miſericordiam.

14 Cont. Tales fines ſunt adæquati reſpectu iuſtitiæ, & miſericordiæ: ergo etiam illi reſpectu prædeſtinationis, & reprobationis. Prob. conſ. Sicut illi fines differunt inter ſe, ita iſti; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia providentia divina eſt vniverſalis, cum ſit Dei, proviſoris vniverſalis omnium: Sicquè eſt ordinativa omnium in finem, & reſpicit bonum vniverſaliſsimum, vt finem principalem, adæquatum, & vltimum. Quod ſtat in oſtenſione, & communicatione bonitatis, & omnium attributorum Dei; nam oſtenſio huius, vel alterius eſt finis particularis, & inadæquatus. Quare fines prædicti ſunt inadæquati reſpectu prædeſtinationis, & reprobationis; quas non diſtinguunt ſubiectivę

in ratione providentiæ, ſed obiectivè modo dicto: quia ſufficit vnica pro omnibus. Juſtitia autem, & miſericordia ex ſe reſpiciunt tales fines. Nec eſt virtus, nec attributum commune eos ita reſpiciens: Sicquè ſunt adæquati reſpectu earum, eaſque ſubiectivè ſpecificè diſtinguunt. Et in ipſis adeſt pro doctrina iſta exemplum: Etenim quia Deus eſt Judex vniverſalis, in eo eſt vnica virtus iuſtitiæ pro omnibus, eumdem finem intendens. Et ſimiliter eſt in Deo vnica virtus miſericordiæ. Et ſic de alijs. Et in Principe ſufficit vnica providentia regalis pro omnibus in Regno providendis: quia reſpicit vt finem principalem, & adæquatum, bonum vniverſale Regni. Propterea igitur ſufficiet in Deo vnica providentia pro cunctis. Ita D. Thomas quæſt.103.art.4.

15 Arg.2. In Deo dantur plures providentiæ ſpecificè ſubiectivè diſtinctæ: ergo prædeſtinatio eſt ita ſpecies, & pars ſubiectiva. Prob antec. In Deo ſunt plures ideæ ſpecificè ſubiectivè diſtinctæ: ergo. Ant. docetur à Divo Thoma quæſt.15.art.2. Prob. conſ. Sicut providentia eſt ratio ordinis rerum in finem, ita idea eſt ratio intellecta rei fiendæ; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia providentia ſe tenet ex parte Dei intelligentis, & providentis. Unde commenſurat[i] cum intellectu quoad vnitatem in modo attingendi obiectum: [...] ſicut Deus vnico intellectu omn[ia] intelligit, ita vnica provident[ia] omnibus providet. Idea autem [ſe] tenet ex parte obiecti intellect[i] cum quo ſic proportionatur. [...] cum obiecta intellecta, & produ[-] cenda ab intellectu divino, ſi[nt] plura ſpecie diverſa: ideò ſunt i[n] in illo plures ideæ. Solutio eſt D[i-] vi Thomæ, qui loc.cit. propon[it] hoc argumentum: Sicut idea e[ſt] principium cognoſcendi, & op[e-] randi, ita ars, & ſapientia. S[ed] in Deo non ſunt plures artes, [vel] ſapientiæ: ergo nec plures idea[e]. Et reſpondet ad 2. *Quod ſapienti[a] & ars ſignificantur, vt quo De[us] intelligit, ſed idea vt quod Deus in[-] telligit. Deus autem vno intellig[it] multa, & non ſolum ſecundum qu[od] in ſe ipſis ſunt, ſed etiam ſecundu[m] quod intellecta ſunt: quod eſt intell[i-] gere plures rationes rerum.* Et ex h[oc] concludit: *Plures ideas eſſe in v[no] intellectu eius.*

16 Cont. Etiam idea ſe ten[et] ex parte Dei intelligentis; ſed i[n] Deo ſunt plures ideę ſpecificè ſu[b-] iectivè diſtinctæ: ergo licèt pro[-] videntia ſe habeat ex parte D[ei] providentis, erunt in Deo plur[es] providentiæ, ita diſtinctæ. Pro[b.] mai. Forma, qua Deus practi[cè] intelligit, & agit, ſe habet e[x] parte Dei intelligentis; ſed ide[a]

eſt forma, qua Deus practicè intelligit, & agit: ergo. Mai patet: Nam talis forma ſe habet ex parte artificis, & agentis. Reſp. diſt. mai. Intelligit primariò, conc. mai. Secundariò, nego mai. & diſt. min. Secundario, conc. min. Primario, nego min. & conſ. Licèt forma, qua Deus ita intelligit primario, ſe habeat ex parte Dei intelligentis: cum ſit ſpecies, ſeu eſſentia divina per modum ſpeciei. Non tamen forma, qua intelligit ſecundario: hæc enim ſe habet ex parte termini, & obiecti intellecti. Et cum idea ſit forma, qua Deus intelligit ſecundario: ideò non ſe habet ex parte Dei, ſed ex parte obiecti.

17 Cont. Idea eſt forma, qua Deus intelligit primario: ergo. Prob. ant. Eſſentia divina eſt forma, qua Deus intelligit primario; ſed idea Dei eſt eſſentia divina: ergo. Reſp. diſt. mai. Eſſentia divina ſecundùm ſe, conc. mai. Vt imitabilis à creaturis, nego mai. & diſt. minor. Vt imitabilis, conc. min. Secundùm ſe, nego min. & conſ. Licèt eſſentia divina ſecundùm ſe, & abſolutè ſumpta ſit forma, qua Deus intelligit primario, cum ita ſit ſpecies. Ipſa verò cognita vt diverſimodè imitabilis à creaturis, eſt forma, qua Deus intelligit ſecundario, & ſe habet ex parte termini, & obiecti.

18 Arg. 3. Pars obiectiva alicuius, eſt eiuſdem rationis cum omnibus partibus illius; ſed prædeſtinatio non eſt eiuſdem rationis cum alijs partibus divinæ providentiæ: ergo. Prob. min. Prædeſtinatio dicit conſecutionem infallibilem finis; ſed aliæ partes providentiæ divinæ eam non dicunt: ergo. Reſp. diſt. min. Reſpectu finis particularis, conc. min. Vniverſalis, nego min. & conſeq. Finis vniverſalis divinæ providentiæ eſt oſtenſio, & communicatio bonitatis, & manifeſtatio attributorum Dei. Et cum huius conſecutio in omnibus partibus providentiæ detur: ideò omnes conſequuntur illum, & ſunt eiuſdem rationis.

19 Cont. Prædeſtinatio non ſolùm dicit conſecutionem talis finis vniverſalis, ſed etiam particularis, nempè, gloriæ; ſed aliæ partes divinæ providentiæ ſolùm dicunt conſecutionem finis vniverſalis, non verò particularis: ergo non ſunt eiuſdem rationis. Reſp. diſt. conſ. Rationis accidendentalis, conc. conſ. Eſſentialis, nego conſ. Conſecutio finis vniverſalis eſt ratio eſſentialis providentiæ. Conſecutio autem finis particularis eſt ratio accidentalis: Cumquè in omnibus ſit conſecutio finis vniverſalis, licèt non particularis: ideò ſunt eiuſdem rationis eſſentialis, licèt non acciden-

dentalis. Quod ſufficit, vt ſint partes obiectivæ providentiæ divinæ.

20 Cont. Datur providentia non conſequens finem vniverſalem: ergo prædeſtinatio non erit eiuſdem rationis eſſentialis cum illa. Prob. ant. Providentia ſupernaturalis generalis, qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri, non conſequitur finem vniverſalem: ergo. Prob. ant. Non conſequitur finem particularem: ergo. Antec. patet: Cum non omnes conſequantur gloriam. Prob. conſ. Non conſequens finem proximum, non conſequitur remotum; ſed finis particularis eſt proximus, & vniverſalis remotus: ergo. Mai. patet: Nam ad remotum pervenitur per proximum. Min. conſtat: Cum proximè, & immediatè reſpiciat ſalutem omnium: & exinde manifeſtationem bonitatis, & attributorum Dei. Reſp. diſt. min. Vniverſalis ortus ex proximo, conc. min. Non ortus, nego min. & conſ. Manifeſtatio enim bonitatis, & attributorum Dei, non oritur ex collatione gloriæ. Imò hæc oritur ex illa. Quare non eſt finis remotus, ſed proximus, & præcipuè intentus. Qui in eis, qui non conſequuntur gloriam, conſequitur, & oſtenditur in collatione auxiliorum ſufficientium ad illam. Vnde adhùc non adepta ſalute, talis providentia conſequitur finem vniverſalem; cum q eſt eiuſdem rationis prædeſtin tio.

## QVÆSTIO SECVNDA.

### *DE CAVSA PRÆDEST nationis.*

CUM res cognoſcatur p ſuas cauſas; poſtqua actum eſt de eſſentia Pr deſtinationis, venit agendum cauſis illius, vt amplius à nol percipiatur.

## ARTICVLVS PRIMVS.

### *VTRVM ELECTIO ABS luta, & efficax Prædeſtinatorum ad gloriam ſit ante prævisa merita.*

1 NON procedit diffici tas de electione ac vè ſumpta: Cum actus Dei, qui eſt ante prævi nem meritorum creaturæ: c non poſsit cauſari ab illis; ſed illa obiectivè conſiderata, ſive obiecto illius. Vnde ſenſus An Deus præintelligatur elig aliquos ad gratiam, & merita; ex horum præviſione ad gloria An verò præelegerit abſolutè, efficaciter eos ad gloriam; & hac intentione motus fuerit eligendos illos ad gratiam, me-

merita? Sive: An merita præviſa, & prælecta fuerint cauſa gloriæ intentæ? An gloria præintenta, meritorum? Vtrumquè videtur poſsibile: cum fuerit liberum Deo. Hæc conſtant in Divo Thoma art. 5.

2 Variæ fuerunt opiniones. Origenes dixit: Deum præordinaſſe effectum prædeſtinationis propter merita præexiſtentia in alia vita. Erravit enim ſentiens: Animas fuiſſe ab initio creatas, & ſecundùm diverſitatem ſortiri diverſos ſtatus in hoc mundo, corporibus vnitas. Earum autem merita præterita ante hanc vitam, fore cauſam ſuæ electionis, & prædeſtinationis. Nunc Angel. Mag. ait: *Hanc opinionem excludit Apoſt Rom. 9. dicens: Cum nondum nati fuiſſent, &c.* Pelagiani affirmarunt: Merita in hac vita præexiſtentia fuiſſe cauſam prædeſtinationis. Sentiebant vtiquè: quod initium operationis bonæ erat ex nobis; & conſummatio à Deo: & quod ideò effectus prædeſtinationis conceditur vni, & non alteri, quia vnus initium præbuit, ſe præparando, & non alius. Hoc autem damnatum eſt in SS. CC. Arauſicano, Milevitano, & Tridentino. Et Angel. Doct. aſſerit: *Contra hoc eſt, quod dicit Apoſt. 2. Cor. 2. Quod non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis. Nullum autem anterius principium inveniri poteſt, quàm cogitatio. Vnde non poteſt dici, quod aliquod in nobis initium exiſtat, quod ſit ratio effectus prædeſtinationis.*

3 Alij dixerunt: Merita ſequentia effectum prædeſtinationis, fuiſſe rationem illius. Quorum ſenſus erat, inquit D. Thomas: *Quod ideò Deus dat gratiam alicui, & præordinavit ſe ei daturum, quia praſcivit eum benè vſurum gratia. Sicut ſi Rex det alicui militi equum, quem ſcit eo benè vſurum.* Hanc opinionem rejicit Angel. Præceptor: Quia videtur diſtinguere inter id, quod eſt ex gratia, & quod eſt ex libero arbitrio, quaſi non poſsit eſſe idem ex vtroquè. Et inſinuat hunc diſcurſum: Quod eſt ex gratia, non eſt ratio, ſed effectus prædeſtinationis; ſed merita ſequentia ſunt ex gratia: ergo. Mai. eſt certa: Cum ſub prædeſtinatione concludatur. Minor. patet: Aliàs eſſet incidere in errorem Pelagianorum: nam initium operationis bonæ, & meritoriæ eſſet ex nobis.

4 Deinde: Ratio prædeſtinationis eſt præter effectum illius; ſed quod eſſet ex nobis, foret ratio prædeſtinationis: ergo eſſet præter effectum illius: & ſic non eſſet ex gratia, quæ non eſt præter talem effectum. Vnde meritum, ſive initium operationis bonæ, & meritoriæ eſſet ex nobis. Præterea: Non eſt diſtinctum,

quod eſt ex libero arbitrio, ab eo, quod eſt ex prædeſtinatione; ſed quod eſt ex prædeſtinatione, non eſt ratio, nec cauſa effectus prædeſtinationis: ergo nec meritum prout eſt ex libero arbitrio. Mai. eſt certa: Sicut nec eſt diſtinctum, quod eſt à cauſa ſecunda, & prima. Aliqui nunc propugnant: Electionem prædeſtinatorum ad gloriam fore poſt prævisionem, licèt non ex prævisione meritorum. Senſus eſt: quod Deus poſt merita præviſa elegit, & intendit dare gloriam prædeſtinatis; non tamen ex meritis, ita vt merita ſint cauſa gloriæ intentæ, aut prædeſtinationis. Vt ſic verificetur: quod electio eſt omninò gratuita, & liberalis; ex miſericordia, & non ex iuſtitia: iuxta illud Joan. 3. *Spiritus vbi vult ſpirat*. Et 1. Corinth. 12. *Dividens ſingulis prout vult*. Et cap. 4. *Quis enim te diſcernit, &c.*

5 Concluſio: Electio abſoluta, & efficax prædeſtinatorum ad gloriam, eſt ante præviſa merita. Ita Thomiſtæ, & Scotiſtæ, & multi Jeſuitæ, vt P. Suar. Emin. Toletus, Cornel. à Lapide, & Henriquez. Eſt expreſſa D. Thomæ art. 5. & Beat. Alb. quæſt. 63. art 1. Eam tenent SS. Aug. Hieron. Greg. Bernard. & Bonavent. atquè Orig. Alenſis, & Abulenſis, videndi in M. Carraſco. Fundat illam Aug. Mag. in illo Apoſtoli ad Titum 3. *Non ex operib[us] iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecu[n]dum ſuam miſericordiam ſalvos n[os] fecit*. Nunc Divus Thomas: *Sic[ut] autem ſalvos nos fecit, ita prædeſt[i]navit nos ſalvos fieri. Non ergo præ[ſ]cientia meritorum eſt cauſa, vel rat[io] prædeſtinationis*. Et quæſt. 6. de v[e]rit. art. 2. cum Gloſſa: *Non p[ro] meritis præcedentibus. Nec pro mer[i]tis futuris.*

6 Ex quibus formatur di[ſ]curſus: Salvatio aliquorum ex m[i]ſericordia, & non ex iuſtitia, e[ſt] ante præviſa merita eorum; ſe[d] electio abſoluta, & efficax pra[e]deſtinatorum ad gloriam, eſt ſa[l]vatio illorum ex miſericordia, [&] non ex iuſtitia: ergo. Mai. eſt cer[]ta: Nam quæ eſt poſt prævi[ſa] merita, eſt ex iuſtitia: cum ſ[it] in præmium meritorum. Mino[r] conſtat ex verbis Divi Thoma[e]. Et hoc patet ex illo Pſal. 17. *Sa[l]vum me fecit, quoniam voluit m[e]*. Et Pſal. 55. *Pro nihilo ſalvos faci[es] eos*. Præterea: Salvatio poſt præ[]viſa merita, eſt ex operibus iuſt[i]tiæ; ſed talis electio non eſt [ex] operibus iuſtitiæ: ergo. Mai. pa[]tet: Cum ſit ex meritis, quæ ſu[nt] opera iuſtitiæ, obligantia remu[]neratorem ad præmium. Mino[r] conſtat num. ant.

7 Conſtat etiam concluſio [ex] illo Rom. 9. v. 11. *Cum enim no[n]dum nati fuiſſent, aut aliquid bo[ni] egiſſent, aut mali (vt ſecundum ele*

*ctionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia maior ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*. D. Thomas lect. 2. *Non ſecundùm merita, ſed ſecundùm electionem. Id eſt, in quantum ipſe Deus ſpontanea voluntate vnum alteri prælegit, non quia Sanctus erat, ſed vt Sanctus eſſet.* Et D. Auguſtinus lib. 3. Hipognoſtic. cap. 105. ad 6. ait: *Rem ita ſtupendam non propoſuiſſet Apoſtolus, ſi ſolùm de dignitate temporali, & non de æterna tractaſſet. Vnde proſequitur Apoſtolus: ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.*

8 Nec dicas: Excludere opera, & merita præſentia. Non futura, & prævïſa. Nam M. P. Aug. lib. 1. cont. duas Epiſt. Pelag. cap. 7. aſſerit: *Propter quod profectò, deſipitis, qui dicente veritate: non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, vos dicitis, ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum eſſe præſciebat, Jacob fuiſſe dilectum, atquè ita contradicitis Apoſtolo dicenti: non ex operibus, quaſi non poſſet dicere, non ex præſentibus, ſed ex futuris.* Et lib. 6. Hipognoſtic. addit: *Taceat ergo omnis lingua, & prorſus in prædeſtinatione de meritis non extollatur; divinæ voluntatis eſt hoc donum, non humanæ fragilitatis meritum.*

9 Roboratur ex illo Epheſ. 1. v. 4. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus Sancti, & immaculati in conſpectu eius.* Ubi Apoſtolus loquitur de electione ad beatitudinem, in ſe, & formaliter conſiderata; vt exponit Divus Thomas cum Gloſſa: Et notat, ſicut & D. Aug. de Prædeſt. Sanct. cap. 18. & 19. quod Apoſtolus non dicit: Deum eos elegiſſe, quia erant, vel futuri erant Sancti, ſed vt eſſent Sancti. In quo oſtenditur: Sanctitatem, & merita non fuiſſe rationem electionis, ſed electionem fore rationem Sanctitatis, & meritorum. Hinc Divus Thomas lect. 1. dicit: *Ponit Apoſtolus voluntariam Dei prædeſtinationem, cuius quidem prædeſtinationis ratio non ſunt merita noſtra, ſed mera Dei voluntas; propter quod ſubdit: ſecundùm propoſitum eius.*

10 His manet præcluſa interpretatio de electione ad regnum, & dignitatem temporalem: cum Apoſtolus loquatur de prædeſtinatis ſub typo Jacob, & de reprobis ſub typo Eſau: Sicquè loquitur de electione ad vitam æternam. Hæc eſt communis intelligentia SS. PP. qui poſſunt videri in noſtris AA. & in PP. Alapide, & Pererio. Et eſt ſatis expreſſa in ipſo Apoſtolo, qui vtitur exemplo diſcretionis Jacob, & Eſau: vt oſtendat potentiam Dei, qui ex eadem maſſa fecit prædeſtinatos, & reprobos. Sic enim ait Rom. 9. v. 21. *An non habet poteſtatem [illegible]*

*lus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ, apta in interitum, vt oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Ubi oſtendit electionem prædeſtinatorum ad gloriam eſſe ex miſericordia Dei, & non ex meritis illorum. Quare v.16. ait: *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.*

11 Reſpondebis: Loqui de electione ad gratiam; quæ eſt ante præviſa merita. Non de electione ad gloriam; quæ eſt poſt merita præviſa. Cont. Apoſt. loquitur de electione, in qua non conveniebant Jacob, & Eſau; & in qua non conveniunt prædeſtinati, & multi reprobi; ſed in electione ad gratiam conveniebant: Siquidem Eſau fuit aliquando in gratia, antequam peccaret in fratrem ſuum Jacob; & multi reprobi conveniunt in ea cum prædeſtinatis: cum pro aliquo tempore ornati ſint gratia: vt patet in Juda electo Apoſtolo, & ante peccatum proditionis: ergo non loquitur de electione ad gratiam, ſed de electione ad gloriam.

12 Reſpondebis: Loqui de electione ad gloriam, ante præviſionem operum naturalium; non verò ſupernaturalium, quæ procedunt ex gratia. Cumquè hæ ſint merita: ideò talis electio no[n] eſt ante, ſed poſt præviſa merit[a]. Cont. Apoſtolus commendat m[i]ſericordiam, & liberalitatem D[ei] eligentis prædeſtinatos ad glori[am] ſed tali miſericordiæ, & liberalitati, nedum opponitur præviſi[o] operum naturalium, verùm, [&] ſupernaturalium, ac meritorum ergo loquitur de electione ad gloriam ante præviſionem operu[m] ſupernaturalium, & meritorum. Prob.min. Eligere aliquos ad gloriam ex præviſione operum ſupernaturalium, & meritorum, eſt debitum iuſtitiæ: cum ex iuſtiti[a] meritis correſpondeat præmium ſed eligere ex debito iuſtitiæ opponitur electioni ex miſericordia & liberalitate: ergo.

13 Dices: Hæc ſuadere: Electionem non fore ex meritis: n[am] eſſet ex iuſtitia, & non ex gratia miſericordia, & liberalitate. C[um] cohæret, quod fuerit poſt præviſa merita. Cont. Si electio fore[t] poſt præviſa merita, etiam eſſe[t] ex meritis; ſed non eſt ex meriti[s] ergo nec poſt præviſa, ſed ant[e] præviſa merita. Prob.mai. Si foret poſt præviſa merita, eſſet a[d] remuneranda merita; ſed electi[o] ad remuneranda merita, eſt e[x] meritis: ergo. Mai.patet: Aliunde ad quid præviſio meritorum Min.conſtat: Cum merita exigan[t] ſui remunerationem; nam de ra

tione meriti eſt exigere premium; & remuneratio præmij eſt debita merito.

14 Prob. 1. concluſ. ratione Divi Thomæ art. 5. Electio abſoluta efficax prædeſtinatorum ad gloriam habet pro ratione divinam voluntatem; ſed ſi non eſſet ante prævisa merita, non haberet pro ratione illam: ergo eſt. Min. patet: Nam haberet pro ratione ipſa merita. Probat. mai. Electio abſoluta efficax prædeſtinatorum ad gloriam, habet pro ratione illud, ex quo, vt principio, procedit effectus prædeſtinationis; & ad quod, vt ad finem, ordinatur; ſed procedit ex divina voluntate, vt principio; & ad ipſam, vt finem, ordinatur: ergo. Min. eſt certa: Nam Deus, quia voluit, intendit dare aliquibus gloriam, eoſquè ordinavit ad illam: non quia motus ſit ex eorum meritis, ſed ex bonitate divina.

15 Reſpondebis: Quod electio activè ſumpta habet pro ratione divinam voluntatem: cum ſit actus divinus, qui non poteſt habere pro ratione, aut cauſa quid creatum. Accepta autem obiectivè, & pro obiecto, non habet pro ratione illam, ſed merita: cum ſic gloria ſit volita, & intenta ex meritis, ſive ex prævisione meritorum. Cont. Ratio Divi Thomę non procedit de electione ſubiectivè, nec activè ſumpta, ſed de ipſa obiectivè, & ex parte effectus conſiderata; ſed reſolvit, quod non eſt ex prævisione meritorum, ſed ex divina voluntate: ergo. Mai. patet quoad 1. p. ex ipſo aſſerente: *Dictum eſt ſupra, quod non eſt aſsignare cauſam divinæ voluntatis ex parte actus volendi, ſed poteſt aſſignari ratio ex parte volitorum, in quantum ſcilicet Deus vult eſſe aliquid propter aliud. Nullus ergo fuit ita inſanæ mentis, qui diceret merita eſſe cauſam divinæ prædeſtinationis ex parte actus prædeſtinantis. Sed hoc ſub quæſtione vertitur, vtrum ex parte effectus prædeſtinatio habeat aliquam cauſam. Et hoc eſt quærere, vtrum Deus præordinaverit ſe daturum effectum prædeſtinationis alicui propter merita.*

16 Quoad 2. & etiam minor: conſtat ex S. Doctore aſſerente: *Habet tamen hoc modo prædeſtinatio ex parte effectus pro ratione divinam voluntatem, ad quam totus effectus prædeſtinationis ordinatur vt in finē, & ex qua procedit ſicut ex principio primo movente.* Et pro pleniori notitia, ita concludit: *Effectum prædeſtinationis conſiderare poſſumus dupliciter. Vno modo in particulari, & ſic nihil prohibet aliquem effectum prædeſtinationis eſſe cauſam, & rationem alterius. Poſteriorem quidem prioris ſecundùm rationem cauſæ finalis, priorem verò poſterioris ſecundum rationem cauſæ meritoriæ. Quæ reducitur ad diſpoſitionem materiæ.*

Si-

*Sicut ſi dicamus, quod Deus præordinavit ſe daturum alicui gratiam, vt mereretur gloriam. Alio modo poteſt conſiderari prædeſtinationis effectus in communi. Et ſic impoſsibile eſt, quod totus prædeſtinationis effectus in communi habeat aliquam cauſam ex parte noſtra. Quia quidquid eſt in homine ordinans ipſum in ſalutem, comprehenditur totum ſub effectu prædeſtinationis, etiam ipſa præparatio ad gratiam. Neque enim hoc fit niſi per auxilium divinum, ſecundum illud Thren. vlt. Converte nos Domine ad te, & convertemur.*

17 Prob. 2. concluſ. In Deo volitio gloriæ conferendæ prædeſtinatis, præcedit volitionem meritorum; ſed talis volitio gloriæ eſt electio ad gloriam: ergo hæc præcedit volitionem meritorum, & præviſionem eorum: Cum hæc ante volitionem divinam non ſint futura, vt prævideantur. Prob. maior. Intentio efficax finis præcedit electionem efficacem mediorum; ſed volitio gloriæ conferendæ eſt intentio efficax finis, & volitio meritorum eſt electio efficax mediorum: ergo. Min. patet: Cum gloria ſit finis, & merita ſint media, quibus conſequenda eſt. Prob. mai. Cauſa præcedit effectum; ſed intentio efficax finis eſt cauſa electionis efficacis mediorum: ergo.

18 Roboratur: Finis ſe habet in practicis, ſicut principia in ſpeculativis: vt fert commune proloquium; ſed in ſpeculativis aſſenſus principiorum eſt cauſa aſſenſus concluſionis, ipſumque præcedit: & ipſa principia ſunt cauſa præcedens concluſionis: ergo intentio efficax finis eſt cauſa præcedens electionis efficacis mediorum; & ipſe finis reſpectu mediorum: ſicquè gloria, & intentio gloriæ præcedit merita, & electionem efficacem meritorum; quæ erit ante præviſa merita. Quare Ang. Mag. art. 4. ait: *Non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, niſi præexiſtente voluntate finis. Vnde prædeſtinatio aliquorum in ſalutem æternam præſupponit ſecundum rationem, quod Deus illorum velit ſalutem.*

19 Reſpondedis: Quod ſufficit intentio inefficax finis ad electionem efficacē mediorum. Vnde non requiritur, quod electio abſoluta efficax ad gloriam præcedat electionem efficacem, & præviſionem meritorum. Cont. Intentio finis eſt cauſa finalis, vel effectiva electionis mediorum; ſed ſola intentio efficax finis poteſt ita eſſe cauſa electionis efficacis mediorum: ergo hæc debet præcedere illam. Mai. eſt communis. Prob. minor. Cauſa continet formaliter, aut virtualiter quidquid eſt in effectu; ſed ſola intentio efficax finis continet ita efficaciam electionis mediorum: ergo.

Min.

Min.conſtat: Nam inefficax neꝗ̃uam continet efficaciam.

20 Roboratur: Quia aſſenſus præmiſſarum eſt cauſa continens aſſenſum concluſionis, non ſtat, quod aſſenſus præmiſſarum ſit topicus, & aſſenſus concluſionis ſcientificus: ergo quia intentio finis eſt cauſa continens electionem mediorum, non ſtat, quod intentio ſit inefficax, & electio efficax. Prob.conſ. Sicut aſſenſus ſcientificus eſt perfectior topico, ita volitio efficax inefficaci; ſed: ergo. Corroboratur: Finis inefficaciter intentus nequit eſſe ratio, nec cauſa electionis efficacis mediorum: ergo intentio inefficax finis non ſufficit ad illam. Prob. ant. Finis inefficaciter intentus præſcindit à circunſtantijs, quas haberet in re, executioni mandatus; ſed electio efficax mediorum non præſcindit ab illis, cum inferat infallibiliter conſecutionem finis cum eis: ergo.

21 Illuſtratur: Electio mediorum, cum ſit directa actu prudentiæ, eſt circa media, vt proportionata intentioni finis, ſeu fini præintento; ſed non eſt iuxtà prudentiam, ex intentione inefficaci finis eligere efficaciter media efficacia pro conſecutione finis: Sicut nec ex intentione efficaci eligere inefficacia: ergo. Min. conſtat: Quare iudex ſolum inefficaciter volens, homicidam viveret, imprudenter eligeret media efficacia pro conſervatione vitæ illius: & intendens efficaciter, eum mori, imprudenter eligeret media inefficaciter inductiva mortis eius. Cum igitur imprudentia, ignorantia, & omnis imperfectio repugnet Deo, etiam ei repugnabit electio efficax mediorum, cum intentione inefficaci finis.

22 Reſpondebis: Hoc convincere in eo, qui diſtinctis actibus vult finem, & media. Non in eo, qui vnico, qualis eſt Deus. Cont. Licèt Deus eodem realiter, & entitativè actu velit finem, & media; diverſo tamen virtualiter, ita vt intentio finis ſit actus virtualiter diſtinctus ab electione mediorum; ſed hoc ſufficit, vt prædicta verificentur ſubiectivè ex parte Dei in ſenſu virtuali, & obiectivè, ſive ex parte obiecti in ſenſu formali: ergo verificantur. Sicut propterea, in hoc ſenſu, ſunt alia in Deo. Sic enim eſt in illo ſimplex intelligentia, quæ eſt cognitio principiorum; & ſcientia, quæ eſt aſſenſus concluſionis: quæ ſubiectivè in ſenſu virtuali eſt effectus illius; & obiectivè, ſeu ex parte obiecti poteſt eſſe effectus in ſenſu formali: Vt cum cognoſcit ſcientificè creaturas.

23 Reſpondebis: Verum eſſe in eo, qui intendit ſibi finem. Non in intendente alijs. Et cum Deus

non

non intendat gloriam ſibi, ſed nobis: ideò poteſt moveri ex intentione inefficaci finis ad electionem efficacem mediorum. Cont. Ideò intendens ſibi finem, non poteſt moveri ad electionem efficacem mediorum efficacium, niſi ex intentione efficaci finis, quia volitio efficax mediorum non poteſt oriri, niſi ex volitione efficaci finis; ſed etiam in intendente finem alijs non poteſt, niſi ita oriri: ergo.

24 Reſpondebis: Poſſe moveri ex intentione inefficaci finis ad electionem efficacem mediorum, cum intendit alteri finem; vt præmium, quod conſequatur labore, & merito. Quomodo intendit Deus gloriam prædeſtinatorum. Cont. Intendens ita finem, aut præbet alteri laborem, & induſtriam, vt mereatur; vel non? Si præbeat; intentio finis iam eſt efficax: cum ex ea moveatur efficaciter ad media efficacia pro conſecutione finis. Si non præbeat; neque electio mediorum eſt efficax: cum media ſint labor, & induſtria; quæ ex vi talis intentionis non adhibentur: ergo electio efficax mediorum non poteſt ſequi ex intentione inefficaci finis.

25 Reſpondebis: Prædicta convincere, cum media ſunt phyſica, quæ non movent agens ad volitionem finis: imò finis movet ad electionem mediorum. N[…] verò cum ſunt moralia, vt me[…]ta: quia hæc movent remune[…]torem ad conferendum prę[…]mi[…] Cont. Intentio efficax finis p[…]cedit, & movet ad election[…] mediorum propriè talium; […] media moralia, qualia ſunt [...]rita, ſunt propriè media: er[…] Mai. patet: Alias eſſent cauſæ [...]rè efficientes, ſicut merita Ch[...]ſti reſpectu noſtræ glorię. Dein[…] Deus non movetur ad election[…] efficacem mediorum ad glori[…] prædeſtinatorum, niſi quate[…] movetur ad volitionem auxil[…]rum efficacium, quibus prædeſ[…]nati merentur; ſed auxilia effi[…]cia ſunt media phyſica, & n[…] moralia: ergo non, niſi ex inte[…]tione efficaci finis, movetur […] talem electionem. Minor. pat[…] Nam talia auxilia nec ſunt lib[…]ra, nec meritoria. Nec mer[…] movent in ordine intentivo [...]muneratorem ad conferend[…] præmium, ſed in executivo: q[…] Deus ex intentione conferen[…] gloriam, prædeterminat meri[…] licèt in executione præbeat g[…]riam pro meritis.

26 Reſpondebis adhùc: H[…] eſſe vera, cum media ſunt effic[…]cia, & vt efficacia eliguntur. S[…]cus, cum licèt ſint, non eligu[…]tur vt efficacia. Vt evenit in pr[…]ſenti: nam licèt merita ſint ef[…]cacia ad conſequendam gloria[…]

à

à Deo non eliguntur formaliter vt efficacia; ſed entitativè, materialiter, & in ſe conſiderata; & poſt illa ita prævisa, Deus intendit efficaciter dare gloriam. Cont. Si hoc ita eſſet, media ad conſequendam gloriam, formaliter vt efficacia, non eſſent dona, nec merita Dei; ſed hoc non poteſt dici, cum ſapiat errorem Semipelagianorum: ergo. Maior. patet: Nam prout ſic non eſſent volita à Deo. Præterea: Nam diſcretio prædeſtinatorum à reprobis non reduceretur in divinam voluntatem, ſed in humanam: cum prædicta efficacia, vnde proveniret, non eſſet volita à Deo; ſed tale aſſertum fuit error Pelagianorum, & Semipelagianorum: ergo.

27 Denique: Electio horum mediorum præ alijs, eſt volitio ſpecialis horum præ alijs; ſed ſi non eligerentur vt habentia connexionem infallibilem cum gloria, in quo conſiſtit eorum efficacia, non eſſet ſpecialis volitio horum præ alijs: ergo nec electio. Mai. patet: Cum debeat eſſe electio diſcretiva prædeſtinatorum à reprobis. Prob. minor. Vt non connexa infallibiliter cum gloria, etiam conferuntur reprobis: ergo. Dices: Deum velle media formaliter vt connexa, & vt efficacia ad conſequendam gloriam. Non tamen velle formaliter, & directè; ſed virtualiter, & indirectè: cum ſcientia media prævideat, quæ auxilia futura ſint efficacia, & quæ inefficacia ad perſeverandum; & ex amore ſpeciali eligit prævisa efficacia; quæ tribuit prędeſtinatis, & non reprobis. Sicquè diſcretio reducitur in divinam voluntatem. Veruntamen art. ſeq. videbimus: Scientiam mediam nec requiri, nec concurrere ad hanc electionem.

28 Et inſtatur in principijs reſpondentis: Deus prævidens Petrum, & Paulum in vna occaſione æquè benè vſuros auxilio eis collato, & ſalvandos, & in alia non; poteſt vni conferre auxilium, & gratiam in illa occaſione, & alteri non conferre, ſed in alia, in qua prævisus eſt non benè vſurus, & damnandus; ſed in tali caſu non vult ita media, nec intentio ſalvandi alterum provenit ex præviſione meritorum, cum vterque ſit æquè prævisus: ergo non eſt, vnde hoc proveniat, ſicut & diſcretio vtriuſquè, niſi ex intentione ab intrinſeco efficaci, & ſine tali præviſione ſcientiæ mediæ, ſalvandi illum. Præterea: Si Deus vellet efficaciter directè media, vt connexa cum gloria, electio eorum moveretur ex intentione formali efficaci gloriæ; & hæc eſſet ante prævisa merita; ergo ſi vult efficaciter indirectè, & virtualiter illa, movetur ex intentione virtuali efficaci; quæ ne-

quit eſſe, niſi in aliqua volitione præcedente electionem; & ad quam non ſufficit intentio ineffi-cax.

29 Dices: Hæc convincere: Electionem efficacem mediorum ad gloriam provenire ex intentione efficaci conferendi gloriam; non his determinatè præ alijs, ſed vagè, & in communi. Cont. Intentio conferendi gloriam aliquibus vagè, & in communi, non eſt efficax, ſed ad ſummum erit amor, & ſimplex complacentia: ergo ſi electio efficax provenit ex intentione efficaci, erit conferendi gloriam his præ alijs. Prob. ant. Intentio efficax eſt de fine in re conſequendo; ſed gloria non eſt conſequenda in re â perſonis vagè, nec in communi, ſed à perſona determinata, & in particulari: ergo. Roboratur: Deus ex tali intentione efficaci movetur ad donandum merita, non aliquibus vagè, ſed determinatè his prę alijs: ergo cum media ſint volita propter finem intentum ab operante, intentio efficax, ex qua procedit, erit de conferenda gloria his, præ illis.

30 Reſpondebis: Verum eſſe, cum media amantur ſolùm propter finem. Non cum etiam propter ſe: quomodo Deus vult tribuere merita, propter bonitatem meritorum. Cont. Licèt media ex ſe ſint amabilia, cum habent in ſe bonitatem, vt merita; reduplicativè media non ſunt [volita], niſi propter finem; ſed in præſentem providentiam mer[ita] non ſunt volita à Deo, niſi [vt] media, & propter gloriam: er[go]. Mai. patet ex Divo Thoma qu[æſt.] 19. art. 2. Nam in volitis prop[ter] finem, qualia ſunt media, vt [me]dia, finis eſt tota ratio moven[di]. Min. conſtat ex PP. & ex Sa[cra] Scriptura; præcipuè ex illo M[atth.] 10. v. 20. *Qui autem perſeveravi[t] vſquè in finem, hic ſalvus erit.*

31 Reſpondebis aliter: De[um] non eligere merita propter g[lo]riam conferendam prædeſtina[tis,] ſed propter communication[em] ſuæ bonitatis, & oſtenſionem ſ[uo]rum attributorum; licèt mer[itis] præviſis, hæc ordinaverit ad g[lo]riam. Quare non intentio con[fe]rendi gloriam, ſed intentio co[m]municandi bonitatem, & ma[ni]feſtandi attributa, præcedit e[le]ctionem mediorum. Cont. Li[cèt] Deus velit merita, ſicut & omn[ia] propter ſuam bonitatem, vt fin[em] vnicum formalem; prætereà [ex] parte obiecti vult aliqua cre[ata] propter finem proprium eoru[m] & quaſi materialem reſpectu D[ei] non exercentem cauſalitatem [in] actum voluntatis divinæ, ſed [ex] parte obiecti, & in media, q[uæ] ſunt propter finem: ergo ſic v[ult] merita, vt media, propter g[lo]riam; quàm, & ea mediant[e]

vult & merita ita propter ſuam bonitatem. Mai. conſtat ex Divo Thoma quæſt. 19. art. 5. dicente: *Vult ea, quæ ſunt ad finem, ordinari in finem. Vult ergo hoc eſſe propter hoc, ſed non propter hoc vult hoc.*

32 Dices: Sufficere intentionem efficacem communicandi bonitatem Dei, ad electionem efficacem mediorum. Et non requiri intẽtionem efficacem gloriæ: nam cum finis non eſt vnicus, ſed duplex, ſufficit intentio efficax cuiuslibet. Cont. Licèt hoc ſit verum, cum fines ſunt diverſi, & non ſubordinati, ita vt vnus ſine alio intendatur, & valeat conſequi; non cum aliter ſe habent; ſed prædicti non ſic, ſed aliter ſe habent: ergo. Prob. minor. Bonitas divina, ſeu communicatio illius eſt finis vniverſalis formalis, & ſubiectivus Dei, propter quam Deus omnia vult: gloria autem eſt finis quaſi materialis ipſius, & obiectivus proprius meritorum, propter quam, iuxtà præſentem providentiam, Deus vult merita; ſed in hoc fine eſt ſubordinatio illi: ergo. Nec Deus prædeſtinans intendit præcisè communicare ſuam bonitatem, ſed illam communicare media gloria, ſeu collatione gloriæ: ergo etiam intendit efficaciter hanc, & exinde eligit media: Sicquè intentio efficax gloriæ præcedit electionem mediorum.

33 Reſpondebis deniquè: Intentionem efficacem gloriæ præcedere electionem efficacem mediorum, & voluntatem conferendi auxilia efficacia ad perſeverandum. Non verò electionem mediorum: nam hæc non ſunt media efficacia ad conſecutionem gloriæ, niſi ſub perſeverantia. Cont. Electio prædeſtinatorum ad perſeverantiam finalem non fit ex meritis prævisis, cum præcedat merita: ergo nec intentio efficax conferendi gloriam, quæ præcedit electionem ad perſeverantiam.

34 Nec dicas: Eſſe verum de perſeverantia ſumpta pro tota ſerie auxiliorum, quæ requiruntur ad conſervationem gratiæ vſquè ad finem vitæ. Non pro vltimo ad finiendum in gratia; quæ licèt non cadat ſub merito condigno, cadit ſub impetratione. Unde electio prędeſtinatorum ad perſeverantiam finalem præcedit præviſionem huius, & non illius. Nam perſeverantia finalis ſumpta pro tota ſerie includit prædictum vltimum auxilium: ergo ſi illa ita fit ante præviſa merita, etiam hæc. Nec dicas: Verum eſſe de tota ſerie adæquatè ſumpta; non inadæquatè accepta. Nam primum auxilium, vt præſcindit ab vltimo, non dicitur perſeverantia; quæ non eſt, niſi coniungat gratiam cum morte: ergo vltimo

auxilio præciſo, cœtera ſunt communia prædeſtinatis, & reprobis. Unde ſi electio eſt ante prævisionem perſeverantiæ, eſt ante illam adæquatè, & inadæquatè acceptam.

35 Prob. 3. concluſ. ratione Divi Thomæ queſt.6.de verit.artic.2. Præſcientia meritorum non eſt cauſa electionis abſolutæ efficacis prędeſtinatorum ad gloriam: ergo eſt ante prævisionem illorum, & ſuorum meritorum. Ant. eſt Divi Thomę loquentis de prędeſtinatione ſumpta intenſivè, & pro electione; vt etiam docet hic art.5. Prob.quoquè: Merita ſunt poſt electionem prædeſtinatorum ad gloriam: ergo. Prob.ant. Sunt poſt electionem ad gratiam: ergo. Ant. eſt certum: Cum gratia ſit principium meriti. Conſeq.patet: Nam gratia eſt effectus talis electionis,& prædeſtinationis. Concludit itaquè Ang.Mag.art.2. dicens: *Quod Deus velit alicui dare gratiam, & gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit. In his autem quæ ex liberalitate procedunt, tantum cauſa volendi eſt ipſa ſuperabundans affectio voluntatis ad finem, in quo attenditur perfectio bonitatis ipſius. Vnde cauſa prædeſtinationis nihil eſt aliud, quam bonitas ipſius Dei.*

36 Arg 1. Præſcientia meritorum eſt cauſa electionis prædeſtinatorum ad gloriam: ergo hæc non eſt ante merita præſcita, & prævisa. Prob.antec. Præſcien[tia] meritorum eſt cauſa prædeſti[na]tionis: ergo. Prob.antec. ex Rom.8. *Quos præſcivit, & præ[de]ſtinavit*: ergo. Reſp.admitto, [&] explico Sac. Textum cum D.T[ho]ma art.1. Cuius ſenſus eſt: N[on] quod ex meritis præſcitis volu[it] conferre gratiam, aut glori[am], ſed quod in executione, ob m[eri]ta confert gloriam; ad quam finem, ordinat illa. Sic enim *Vſus gratiæ præſcitus non eſt r[atio] collationis gratiæ, niſi ſecun[dum] rationem cauſæ finalis.* Et Rom[.] lect.6. oſtendit inconveniens, [di]cens: *Ponere quod aliquod meri[tum] ex parte noſtra præſupponatur, c[uius] præſcientia ſit ratio prædeſtinatio[nis] nihil eſt aliud, quam gratiam po[nere] dari ex meritis noſtris; & q[uod] principium bonorum operum eſt ex [no]bis.*

37 Cont. Deus ex me[ritis] præſcitis voluit prædeſtinatis [con]ferre gloriam: ergo. Prob.an[t. ex] illo Rom.9. v.15. *Miſerebor, c[ui] miſereor.* Cui addit S.Ambroſ. [apud] à Divo Thoma quæſt.6. de ve[rit.] art.2. arg.2. & hic art.5.argu[m.] *Miſericordiam illi dabo quem præ[ſcivi] toto corde reverſurum ad me:* e[rgo.] Reſp.admitto, & explico auth[oritatem] vt num.ant.ad 1. & loc.cit.de [ve]rit.addit S. Doctor: *Non inte[lli]gendum eſt quod perfecta converſio ſit inclinans voluntatem [ad] dandum gratiam; ſed quod datam g[ratiam]*

*tiam ad hoc ordinat, vt aliquis accepta gratia perfectè conuertatur in Deum.*

38 Cont. Intelligendum eſt, quod talis conuerſio inclinet, vt Deus conferat gratiam, & eligat ad gloriam; ergo. Prob ant. Electio diuina includit voluntatem diuinam rationabilem; ſed nulla alia ratio videtur eſſe, vt Deus vni præ alio conferat gratiam, eumquè eligat ad gloriam, niſi talis conuerſio vnius, & non alterius: ergo. Reſp. diſt. minor. Eſſe quaſi apparenter, permitto min. In re, nego min. & conſ. Pro quo Ang. Mag. art. 5. ad 2. ait: *Prædeſtinatio habet rationem ex parte effectus in communi ipſam diuinam bonitatem. In particulari autem vnus effectus eſt ratio alterius.*

39 Cont. Bonitas diuina non eſt ratio electionis vnius præ alio: ergo. Prob ant. *Non eſt iniquitas apud Deum*, vt dicitur ad Rom 9. Sed ſi bonitas diuina eſſet ratio electionis vnius præ alio, eſſet: ergo Prob. min. Iniquitas videtur, dare æqualibus inæqualia; ſed Deus ita eligens vnum præ alio, daret æqualibus inæqualia: ergo. Prob. min. Omnes homines ſunt æquales in natura, & in peccato originali: ergo. Reſp. diſt. conſeq. In his, quæ ſunt debita, nego conſ. Gratuita, conc. conſeq. Ita Diuus Thomas ad 3. dicens: *Hoc enim eſt contra iuſtitiæ rationem, ſi prædeſtinationis effectus ex debito redderetur, & non daretur ex gratia. In his enim quæ ex gratia dantur, poteſt aliquis pro libito ſuo dare cui vult plus, vel minus (dummodo nulli ſubtrahat debitum) abſquè præiudicio iuſtitiæ. Et hoc eſt quod dicit pater familias Matt. 20. Tolle quod tuum eſt, & vade, an non licet mihi quod volo facere?*

40 Arg. 2. Electio efficax abſoluta prædeſtinatorum ad gloriam, eſt rationabilis; ſed ſi eſſet ante præuiſa merita eorum, non eſſet rationabilis: ergo non eſt. Prob. minor. Vt ſit rationabilis, debet eſſe ratio, quare Deus aliquos eligat ad gloriam, & non alios; ſed ſi eſſet ante præuiſa merita eorum, non foret ratio: ergo. Mai. patet: Nam rationabile eſt, quod ratione fit. Prob. min. Ante eorum merita non apparet ratio, quare Deus aliquos homines, præ alijs, eligat ad gloriam: ergo. Prob. ant. Ante merita omnes homines videntur æquales reſpectu gloriæ: ergo. Ant. patet: Cum non appareat quid ſpeciale in vno, præ alio, reſpectu gloriæ, vſque dum eſt in vno meritum, quod non eſt in alio.

41 Reſp. diſt. conſ. Ratio ex parte eligendorum, conc. conſeq. Dei eligentis, nego conſeq. Pro quo, & alijs Ang. Doct. ad 3. ait: *Ex ipſa bonitate diuina ratio ſumi poteſt prædeſtinationis aliquorum, &*

*reprobationis aliorum. Sic enim Deus dicitur omnia propter ſuam bonitatem feciſſe, vt in rebus divina bonitas repreſentetur. Neceſſe eſt autem quod divina bonitas (quæ in ſe eſt vna, & ſimplex) multiformiter repreſentetur in rebus propter hoc, quod res creatæ ad ſimplicitatem divinam attingere non poſſunt. Et inde eſt quod ad complexionem vniverſi requiruntur diverſi gradus rerum, quarum quædam altum, & quædam infimum locum teneant in vniverſo. Et vt multiformitas graduum conſervetur in rebus, Deus permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediantur. Sic igitur conſideremus totum genus humanum, ſicut totam rerum vniverſitatem. Voluit igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos prædeſtinat, ſuam repreſentare bonitatem, per modum miſericordiæ parcendo: & quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum iuſtitiæ puniendo. Et hæc eſt ratio, quare Deus quoſdam eligit, & quoſdam reprobat.* Et adducit illud 2.Tim.1. *In magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed etiam lignea, & fictilia. Et quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam. Sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem, niſi divinam voluntatem. Vnde Aug. dicit ſup. Joann. Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, ſi non vis errare.*

42 Cont. His non obſtantibus, electio efficax abſoluta prædeſtinatorum ad gloriam, eſt poſt prævisa merita: ergo. Prob. ant. Excluſio reproborum à gloria eſt poſt prævisa demerita: ergo. Prob. conſ. Sicut Divus Thomas aſsignat voluntatem Dei, vt rationem prædeſtinationis, ita & reprobationis; ſed: ergo. Reſp. diſt. min. A gloria per modum pœnę conc. min. Beneficij indebiti, nego min. & conſ. Excluſio enim à gloria per modum pœnæ, eſt poſt prævisa demerita; cum ſit in pœnam demeriti, & peccati. Per modum autem beneficij indebiti, eſt ante: de qua prout ſic loquitur in præſenti Ang. Mag. Cumque hæc correſpondeat, vt oppoſita, electioni predeſtinatorum ad gloriam: ideò hæc eſt ante prævisa merita.

43 Nec ex hoc ſequitur inconveniens. Imò Deus ſic eligens ſplendet miſericors; & non eligēs, ſive excludens, admiratur iuſtus. Quare Divus Thomas ad Rom. 9. lect. 3. ait: *Non poteſt eſſe quod merita conſequentia gratiam ſint ratio miſerendi, aut prædeſtinandi: ſed ſola Dei voluntas ſecundum quam miſericorditer aliquos liberat. Manifeſtum eſt autem quod iuſtitia diſtributiva locum habet in his, quæ dantur ex debito: puta, ſi aliqui meruerunt mercedem, vt plus laborantibus maior merces donetur; non autem locum habet in his, quæ ſpontè, & miſeri-*

*corditer aliquis dat: puta ſi aliquis duos pauperes in via inveniens, & det vni quod poteſt, vel diſponit eleemoſynam dare, non eſt iniquus, ſed miſericors. Similiter ſi duobus æquè ipſum offendentibus, vni dimittat offenſam, & non alteri, eſt miſericors vni, & iuſtus ad alterum, neutri verò iniquus.*

44 Cont. Excluſio reproborum à gloria per modum pœnæ eſt poſt præviſa demerita, licèt non excluſio à gloria per modum beneficij indebiti: ergo electio prædeſtinatorum ad gloriam, vt Coronam, erit poſt præviſa merita, licèt non ad gloriam per modum beneficij indebiti. Prob. conſ. Sicut pœna correſpondet demeritis, ita Corona meritis; ſed: ergo. Reſp. nego conſeq. Ratio eſt: Quia gloria, vt corona, eſt bonum ratione ſui eligibile à Deo, intendente ipſam, & deinde ordinante merita, propter quæ conferat illam. Pœna autem, vt talis, non eſt ratione ſui bonum ita eligibile. Quare Deus non intendit illam, quin prævideat demerita, propter quæ intendat eam.

45 Cont. Etiam pœna eſt quid bonum; ſed ratione ſui nequit præintendi à Deo, ſed ex præviſione demeritorum: ergo licèt gloria, vt corona, ſit quid bonum, nequit ratione ſui intendi à Deo, ſed ratione meritorum. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia pœna eſt bonum occaſionatum ex culpa. Quare non eſt, niſi ex ſuppoſitione culpæ: nec Deus poteſt intendere illam, niſi ex præviſione culpæ, & demeritorum. Gloria autem, vt corona, non eſt bonum ita occaſionatum, ſed in ſe eſt quid bonum, potens ratione ſui, & abſque præviſione alterius, volitionem Dei terminare.

46 Cont. Sicut pœna eſt bonum occaſionatum ex culpa, ita corona ex merito; ſed Deus nequit intendere pœnam, niſi poſt præviſa demerita: ergo nec gloriam, vt coronam, niſi poſt præviſa merita. Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia corona, vt corona, & vt præmium, eſt bonum occaſionatum ex merito, vt ex bono, quod eſt cauſabile à Deo: Sicquè Deus poteſt primariò intẽdere gloriam, vt coronam, & exinde cauſare, & præbere merita. Culpa autem, cuius occaſione decernitur pœna, eſt mala, exiſtens per voluntatem peccatoris, & incauſabilis à Deo. Unde nequit Deus primariò intendere pœnam, cum poſtea ſit impotens cauſare culpam; ſed poſt culpam præviſam, deputat pœnam. Ratio eſt: quia non videtur prudentia, præcipuè in Iudice iuſtiſsimo, & clementiſsimo, deſtinare pœnam pro culpa non commiſſa, nec præviſa vt committenda; maximè cum decretum

infallibiliter inferret illam. Enimverò eſt magna miſericordia, prævenire coronam, & præmium, & poſtea cauſare, & præbere merita remuneranda.

47 Cont. Etiam videtur imprudentia in Deo, prævenire coronam, & præmium, non præviſis meritis remunerandis: ergo. Prob.ant. Imprudentia videretur in Principe humano, ſi præveniret militare præmium pro determinatis militibus, non præviſis eorum meritis remunerandis: ergo. Prob.conſ. Præmium vbiquè prudēter eſt conferendum ob meritum; ſed: ergo. Reſp.nego conſ. Ratio eſt: Nam cum Princeps humanus non habeat in ſua manu merita militum, quæ pendent ex eorum præclaris, & ſtrenuis operationibus liberis, varijs eventibus belli ſubiectis, poſſet à ſua intentione fraudari, ſi præmium præveniret, non præviſis meritis, cum poſſent non ſubſequi merita præmianda. Quare in illo talis præventio foret imprudens. In Deo autem eſt prudentiſsima: Cum hominibus tribuat gratiam, & merita ex intentione gloriæ præintentæ, vt coronæ, quin promediet contingentia aliqua, cum ſit infallibilis eorum conſecutio.

48 Arg.3. Electio prædeſtinatorum adultorum ad gloriam non eſt actus liberalitatis, nec miſericordiæ, ſed iuſtitiæ; ſed actus iuſtitiæ eſt poſt præviſa merita: ergo. Prob. maior. Elect adultorum eſt ad gloriam, vt coronam; ſed electio ad gloriam, v coronam, eſt actus iuſtitiæ: ergo Mai.conſtat arg.ant. Licèt electi parvulorum ſit ad gloriam, v hæreditatem. Prob.min. Collati gloriæ, vt coronæ, eſt actus iu ſtitiæ: ergo. Ant.patet ex illo 2 Tim.4.v.8. *Repoſita eſt mihi coro na iuſtitiæ, quam reddet mihi Domi nus in illa die iuſtus iudex, &c.* Prob.conſ. Collatio gloriæ correſ pondet electioni ad illam, ſiv intentioni conferendi eam; ſed ergo.

49 Reſp.nego conſeq. Rati eſt: Quia intentio conferend gloriam, vt coronam, & electi ad illam, eſt ex ſola bonitate, & voluntate Dei. Non tamen ex meritis ad eam; ſicut eſt actuali collatio gloriæ, vt coronæ: nam Deus, quia vult, intendit, & eligit ad gloriam, vt coronam Confert autem illam, quia iuſt merentur eam. Cumquè hic actu ſit iuſtitiæ remunerativæ: ide actualis collatio gloriæ, vt coronæ, eſt actus iuſtitiæ, vt ait Apoſtolus; intentio autem, & electio non eſt actus iuſtitiæ, ſed liberalitatis, & miſericordiæ.

50 Cont. Nequit electio eſſe ex ſola voluntate Dei, ſi collatio gloriæ, vt coronæ, eſt ex meritis:

ergo. Prob.ant. In collatione gloriæ, vt coronæ, aliquid debet correſpondere tali electioni; ſed ſi electio ſit ex ſola Dei voluntate, & collatio ex meritis, nil correſpondet: ergo. Mai.patet: Cum electio ſit cauſa collationis, & in effectu aliquid correſpondeat cauſæ. Min. conſtat: Nam quod eſt ex meritis, eſt ex iuſtitia: quod non correſpondet ei, quod non eſt ex iuſtitia, ſed ex gratia, & liberalitate.

51 Reſp.diſt.maior. Aliquid gratuitum, conc.mai. Non gratuitum, nego mai.& diſt.minor. Non gratuitum, conc.min. Gratuitum, nego min.& conſ. Cum electio prædeſtinatorum ad gloriam, vt coronam, ſit omninò gratuita, & liberalis, quia eſt ex ſola voluntate Dei, debet in collatione illius aliquid ſimile ei correſpondere: nam eſt cauſa collationis, & in effectu aliquid correſpondet cauſæ. Cumquè collatio gloriæ ſit actus iuſtitiæ pro meritis, à Deo collatis ex vi decreti intentivi gratuiti, & liberalis, quo voluit gloriam, & donavit merita: ideò eſt in ea effectus talis decreti ita gratuitus, & ex ſola voluntate Dei, ad quam propterea reducitur, quod de facto his præ alijs conferatur gloria, vt corona.

52 Cont. Si hoc ita eſſet, collatio gloriæ, vt coronæ, nedum eſſet actus iuſtitiæ, ſed etiam liberalitatis; ſed eſt actus iuſtitiæ, & non liberalitatis: ergo. Prob. mai. Actus procedens à decreto gratuito, & liberali, eſt liberalitatis; ſed collatio gloriæ, vt coronæ, procederet à decreto gratuito, & liberali: ergo. Reſp.diſt. min. Procederet formaliter, & immediatè, nego min. Radicaliter, & mediatè, conc.minor. & ita diſt.conſ. Vt dicemus art. 3. Collatio gloriæ, vt coronæ, formaliter, & immediatè procedit à decreto executivo, quod eſt ex iuſtitia. Radicaliter autem, & mediatè procedit ab intentivo, ita gratuito, & liberali: Sicquè & eſt actus iuſtitiæ, & liberalitatis: Cumquè hoc ſufficiat, vt in illa correſpondeat quid gratuitum electioni, & vt hæc ſit liberalis, ex ſola voluntate Dei, & non ex meritis: ideò ita eſt.

53 Cont. Implicat, quod intentio ſit ita actus liberalitatis, & executio, ex ea procedens, ſit ita actus iuſtitiæ: ergo. Prob.ant. Implicat, quod intentio ſit ita actus iuſtitiæ, & executio actus liberalitatis: ergo. Prob.conſeq. Omnis executio proportionatur ſuæ intentioni; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia cum intentio eſt actus iuſtitiæ, oritur ex debito, & obligatione intendentis. Quare executio, ſupponens intentionem, ſupponit eius

debitum, & obligationem, ex quibus omnimodè procedit: & conſequenter nequiquam poteſt eſſe actus liberalitatis, qui requirit carentiam debiti, & obligationis. Veruntamen, licèt intentio ſit actus liberalitatis, poteſt ante executionem ſupervenire in intendente debitum, & obligatio, cum ex voluntate ipſius intendentis poſsit ſupervenire in alio meritum, & ius ad aliquid. Cum igitur ita eveniat in præſenti: nam ex voluntate ipſius Dei intendentis gloriam ſupervenit ante executionem meritum in prædeſtinatis ad illam: ideò etſi intentio ſit actus liberalitatis, executio, & collatio gloriæ eſt ita actus iuſtitiæ. Quæ doctrina patet hoc exemplo: nam adoptans aliquem in filium, intendit gratuito, & liberaliter conferre ei hæreditatem; & tamen adoptione ſuppoſita, executio, & collatio hæreditatis eſt actus iuſtitiæ: quia ex ea oritur ius in adoptato, & obligatio, atquè debitum in adoptante.

54 Arg. 4. Electio efficax abſoluta prædeſtinatorum ad gloriam, eſt actus iuſtitiæ: ergo non eſt ante præviſa merita. Probat. ant. Collatio gloriæ in tempore eſt actus iuſtitiæ: ergo. Prob. conſ. Actus externus, & internus pertinent ad eamdem virtutem; ſed collatio gloriæ in tempore, quæ eſt actus externus, eſt iuſtitiæ: ergo. Mai. conſtat ex Divo Thoma docente: quod eadem eſt bonitas, & moralitas actus externi, & interni. Reſp. diſt. mai. Internus mediatus, nego mai. Immediatus, conc. mai. & min. & nego conſeq. Licèt actus externus, & internus immediatus pertineant ad eamdem virtutem; neceſſe non eſt, quod mediatus ſit eiuſdem virtutis, ſed poteſt eſſe diverſæ. Cumquè actus internus immediatus, cui correſpondet collatio gloriæ, iam ſit iuſtitiæ: nam eſt voluntas dandi gloriam poſt præviſa merita, & ex meritis: ideò mediatus, qualis eſt intentio, & electio intentiva, poteſt non eſſe actus iuſtitiæ, & eſſe liberalitatis. Patet exemplo adducto num. ant. Et poteſt addi: quod in collatione gloriæ etiam eſt aliquid liberalitatis; vt dictum eſt nu. 51. & ſub eo correſpondet, vt actus externus, electioni, vt actui interno liberali; licèt vt actus iuſtitiæ correſpondeat decreto executivo, quod eſt actus internus iuſtitiæ.

55 Cont. Si collatio gloriæ, quæ eſt actus externus, eſt actus iuſtitiæ, etiam electio efficax, ſive intentio conferendi gloriam, quæ eſt actus internus mediatus, eſt iuſtitiæ: ergo. Prob. ant. Quia collatio gratiæ in tempore, eſt actus liberalitatis, etiam intentio

efficax conferendi illam eſt actus liberalitatis: ergo. Prob.conſeq. Sicut collatio gratiæ eſt actus externus illius intentionis, ita collatio gloriæ alterius; ſed: ergo. Reſp.nego conſ. Ratio eſt: Quia collatio gratiæ ſemper eſt liberalis, & gratuita: alioquin gratia collata non eſſet gratia. Et ſimilis eſt intentio, & voluntas conferendi illam: nam ſi hæc non eſſet liberalis, & gratuita, eſſet debitum, & iuſtitia conferre gratiam; quæ iam ideò non eſſet gratia. Hoc autem non inconvenit in gloria, quæ in tempore non confertur ex gratia, ſed ex iuſtitia: Sicquè collatio eius eſt actus iuſtitiæ, & intentio conferendi illam, eſt actus liberalitatis: cum Deus non ex iuſtitia, ſed ex gratia intendat conferre gloriam, eo quod gloria in radice eſt gratia. Quare reducitur in gratiam, & voluntatem Dei, ita vt ſalventur, qui ex tali gratia meruerunt gloriam, & illi, quos Deus gratis voluit ſalvari ex iuſtitia.

56 Arg.5. Electio efficax ad gratiam non ſupponit intentionem efficacem gloriæ; ſed eo ipſo hæc, ſeu electio efficax abſoluta prædeſtinatorum ad gloriam, eſt poſt prævifa merita: ergo non eſt ante illa. Min. patet: Nam cum eſt gratia, poſſunt eſſe merita. Prob.mai. Ideò electio efficax ad gratiam ſupponeret intentionem efficacem gloriæ, quia diſcretio electionis mediorum, qualia ſunt gratia, & merita, debet oriri ex intentione finis, qualis eſt gloria; ſed non debet oriri: ergo. Prob. min. Intentio efficax gloriæ conferendæ prædeſtinatis, eſt electio reſpectu manifeſtationis attributorum Dei; ſed non ſupponit diſcretionem in tali intentione, ex qua oriatur diſcretio prædeſtinatorum à reprobis: ergo. Mai.eſt certa: Cum non ſit prima intentio,& ſupponat intentionem communicandi bonitatem, & manifeſtandi attributa Dei.Prob.min. In intentione manifeſtandi attributa Dei nulla eſt diſcretio prædeſtinatorum à reprobis: ergo. Prob.ant. In intentione communi prædeſtinatis, & reprobis nulla eſt diſcretio prædeſtinatorum à reprobis; ſed intentio manifeſtandi attributa eſt communis prædeſtinatis, & reprobis: ergo.

57 Reſp.diſt.mai. Diſcretio virtualis, nego mai. Formalis, conc.mai.& min.& ſimiliter diſt. conſ. Licèt talis intentio ſit communis prædeſtinatis, & reprobis, continet virtualiter eorum diſcretionem: cum ſit efficax ad manifeſtanda attributa miſericordiæ, & iuſtitiæ, in qua manifeſtatione prædeſtinati, & reprobi formaliter diſcernuntur: Sicquè ex ea oritur intentio conferendi gloriã, quæ eſt quaſi electio reſpectu il-

lius: exindequè debet ex hac oriri electio efficax gratiæ, & meritorum: Conſequenterquè illa eſt ante hanc, & ante prævisa merita.

58 Cont. In intentione manifeſtandi attributa eſt diſcretio virtualis prædeſtinatorum à reprobis: ergo Deus poteſt ex illa eligere prædeſtinatos ad gratiam, & merita, quin interveniat electio efficax ad gloriam. Prob.conſ. Diſcretio formalis in electione mediorum ſufficit, quod ſit virtualis in intentione finis; ſed eligere prædeſtinatos ad gratiam, & merita, eſt diſcernere formaliter prædeſtinatos à reprobis: ergo. Reſp diſt.mai. In intentione remota, nego mai. Proxima, conc. mai.& min & nego conſeq. Licèt intentio manifeſtandi attributa radicet, & contineat virtualiter immediatè, & proximè electionem prędeſtinatorum ad gloriam: Sicquè in ea ſit diſcretio virtualis prædeſtinatorum à reprobis; electionem tamen ad gratiam, & merita ſolùm radicat, & continet mediatè, & remotè: Siquidem hanc radicat, & continet immediatè, & proximè intentio conferendi gloriam his, præ alijs, quæ eſt electio efficax abſoluta prædeſtinatorum ad gloriam. Cumquè Deus ex hac eligat prædeſtinatos ad gratiam, & merita, in eaquè ſit diſcretio formalis prædeſtinatorum à reprobis, ſicut in electione meritorum diſcretio formalis ipſorum, orta ex illa: ideò debet intervenire prædicta intentio, & electio efficax ad gloriam.

59 Cont. Licèt electio ad gratiam, & merita oriatur immediatè, & proximè ex intentione conferendi abſolutè gloriam, non verò his, præ alijs; ſed hæc ſola eſt electio efficax: ergo non oritur proximè ex hac. Prob.mai. Licèt electio ad gloriam oriatur immediatè, & proximè ex intentione abſoluta manifeſtandi attributum miſericordiæ; non verò in his præ alijs: ergo. Ant eſt certum Cum diſcretio perſonarum non ſit vſquè ad electionem ad gloriam, & excluſionem ab illa. Prob conſ. Sicut electio ad gratiam oritur immediatè ex intentione ad gloriam, ita electio ad gloriam ex intentione manifeſtandi miſericordiam; ſed: ergo. Reſp.nego conſeq Ratio eſt: Quia intentio conferendi gloriam eſt voluntas tribuendi aliquod accidens. Et cum accidens reſpiciat ſubiectum determinatum, & vnum præ alios adeò eſt voluntas conferendi gloriam his, præ alijs; ex qua oritur immediatè electio ad gratiam, & merita. Intentio autem manifeſtandi miſericordiam non eſt voluntas conferendi ita aliquod accidens. Vnde ſic poteſt evenire, & ex ea oriri electio ad gloriam.

60 Cont. Licèt intentio conferendi gloriam ſit voluntas tribuendi aliquod accidens, & ſubiectum attendat, ſufficit, quod reſpiciat ſubiectum vagè, & non determinatè conſideratum; ſed hæc non eſt electio efficax: ergo ex ea ita non efficaci poteſt immediatè oriri electio efficax ad gratiam, & merita. Prob. maior. Licèt accidẽs reſpiciat ſubiectum, non eſt neceſſe, quod reſpiciat ſubiectum determinatè, ſed vagè ſumptum: ergo. Reſp. diſt. antec. Neceſſe abſolutè, conc. ant. Connaturaliter, nego ant. & ita diſt. conſ. Licèt enim ſit abſolutè poſſibile, accidens ita reſpicere ſubiectum, & quod ita fieret talis electio; connaturalius eſt, quod Deus ex intentione conferendi gloriam his, præ alijs, & perſonis determinatis, procedat ad conferendam gratiam, & tribuenda merita. Cumquè Deus regulariter faciat connaturalius; ideò ita proceſsit.

61 Arg. 6. Deus habet voluntatem inefficacem conferendi gloriam, communem prædeſtinatis, & reprobis; ſed ex illa poteſt oriri electio efficax ad gratiam, & merita: ergo hæc non oritur ex electione efficaci abſoluta prædeſtinatorum ad gloriam; & hæc non erit ante præviſa merita. Mai. patet ex illo 1. Tim. 2. v. 4. *Omnes homines vult ſalvos fieri.* Prob. min. Ex voluntate manifeſtandi attributa oritur electio efficax prędeſtinatorum ad gloriam; ſed talis voluntas manifeſtandi attributa, etiam eſt communis prædeſtinatis, & reprobis: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia voluntas manifeſtandi, etſi ita communis, eſt efficax, ita vt in reprobis Deus manifeſtet iuſtitiam, & in prædeſtinatis miſericordiam. Quare ex ea oritur electio efficax ad gloriam, in qua miſericordiam oſtendit. Voluntas autem generalis ſalvandi omnes, eſt inefficax: Sicquè ex illa nequit oriri electio efficax aliquorum ad gratiam, & merita: cum hæc oriatur ex aliquo efficaci.

62 Cont. Etſi talis volitio ſit inefficax, poteſt ex illa oriri electio efficax aliquorum ad gratiam, & merita: ergo. Prob. ant. Licèt ſit inefficax, oritur ex illa oblatio, ſive collatio auxiliorum ſufficientium ad ſalutem: ergo. Prob. conſ. Sicut illa importat effectum gratiæ, ita hæc effectum auxiliorum; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia voluntas generalis ſalvandi omnes, licèt ſit inefficax reſpectu ſalutis, quæ eſt finis ſpecialis illius: quare dicitur inefficax, & quia inefficacia eſt de genere mali, ideoquè ex quocumquè defectu; eſt efficax reſpectu manifeſtationis attributorum; ſicquè ex illa oritur oblatio,

aut collatio auxiliorum ſufficientium, in qua Deus ſuam bonitatem manifeſtat. Veruntamen eſt inefficax reſpectu gloriæ, ad quam in prędeſtinatis ordinatur gratia, & merita: & ideò horum collatio nequit ex illa oriri.

63 Cont. Sufficit, quod talis volitio ſit efficax reſpectu manifeſtationis attributorum, vt ex illa oriatur electio mediorum efficacium; ſed electio gratiæ, & meritorum eſt electio mediorum efficacium: ergo ſufficit, vt hæc oriatur. Prob. mai. Sufficit, vt ex illa oriatur oblatio, ſeu collatio auxiliorum ſufficientium; ſed hęc eſt electio mediorum efficacium: ergo. Prob. min. Electio mediorum, quibus conſequitur finis, eſt electio mediorum efficacium; ſed in prædicta electione conſequitur finis: ergo.

64 Reſp. diſt. mai. Reſpectu talis finis, conc. maior. Alterius, nego mai. & diſt. min. Finis vniverſalis, conc. min. Specialis, nego min. & conſ. Finis vniverſalis Dei eſt communicare ſuam bonitatem creaturis, & manifeſtare ſua attributa. Finis ſpecialis prædictæ voluntatis eſt conferre gloriam. Licèt enim conſequatur talem finem vniverſalem, & pro illo ſint efficacia auxilia ſufficientia, ſive oblatio, & collatio eorum, quæ oritur ex prædicta voluntate generali, prout ita efficaci; non tamen conſequitur ſ[illegible]cialem, cum pro ſalute, & glo[illegible] conſequenda ſolùm ſint ſuffici[illegible]tia, ſic orta ex voluntate, pr[illegible] inefficaci reſpectu ſalutis, quæ[illegible] finis ſpecialis. Cumquè gratia[illegible] merita in prædeſtinatis abſolu[illegible] & reſpectu ſalutis ſint efficac[illegible] ideò electio eorum nequit oriri[illegible] tali voluntate.

65 Cont. Electio medior[illegible] efficacium pro conſequenda ſa[illegible]te, vt fine ſpeciali, poteſt or[illegible] ex tali voluntate generali, li[illegible] non vt intendente ſalutem, [illegible] intendente manifeſtationem [illegible]tributorum: ergo. Prob. ant[illegible] Deus maximè manifeſtat ſua [illegible]tributa in collatione mediori[illegible] efficacium: ergo. Ant. patet: C[illegible] ſit maius beneficium. Prob. co[illegible] Ideò oblatio, ſive collatio au[illegible]liorum ſufficientium oritur ex t[illegible] voluntate, quia Deus in illa m[illegible]nifeſtat ſua attributa; ſed: er[illegible] Reſp. diſt. mai. Manifeſtat mo[illegible] generali, conc. mai. Speciali, [illegible]go mai. & diſt. min. Modo ſpec[illegible]li, conc. minor. Generali, ne[illegible] min. & conſ. In oblatione eni[illegible] & collatione auxiliorum ſufficie[illegible]tium omnibus, pro ſalute con[illegible]quenda, manifeſtat Deus ſu[illegible] bonitatem, & in generali ſua [illegible]tributa. Ad quam manifeſtati[illegible]nem ea ſunt efficacia: ideoq[illegible] oritur ex tali voluntate genera[illegible] In collatione autem medioru[illegible]

efficacium ad ſalutem, vt ſunt gratia, & merita ad gloriam, manifeſtat modo ſpeciali illa, præcipuè miſericordiam, & liberalitatem. Quare debet oriri ex voluntate ſpeciali, & efficaci conferendi gloriam. Cumquè non ſit huiuſmodi illa voluntas generalis: ideò talis electio non oritur ex illa.

66 Arg. 7. Prædeſtinatio eſt poſt præviſa merita; ſed electio prædeſtinatorum ad gloriam eſt prædeſtinatio: ergo. Mai. eſt certa: Cum conſiſtat in actu imperij; vt dictum eſt quæſt. 1. art. 6. qui ſupponit electionem mediorum, quæ ſunt merita. Reſp. diſt. mai. Prædeſtinatio eſſentialiter, & formaliter ſumpta, conc. mai. Præſuppoſitivè accepta, nego mai. & diſt. min. Prædeſtinatio præſuppoſitivè, conc. min. Eſſentialiter, & formaliter, nego min. & conſ. Prædeſtinatio enim eſſentialiter, & formaliter ſumpta conſiſtit in actu imperij; vt dictum manet: itaquè ſupponit electionem mediorum, quæ ſunt merita, & eſt poſt præviſa merita. Accepta tamen præſuppoſitivè, quomodo eſt electio, dicit primam voluntatem efficacem conferendi gloriam; qua electi diſcernuntur à reprobis. Et ſic eam non ſupponit, ſed eſt ante præviſa merita. Quomodo intelligitur dictum: Prædeſtinatio eſt ante præviſa merita. Cumquè talis voluntas ſit electio abſoluta efficax prædeſtinatorum ad gloriam: ideò hæc eſt ante præviſa merita. Prædeſtinatio enim intentiva, ſumpta pro intentione gloriæ, & electione ad illam, eſt ante præviſa merita: licèt executiva, & accepta pro ordinatione ad gloriam, ſit poſt merita præviſa.

67 Cont. Prędeſtinatio, etiam ſumpta præſuppoſitivè, eſt poſt præviſa merita: ergo. Prob. ant. Sumpta eſſentialiter, & formaliter eſt poſt præviſa merita: ergo. Prob. conſeq. Sicut prædeſtinatio præſuppoſitivè ſumpta eſt gratuita, & liberalis, ita eſſentialiter, & formaliter accepta; ſed: ergo. Reſp. diſt. mai. Comparativè ad lineam intentivam, nego maior. Executivam, conc. mai. & minor. & nego conſ. Cum prædeſtinatio eſſentialiter, & formaliter ſumpta conſiſtat in actu imperij, qui in linea executiva eſt primus actus, in quo hæc linea incipit; in ea eſt gratuita, & liberalis, cum à linea intentiva trahat, & participet liberalitatem, & à nullo lineæ executivæ poſsit aliud participare. Non tamen eſt gratuita, & liberalis comparativè ad lineam intentivam, quæ terminatur in electione mediorum, & meritorum, quam ſupponit prædeſtinatio, quæ fit ex eorum præviſione: Sicquè eſſentialiter, &

for-

formaliter ſumpta eſt poſt prævi-ſa merita; non verò præſuppoſi-tivè, pro intentione, & electione accepta: quomodo eſt omninò liberalis, & gratuita, cum ſit abſolutè prima voluntas efficax, nil ſupponens, vnde oriatur.

68 Cont. Prædeſtinatio preſuppoſitivè ſumpta non eſt omninò liberalis, nec gratuita: ergo. Prob. antec. Prædeſtinatio formaliter ſumpta non eſt omninò liberalis, nec gratuita: ergo. Prob. conſ. Eo cognoſcitur, quod prædeſtinatio formaliter ſumpta non eſt omninò liberalis, nec gratuita, quia collatio actualis gloriæ, quæ eſt ſicut decretum de illa, non eſt omninò liberalis, nec gratuita; ſed etiam eſt ſicut intentio conferendi eam: ergo. Reſp. diſt. mai. Sicut decretum executivum, conc. mai. Intentivum, ſubdiſtinguo: Ex parte rei, conc. mai. Ex parte modi, nego mai. & diſt. min. Ex parte rei, conc. min. Ex parte modi, nego min. & conſ. Cum enim conferatur gloria, quam, & quibus Deus intendit, collatio gloriæ ex parte rei eſt ſicut eius intentio; non verò ex parte modi, ſive motivi, ſed confertur ſicut vult decreto executivo: nam intentivum regulat intentionem finis, & electionem mediorum, & non ſupponit media, ſive merita, ex quibus procedat ex motivo iuſtitiæ; ſed procedit ex bonitate, & voluntate gratuita Dei, vt ex motivo liberalitatis. Executivum autem iam ſupponit electionem mediorum, & merita, ex quorum prævisione procedit, & per illa ordinat prædeſtinatos ad gloriam. Quare prædeſtinatio præſuppoſitive eſt omninò gratuita, & liberalis; non verò formaliter accepta.

69 Arg. 8. Cohæret in Deo voluntas efficax conferendi prædeſtinatis merita, vt media ad gloriam, quin præcedat intentio conferendi gloriam prædeſtinatis: ergo hæc intentio, & electio erit poſt prævifa merita. Probatur ant. Cohæret in Deo voluntas efficax conferendi Chriſto Domino merita, vt media ad gloriam prædeſtinatorum, quin præcedat intentio efficax conferendi gloriam prædeſtinatis: ergo. Prob. conſ. Quælibet intentio videtur prior electione mediorum; ſed ergo. Reſp. diſt. minor. Ut finem effectum, conc. minor. Cuius gratia, nego min. & conſ. Finis effectus eſt, qui fit. Finis cuius gratia, ratione cuius, & in ordine ad quem aliquid fit. Intentio enim finis cuius gratia, debet præcedere electionem mediorum. Non verò intentio finis effectus, ſive effecti. Cumquè in tali caſu gloria prædeſtinatorum ſit finis effectus: nam finis cuius gratia eſt ipſe Chriſtus, ſive gloria Chriſti

Domini, propter quem Deus confert gloriam prædeſtinatis, & ad quem vult ordinari omnia: ideo non præcedit intentio gloriæ prædeſtinatorum, ſed eam præceſsit volitio efficax Chriſti, & conferendi merita Chriſto Domino. Nec iſta fuerunt volita à Deo, vt propriè media ad gloriam prædeſtinatorum, ſed vt cauſa moralis illius: Cum non habeant bonitatem à tali gloria, ſed ſumant æſtimabilitatem infinitam à perſonalitate Verbi divini. Gloria autem prædeſtinatorum eſt finis cuius gratia reſpectu ſuorum meritorum, & hæc ſunt propriè media ad illam: cum ab ea participent bonitatem, & ratione illius amentur: & ideò intentio efficax gloriæ debet precedere electionem meritorum. Hæc doctrina conſtat ex Sac. Conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 7. vbi dicitur: *Quod cauſa finalis noſtræ iuſtificationis eſt gloria Dei, & Chriſti, & vita æterna.*

70 Cont. Licèt gloria prædeſtinatorum ſit finis cuius gratia, cohæret in Deo voluntas efficax conferendi prædeſtinatis merita, vt media propria ad gloriam, quin præcedat voluntas efficax conferendi eis gloriam: ergo. Prob. ant. Cohæret in Deo talis voluntas, quin præcedat voluntas efficax conferendi aliquibus gloriam; ſed prædeſtinati ſunt aliqui, & non omnes: ergo. Prob. mai. Præcedit voluntas conferendi omnibus gloriam; ſed cum hac non cohæret voluntas conferendi ſolùm aliquibus gloriam: ergo. Reſp. diſt. mai. Voluntas efficax, nego mai. Inefficax, conc. mai. & diſt. min. Cum hac efficaci, conc. min. Inefficaci, nego min. & conſ.

71 Cont. Cum voluntate inefficaci conferendi omnibus gloriam, non cohæret voluntas efficax conferendi illam ſolùm aliquibus: ergo. Prob. ant. Si cohæreret cum illa, Deus motus ex ſua bonitate, & ſine novo motivo vellet, & non vellet gloriam omnium; ſed hoc repugnat: ergo. Mai. patet: Nam ante præviſa merita hominum vellet, omnes homines ſalvos fieri; & ante illa præviſa etiam vellet, ſolùm ſalvari aliquos, nempè, prædeſtinatos; & non vellet ſalvari alios, ſcilicet, reprobos: ergo.

72 Reſp. diſt maior. Motivo ex parte ſui, nego mai. Meritorum, conc. mai. & diſt. min. Sine tali motivo, conc. min. Cum illo, nego min. & conſ. Licèt repugnet, Deum ita velle ſimul efficaciter, aut inefficaciter, & non velle gloriam, & ſalutem omnium. Non repugnat, ſed cohæret velle inefficaciter ſalutem omnium, & non velle efficaciter ſalutem omnium, ſed aliquorum, qui ſunt prædeſtinati, & non aliorum, qui ſunt

reprobi: nam hæ ſunt diverſę voluntates, ſub diverſa ratione, & cum novo motivo ex parte Dei; qui ſua bonitate, & benignitate motus vult voluntate generali, omnes ſalvos fieri; & motus ſua bonitate ſpeciali, vt eſt ratio miſericordiæ, & liberalitatis vult efficaciter gloriam prædeſtinatorum. Motus autem illa, vt eſt ratio ſupremi dominij,& vniverſalis proviſoris, permittentis defectus in natura defectibili, non vult gloriam aliorum, ſed reprobos à gloria excludit. Cumquè ſic talis voluntas efficax cohæreat cum illa inefficaci: ideò cohæret, & eſt ante præviſa merita.

73 Cont. Si non ſit novum motivum meritorum, Deus volens quantum eſt ex ſe, ita omnes homines ſalvos fieri, non poteſt velle poſtea efficaciter, aliquos ſalvari, & aliquos non: ergo. Prob.ant. Homo volens quantum eſt ex ſe, filium eſſe doctum, tribuens ei ad hoc ſubſidia ſufficientia, non poteſt ſimul velle efficaciter, non eſſe doctum; ſed Deus tali voluntate tribuit omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutem: ergo. Reſp.nego conſ. Ratio eſt: Quia homo toto affectu, & conatu ex ſe efficaci vult, filium eſſe doctum; cui voluntati opponitur velle efficaciter non eſſe doctum, vel non velle efficaciter, doctum eſſe. Deus autem non, ſed per modum ſimplicis complacenti vult, omnes homines ſalvos fier & ſalutem eorum ſecundum ſ Cum quo ſtat, vt poſtea, ſi novo motivo meritorum, cu aſsignato ex parte Dei, velit eff caciter prædeſtinatos ſalvari, non velit ita reprobos ſalvar quia eſt vniverſalis proviſor, dominus omnium.Sicut iudex p modum ſimplicis complacenti vult, omnes homines vivere; vt iudex vult efficaciter, homic dam ſuſpendi. Licet differat Deo in hoc: quod id vult ratio demeriti homicidij; eo quod ip non eſt vniverſalis proviſor, n dominus, vt Deus, ſed agit miniſter iuſtitiæ.

74 Nec dicas: Quod tal voluntas eſt ita conditionat Deus vult omnes homines ſalv fieri, niſi per ipſos ſteterit: erg in meritis, vel demeritis ſtat eo rum ſalus, vel non ſalus. Reſ enim.quod nõ eſt ita cõditionat ſed ſuo modo abſoluta, licèt inef ficax: Siquidem eſt ſimplex de ſa lute omnium,attenta præcisè bo nitate,& benignitate Dei. Qua ex ea procedunt abſolutè auxili ſufficientia ad gloriam conſe quendam. Nec ſalus,prout inten tivè ita volita,ſtat in meritis: ne non ſalus in demeritis; ſed Deu poſtea, vt miſericors, & libera lis, intendit efficaciter ſaluten prædeſtinatorum; & vt dominus

& proviſor vniverſalis vult non ſalvare aliquos, & à gloria excludere illos. In executione tamen ſtat per ipſos: nam pro meritis glorificat, & pro demeritis punit.

75 Et licèt talis voluntas etiam ſuo modo ſit conditionata; non eſt ſimulata, nec ficta: nam in ſenſu propoſito Deus ita vult ſalutem omnium; & cum prædicto novo motivo ex parte Dei vult ſalutem aliquorum, & non vult ſalutem aliorum. Et ferè omnia patent in Sententia oppoſita: nam cum tali voluntate ineſficaci de ſalute omnium, Deus præbet prædeſtinatis merita, quæ ſunt media efficacia ad conſequendam gloriam; quæ non præbet omnibus, cum illa non præbeat reprobis. Et hoc ante merita, & demerita prævisa: cum hæc ante ipſam non ſint, vt videantur. Vbi apparent ſimiles difficultates. Nec hæc voluntas dicitur ſimulata, nec ficta; licèt præbeat media vnis, & non alijs, vt conſequantur ſalutem, quam vult.

76 Cont. Cum voluntate inefficaci ſalvandi omnes homines, dicit maiorem oppoſitionem voluntas efficax non ſalvandi aliquos, quam alia voluntas inefficax non ſalvandi aliquos; ſed hęc non ſtat cum voluntate inefficaci ſalvandi omnes: ergo nec illa.

Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia vtraque voluntas inefficax eſt in ſe oppoſita: cum ſit eiuſdem de eodem, & ſecundùm idem; habenſque effectus incompatibiles: vna collationem auxiliorum ſufficientium ad ſalutem; & alia negationem illorum. Quare vna nequit ſtare cum alia. Voluntas autem efficax non ſalvandi aliquos, & voluntas inefficax ſalvandi omnes non ſic ſe habent: cum illa habeat diverſum motivum, & effectum: nempè, negationem auxiliorum efficacium, non verò ſufficientium: ſicque eſt compatibilis cum ea.

77 Arg 9. Poteſt eſſe in Deo electio efficax mediorum, procedens ex intentione inefficaci finis: ergo cum ſola voluntate generali ſalvandi omnes poteſt eſſe electio efficax meritorum ad gloriam, & ſic eſſe electio abſoluta prædeſtinatorum poſt præviſa merita. Prob. ant. Poteſt eſſe in Deo electio inefficax mediorum, procedens ex intentione efficaci finis: ergo. Conſ. patet: Cum vtrobiquè ſit eadem ratio. Prob. ant. In probabili Sententia Thomiſtarum, vocationes inefficaces prędeſtinatorum ſunt effectus prædeſtinationis: ac proinde procedentes ex intentione efficaci conferendi illis gloriam; ſed electio earum eſt inefficax: ergo. Minor. patet: Cum ipſæ ſint inefficaces; &

electio medij inefficacis ſit inefficax.

78 Reſp. diſt. mai. Effectus eliciti, nego mai. Imperati, conc. mai. & min. & diſt. conſ. Mediorum, quæ procedunt imperativè, conc. conſ. Elicitivè, nego conſeq. In tali enim opinione dicendum eſt: quod media procedentia elicitivè ex intentione efficaci conferendi gloriam, debent eſſe efficacia immediatè, & effectivè ad conſecutionem gloriæ. Procedentia autem imperativè non; ſed ſufficit, quod aliquo modo conducant, mediatè, vel diſpoſitivè, ad illius conſecutionem. Cumquè vocationes inefficaces ita procedant, & conducant: nam licèt fruſtrentur ſuo effectu, & ſic immediatè, & effectivè non conducant ad conſecutionem gloriæ; conducunt mediatè, & diſpoſitivè, quatenus paulatim emoliunt cor hominis, vt tandem Deo vocanti reſpondeat; & excitant timorem Dei, ex conſideratione pigritiæ, qua homo eas deſpexit; quo timore humiliatur, & ad pœnitentiam diſponitur: ideò hæ vocationes, & ſimilia media poſſunt ita procedere ex tali intentione efficaci finis; non tamen media efficacia, & elicitivè procedentia, ex intentione inefficaci. Et ratio omnium eſt: quia in intentione inefficaci non eſt virtus influendi in electionem efficacem mediorum: cum in minori non ſit virtus pro maiori. In intentione autem efficaci eſt virtus, vt imperet media ita inefficacia: cum in maiori ſit virtus pro minori.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *VTRVM ELECTIO EFFICAX prædeſtinatorum ad gloriam, ante præviſa merita, reguletur Scientia Media.*

1 LICET plures Jeſuitæ conveniant cum Thomiſtis in reſolutione antecedenti; communiter diſſentiunt in ſtatuenda Scientia Media pro regulatione electionis efficacis prædeſtinatorum ad gloriam, ante præviſa merita. Aſſerunt enim: quod Deus tali Scientia prævidet rectè vſuros gratia, ſi eis in hac, vel illa occaſione auxilia conferat; & ex præviſis rectè eis vſuris vſquè in finem, vult ſalvare hos, præ alijs. In quo ſtat talis electio efficax, ante merita præviſa, Scientia Media regulata. Et exinde vult illis conferre, & confert gratiam, & auxilia pro meritis. Thomiſtæ autem negant pro tali regulatione, & abſolutè Scientiam Mediam.

2 Concluſio: Electio efficax prædeſtinatorum ad gloriam, ante præviſa merita, eſt in Deo independenter à Scientia Media. Con-

Conſtat ſatis ex art. ant. Et ex Divo Thoma art. 5. aſſerente: *Non ergo præſcientia meritorum eſt cauſa, vel ratio prædeſtinationis*; ſed ſi electio efficax prædeſtinatorum ad gloriam dependeret in Deo à Scientia Media, vt regulante, talis præſcientia foret ratio prædeſtinationis: ergo Prob. min. Deus solùm eligeret, & prædeſtinaret prævisos Scientia Media rectè vſuros gratia, & auxilijs vſque ad finem vitæ: non verò prævisos pro tunc non rectè vſuros; ſed talis rectus vſus eſt meritum: ergo.

3 Illuſtratur: Prædicta electio eſt efficax abſoluta ante prævisa merita; ſed ſi foret regulata Scientia Media, non eſſet efficax abſoluta; nec ante prævisa merita: ergo. Prob. min. Talis electio foret poſt prævisionem prædicti recti vſus vſque ad finem vitæ, ſed talis rectus vſus eſt meritum gloriæ: ergo. Propterea iudicamus eamdem hanc deciſionem, & antecedentem: & alii Profeſſores Scientiæ Mediæ dicunt: fieri ex præviſione conditionata meritorum, etſi non ex abſoluta.

4 Noſtra reſolutio videtur etiam expreſſa in M.P.S. Aug. lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 18. qui ſup. illud Apoſtoli: *Elegit nos in ipſo*, ait: *Fecit hoc ſecundum placitum voluntatis ſuæ, vt nemo de ſua, ſed de illius erga ſe voluntate glorietur. Fecit hoc ſecundum divitias gratiæ ſuæ, ſecundum bonam voluntatem ſuam, quàm propoſuit in dilecto Filio ſuo, in quo ſortem conſecuti ſumus prædeſtinati ſecundùm propoſitum, non noſtrum, ſed eius, qui vniverſa operatur.* Hæc Divus Aug. Sed ſi talis electio, & prædeſtinatio regularetur Scientia Media, foret ſecundùm propoſitum noſtrum: nam solùm eligerentur prævisi pro ſua bona voluntate, benè vſuri auxilijs gratiæ divinæ vſque ad mortem: ergo.

5 Explicatur amplius: Si Scientia media regularet electionem efficacem prędeſtinatorum ad gloriam, Deus prævidens, ſolum Petrum benè vſurum auxilijs gratiæ vſque ad mortem, non poſſet eligere, nec prædeſtinare, niſi Petrum; ſed hoc eſſet eligere, non solùm ſecundùm propoſitum Dei, ſed etiam Petri volentis ſic vti auxilijs: ergo. Prob. minor. Ideò non poſſet eligere alios, quia non prævidit propoſitum eorum circa talem rectum vſum: ergo.

6 Reſpondebis: Ex parte prędeſtinatorum non concurrere aliquid, vt cauſam, ſed vt occaſionem: cum concurrat præviſio recti vſus auxiliorum in tali occaſione; & ita fore electionem ſecundùm propoſitum eorum, non negare S. Doctorem. Cont. Cum Semipelagiani aſſerebant: gratiam conferri ex aliquo bono noſtro, non loquebantur de merito rigoroſo.

roſo, & concurrente, vt cauſa, ſed vt occaſione; ſed Catholici non admittunt talem aſſertum in ſenſu eorum: ergo nec prædictum debent admittere, cum videatur ſimilis. Maior. patet in doctrina eorum, relata a M. Joan. à S. Th. Et præcipuè in Caſiano dicente ibi pro illis: *Præſto eſt Deus, occaſione tantummodo ex parte noſtræ voluntatis oblata, ad hæc omnia conferenda.*

7 Quod rejicit, & doctrinam noſtram firmat S. Proſper. lib. cont. Conſolatorem cap. 6. dicens: *Nec enim nullius meriti haberi poteſt petentis fides, quærentis pietas, pulſantis inſtantia.* Semipelagiani enim has appellabant occaſiones; & S. Pater eas vocat merita. Et exinde ait ad Caſianum: *Velis nolis, convinceris gratiam Dei ſecundùm merita dari, cum aliquid ex ipſis hominibus præcedere affirmas, propter quod gratiam conſequantur.* Cum ergo prædicti AA. affirment: pro electione prædeſtinatorum, præcedere ex parte ipſorum prævisionem meritorum, vt Deus eligat illos ad gloriam, & exinde eis conferat gratiam, videtur ex hoc convinci idem.

8 Prob. 1. concluſ. ratione: Electio prædeſtinatorum ad gloriam non eſt efficax ex eorum conſenſu præviſo, ſed ab intrinſeco, & ex divina voluntate; ſed ſi regularetur Scientia Media, & prævisione meritorum, foret effica ex ipſorum conſenſu præviſo: er go. Mai. patet ex Divo Thom quæſt. 6 de verit. art. 3. ad 4. aſſe rente: *Abſolutam haber certitud nem.* Et non haberet, niſi cond tionatam, ſi foret efficax ex con ſenſu præviſo, & non ex ipſa vo luntate. Minor. conſtat ex dicti Quare dici poſſet, quod S. Pro per notavit in Pelagianis; & Div Aug. lib. 2. cont. duas Epiſt. cap 7 dixit: *Par omnium invenitur, & vn Sententia, quæ prædeſtinationem De ſecundum præſcientiam receperunt, v ob hoc Deus alios vaſa honoris, alio contumeliæ fecerit, quia finem vniuſ cuiuſque præviderit, & ſub ipſo gra tiæ adiutorio in qua futurus eſſet vo luntate, & actione præſcierit.*

9 Prob. 2. concluſ. ratione Electio efficax prædeſtinatorum ad gloriam eſt propoſitum perfectè, & abſolutè liberum ſalvandi illos; ſed ſi regularetur Scientia Media, non eſſet propoſitum perfectè, & abſolutè liberum: ergo. Prob. min. Propoſitum perfectè, & abſolutè liberum ſalvandi prædeſtinatos, poteſt Deo convenire reſpectu cuiuſcumque creaturę rationalis; ſed ſi talis electio regularetur Scientia Media, non poſſet Deo convenire reſpectu cuiuſcumque: ergo. Mai. patet: Cum abſoluta, & perfecta libertas requirat talem potentiam: ideoque potuit Deus ſalvare omnes. Prob.

minor. Solùm poſſet eligere eos, quos tali Scientia prævideret, rectè vſuros auxilijs divinæ gratiæ: ergo.

10 Illuſtratur: Vt prædicta electio ſit propoſitum perfectè liberum, requiritur, quod poſsit Deus eligere, & prædeſtinare omnes, & quemlibet; ſed ſi regularetur Scientia Media, non poſſet: ergo. Prob. min. Ut poſsit, requiritur, quod non ſit aliquis, qui poſsit eſſe ineligibilis, & imprædeſtinabilis; ſed ſi regularetur Scientia Media, poſſet eſſe aliquis ineligibilis, & imprædeſtinabilis: ergo. Prob. min. Potens prævideri vt reſiſtens omnibus auxilijs divinis, foret ineligibilis, & imprędeſtinabilis; ſed poſſet aliquis prævideri vt reſiſtens omnibus auxilijs divinis: ergo. Mai. patet: Siquidem ſolùm eſſet eligibilis, & prędeſtinabilis pręviſus rectè vſurus illis vſque ad mortem. Prob. min. Quilibet poteſt prævideri vt reſiſtens auxilio Dei ab intrinſeco indifferenti; ſed ſi electio prædicta regularetur Scientia Media, omnia, & ſingula Dei auxilia eſſent ab intrinſeco indifferentia: ergo. Mai. conſtat: Cum poſsit reſiſtere illi.

11 Reſpondebis: Hoc non eſſe inconveniens, eo quod Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui. Cont. Inconveniens eſt, non eſſe Deo liberum ſalvare, quos velit, & non poſſe pro ſua libertate quemlibet ſalvare; ſed ſi electio prædeſtinatorum regularetur ita Scientia Media, non eſſet liberum Deo, nec poſſet pro ſua libertate quemlibet ſalvare: ergo. Probat. min. Suppoſitio pręviſionis Scientiæ Mediæ, qua vnus, præ alio, prævideatur rectè vſurus auxilijs Dei, & aliquis omnibus reſiſtens, non eſt libera Deo, nec in eius voluntate; ſed talis electio foret in prædicta ſuppoſitione: ergo. Mai. eſt certa: Cum ſit in voluntate, & libertate creaturæ. Prob. conſ. In principijs Scientiæ Mediæ, ſuppoſitio antecedens, independens à voluntate, & non exiſtens ſub poteſtate ſua, determinans illam ad vnam partem, præ alia; & inauferibilis ab illa, non eſt libera ei, nec in eius voluntate, nec libertate; ſed ita ſe haberet ſuppoſitio Scientiæ Mediæ reſpectu voluntatis Dei: ergo.

12 Reſpondebis: Quod Deus non poteſt eligere ad gloriam, niſi ita præviſum: Cum autem non poſsit dari homo, qui non poſsit prævideri in aliqua occaſione rectè vſurus auxilijs divinis: ideò nec eſt aliquis ineligibilis. Cont. Quilibet homo pro ſua libertate poteſt reſiſtere omnibus, & ſingulis auxilijs ab intrinſeco indifferentibus, & vt ita reſiſtens prævideri à Deo; ſed iuxta principia

Scientiæ Mediæ omnia, & ſingula Dei auxilia ſunt ab intrinſeco indifferentia, in quacumque occaſione collata: ergo in quacumque poteſt illis reſiſtere, & vt reſiſtens prævideri: Sicque eſſet aliquis homo ineligibilis, nec Deus poſſet eligere quem vellet, ſed illum, qui vellet.

13 Dices: Quod non eſt poſſibilis homo, cui Deus non poſsit, negare concurſum ad omnē actum malum, & ita neceſsitare illum ad eliciendum disiunctivè hunc, vel illum actum bonum, conſervata eius libertate ad vtrunque. Qui iam prævideretur rectè vſurus Dei auxilijs; & ſufficit, vt non ſit aliquis ineligibilis. Cont. Prævisio Scientiæ Mediæ eſt ante collationem, vel negationem concurſus Dei; ſed ante talem negationem poſſet quilibet homo, in qualibet occaſione, reſiſtere omnibus, & ſingulis auxilijs: ergo & ſic prævideri vt ineligibilis. Mai. patet: Cum prævisio conditionata ſit ante omne Dei decretum, & negationem decreti: aliunde decretum, aut negatio decreti, foret independenter ab illa.

14 Nec talis caſus videtur conſonus in principijs talis Scholæ: Nam talis homo non poſſet mereri: ergo nec eliceret liberè talem actum bonum. Prob. antec. Si poſſet mereri, vel per actum præceptum, vel ſupererogatorium; ſed per neutrum: erg Prob. min. quoad 1. part. Vt m retetur per actum præceptum, quirebatur, quod poſſet pon actum oppoſitum, aut omiſſion actus præcepti; ſed non poſſ ergo. Prob. min. Actus oppoſit foret malus, & omiſsio præce etiam eſſet mala; ſed non poſ elicere actum malum, nec fac malum: ergo. Mai. eſt certa: Na ſi auditio Sacri eſſet præcept non auditio eſſet mala. Minor. c caſus: Cum eſſet ei negatus co curſus Dei ad malum.

15 Roboratur: Si Deus alic homini negaret concurſum omne bonum, non poſſet dem reri: ergo ſi ei negaret concurſu ad omne malum, non poſſet m reri. Ant. conſtat: Nam eſſet n ceſsitatus ad operandum, vel no Si eſſet; operatio eſſet neceſſari & non libera: per quam non p teſt demereri. Si non eſſet nece ſitatus; poſſet ſuſpendere oper tionem, in quo non eſt demer tum. Conſ. patet: Nam ſicut i vno caſu deficeret illi concurſ Dei ad bonum, in cuius elicie tia eſt meritum; ita in alio def ceret ei concurſus ad malum, cuius ſequela eſt demeritum.

16 Prob. iam min. quoad part. Auxilium Dei ad actum ſu pererogationis eſt ab intrinſec indifferens; ſed homo poteſt no conſentire, & reſiſtere omni,

cuilibet auxilio ita indifferenti: ergo poſſet reſiſtere tali auxilio, & non elicere actum ſupererogatorium, & non mereri per illum: Sicquè nectiquam eſſet neceſsitatus diſiunctive ad actum bonum: & conſequenter poſſet prævideri ineligibilis à Deo.

17 Prob. 3. concluſ. Electio abſoluta efficax prædeſtinatorum ad gloriam, ſic Scientia Media regulata, iuxtà huius principia, tolleret libertatem creaturæ: ergo non eſt ita admittenda. Prob. ant. Suppoſitio antecedens, determinans voluntatem ad vnam partem, quam ponere, vel auferre non eſt in poteſtate voluntatis, tollit à voluntate libertatem erga illam; ſed talis electio abſoluta efficax eſſet ſuppoſitio antecedens in ſtatu abſoluto, determinans voluntatem creatam ad vnam partem, & eam ponere, vel auferre, non fuit in poteſtate voluntatis creatæ: ergo. Prob. minor. Talis electio eſt à Deo ante prævisionem meritorum voluntatis creatæ in ſtatu abſoluto, eamquè determinat ad perſeverandum in gratia vſque ad mortem; ſed voluntas creata nec potuit ponere, nec auferre talem electionem in ſtatu abſoluto: ergo.

18 Illuſtratur: Talis voluntas ſalvandi prædeſtinatos, quæ eſt electio eorum, non eſt conditionata, explicata ſic: Volo, ſi voluntas creata voluerit, quod hic ſalvetur: Sed abſoluta, & ita expreſſata: *Volo, quod hic ſalvetur*; ſed hec voluntas eſt determinatio ad vnam partem determinatam, & antecedit vſum liberum voluntatis creatæ, in cuius poteſtate non eſt illam ponere, nec auferre: ergo iuxtà principia Scientię Mediæ, ſi ea regularetur, auferret libertatem voluntatis creatæ.

19 Reſpondebis: Prædictam voluntatem ſalvandi non eſſe talem, quod inferat media ex ſe efficacia ad ſalutem: Cum ſit voluntas ſalvandi per media ex ſe indifferentia, quæ ex bono vſu voluntatis creatæ fiunt efficacia: Sicquè non eſt ſimilis ſuppoſitio, nec aufert eius libertatem. Cont. Licèt non inferat media ex ſe efficacia, infert media, quibus in re poſitis, voluntas creata in ſtatu abſoluto infallibiliter operabitur rectè: ergo ita infert rectam operationem, & ſalutem hominis. Cum igitur antecedat elicientiam illius in ſtatu abſoluto, & non ſit in eius poteſtate eam ponere, nec auferre in tali ſtatu; erit ſuppoſitio auferens libertatem illius.

20 Arg. 1. ex M.P.Aug. cap. 56. ſup Epiſt. ad Rom. aſſerente: *Nec prædeſtinavit aliquem, niſi quem præſcivit crediturum, & ſecuturum vocationem ſuam.* Et lib. 6. Hypognoſt dicit: *Propterea prædeſtinat, quia quale futurum ſit præſcit; ideò*

& Apoſtolus: *nam quos præſcivit, inquit, & prædeſtinavit*; ſed talis præſcientia videtur prævíſio, & Scientia Media: ergo electio abſoluta efficax ad gloriam, tali prędeſtinatione ſignificata, regulatur ita Scientia Media. Reſp. admitto, & explico author. vt art. ant. num. 36.

21 Addit quoque M. Joan. à S. Thoma: quod S. Doctor: non loquitur de præſcientia, quæ ſit præveniens prædeſtinationem, ſive electionem, ſicut eſſet Scientia Media; ſed de conſequente illam, ſive ad ipſam concurrente, modo propoſito quæſt. ant. & in ſenſu, in quo prædeſtinatio definitur ab ipſo: *Præſcientia, & præparatio &c.* Conſtat ex M. P. Aug. lib. de Prædeſt. cap. 10. dicente: *Prædeſtinatione Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus.* Et cap. 17. *Electi ſunt ante mundi conſtitutionem ea prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſcivit.* Et lib. de dono perſeverantiæ cap. 18. *Prædeſtinaſſe eſt hoc præſciſſe quod fuerat ipſe facturus.* Quæ confirmat Serm. 7. de verbis Domini, dicens: *Quos voluit Dominus, hos elegit. Elegit autem ſicut dicit Apoſtolus, & ſecundùm gratiam ſuam, & ſecundùm illorum iuſtitiam.* Similiter exponuntur aliæ authoritates Sac. Paginæ, & Divi Thomæ. Etſi aliter concurrat etiam præſcientia, erit ex parte effectus prædeſtinationis in particulari: Cum ſic vnus ſit cau alterius; vt vidimus art. antec. docet Divus Thomas art. 4. Nc tamen ex parte effectus in com muni, nec ex parte Dei. Pro inſta tijs vid. Tractat. 4. quæſt. 4. art 1

22 Arg. 2. Electio abſolu efficax prædeſtinatorum ad glo riam, non regulata Scientia Me dia, auferret libertatem eoru in conſecutione gloriæ; ſed ne quit illam auferre: ergo. Min. e certa: Siquidem prædeſtinati l berè conſequuntur gloriam. Prob mai. Suppoſitio antecedens, in ferens infallibiliter actum, inev tabilis ab eliciente actum, aufer libertatem ab actu; ſed talis ele ctio, non regulata Scientia Me dia, antecederet, & infallibili ter inferret conſecutionem glorię & foret inevitabilis a prædeſtina tis: ergo. Mai. patet: Cum ne ceſſario inferat actum. Min. con ſtat: Cum ita eſſet ante præviſio nem meritorum.

23 Reſp. diſt. mai. Actum qu ad ſui modum, nego mai. Et no quoad ſui modum, conc. mai. & diſt. min. Quoad modum ſuæ li bertatis, conc. min. Sine illo, ne go min. & conſ. Licèt ſuppoſiti antecedens, & ita inferens actum ſine modo ſuæ libertatis, auferre libertatem ab actu; inferens au tem illum quoad talem modum quia continet actum, & liberta tem actus, hanc non aufert; im

illam perficit. Cumque Deus, eligens prædeſtinatos ad gloriam, contineat ita, & inferat conſecutionem gloriæ, & libertatem ipſius: ideò non aufert illam, licèt electio ſit efficax abſoluta, & non regulata Scientia Media, nec prævisione meritorum. Quare Angel. Mag. art. 6. ait: *Ordo prædeſtinationis eſt certus, & tamen libertas arbitrij non tollitur.* Et quæſt. 83. art. 1. ad 3. inſinuat rationem, dicens de Deo: *Movendo cauſas voluntarias, non aufert quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potius hoc in eis facit: operatur enim in vno quoque ſecundùm eius proprietatem.* Et quæſt. 22. artic. 4. ait: *Evenit contingenter, quod divinæ providentiæ ratio habet vt contingenter eveniat.* Cum igitur Deus eligat prædeſtinatos, ſine præviſione Scientiæ Mediæ, & velit, quod liberè conſequantur gloriam, & hoc ita habeat ratio divinæ providentiæ: ideò prædicta electio non aufert libertatem, ſed liberè conſequuntur gloriam, & ſalvantur. Vid. Tract. 4. quæſt. 4. art. 2.

24 Cont. Talis electio infert conſecutionem gloriæ, & non quo ad modum libertatis: ergo. Prob. ant. Non infert illam, vt liberam: ergo. Prob. ant. Suppoſita tali electione, conſecutio gloriæ non eſt libera: ergo. Prob. antec. Quod non poteſt non ſequi, non eſt liberum; ſed ſuppoſita tali electione, conſecutio gloriæ non poteſt non ſequi: ergo. *Reſp.* diſt. mai. Non ſequi neceſſariò, conc. mai. Liberè, nego mai. & diſting. min. Non ſequi liberè, conc. min. Neceſſariò, nego min. & conſeq. Vt aliquid non ſit liberum, requiritur: quod ſequatur, & non poſsit non ſequi neceſſariò. Non ſufficit, quod infallibiliter ſequatur, & non poſsit non ſequi liberè, & iuxtà modum ſuum. Cumquè conſecutio gloriæ prædeſtinatorum, ſuppoſita tali electione eorum, ſolùm ita ſequatur, & non poſsit non ſequi liberè, & iuxtà ſuum modum libertatis: ideò talis conſecutio eſt libera. Quam doctrinam confirmat Divus Thomas quæſt. 22. art. 4. ad 1. inquiens: *Effectus divinæ providentiæ non ſolùm eſt aliquid evenire quocumque modo, ſed aliquid evenire vel contingenter, vel neceſſariò.* Et ad 2. *Cuncta eveniunt eo modo, quo ipſe providet, ſive contingenter, &c.*

25 Cont. Suppoſita tali electione, conſecutio gloriæ non ſequitur liberè: ergo. Prob. antec. Sequitur neceſſariò: ergo. *Reſp.* diſt. ant. Neceſſariò abſolutè, nego ant. Conditionatè, conc. ant. & ita diſt. conſ. Neceſsitas conditionata eſt ſub aliqua ſuppoſitione. Abſoluta autem ex terminis. Licèt enim ex ſuppoſitione prædictæ electionis ad gloriam, ſequatur neceſſariò conſecutio glo-

riæ; non tamen ex ſe, nec ex terminis: Sicque ſequitur neceſſariò conditionatè, & non abſolutè. Cumquè hoc ſit, ſequi abſolutè liberè: ideò ita ſequitur. Hanc difficultatem proponit ſibi Divus Thomas quæſt.19. art.8 ſic: *Dicit enim Aug. in Enchir. Nullus ſit ſalvus, niſi quem Deus voluerit ſalvari. Et ideo rogandus eſt vt velit, quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit.* Et reſpondet Ang.Mag. ad 1. *Intelligenda eſt neceſsitas in rebus volitis à Deo, non abſoluta, ſed conditionalis. Neceſſe eſt enim hanc conditionalem veram eſſe, ſi Deus hoc vult, neceſſe eſt hoc eſſe.*

26 Cont. Suppoſita tali electione, conſecutio gloriæ ſequitur neceſſariò conditionatè: ergo non liberè abſolutè. Prob.conſ. Sequi liberè abſolutè eſt, ſequi liberè ex terminis; ſed ſuppoſita tali electione, & ſecuta neceſſariò conditionatè conſecutione gloriæ, nec ex terminis ſequitur liberè: ergo. Min. patet: Nam ſuppoſita tali electione, ex terminis eſt impoſſibilis non conſecutio gloriæ. Reſpond.diſt mai Sequi ſequela illationis, & conſequentiæ, nego mai. Sequela rei illatæ, & conſequentis, conc.mai.& diſt.minor. Sequela illationis, & conſequentiæ, conc.min. Sequela rei illatæ, & conſequentis, nego minor. & conſ. In caſu enim propoſito, & ſimilibus, poteſt conſiderari ſequela illationis, ſeu conſequentiæ: & ſequela rei illatæ, ſive conſequentis. Suppoſita igitur electione efficaci abſoluta prædeſtinatorum ad gloriam, eſt ita neceſſaria ſequela prima, cum ſit neceſſaria illatio, & conſequentia gloriæ: nam ſic impoſsibilis eſt non conſecutio gloriæ. Non tamen eſt ita neceſſaria ſecunda: quia conſecutio gloriæ, ſic infallibiliter ſecuta, libera eſt, & liberè fit, & exercetur à prædeſtinatis. Siquidem electio prędicta infallibiliter infert potiùs, quàm neceſſariò, conſecutionem liberam gloriæ: quia non infert, quod prædeſtinati neceſſariò, ſed quod liberè ſalventur: nam infert, ſicut illa vult; & vult, quod ſalventur liberè: ſiquidem vult, quod ſalventur, vt debent ſalvari; & debent ſalvari liberè. Cumquè hoc ſit, conſecutionem gloriæ ſequi liberè abſolutè: ideò ita ſequitur.

27 Confirmat hanc doctrinam Divus Thomas art.8 cit. dicens: *Hoc contingit propter efficaciam divinæ voluntatis. Cum enim aliqua cauſa efficax fuerit ad agendum, effectus conſequitur cauſam: non tantum ſecundum id quod fit, ſed etiam ſecundum modum faciendi, vel eſſendi. Cum igitur voluntas divina ſit efficaciſsima, non ſolùm ſequitur quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed quod eo modo fiant, quo Deus ea*

*fieri*

*fieri vult. Vult autem quædam fieri Deus neceſſariò, quædam contingenter, vt ſit ordo in rebus ad complementum vniverſi.* Corroborat hæc Ang. Præceptor Tract. de Præſcient. & Prædeſt. aſſerens: *Voluntas humana per prædeſtinationem non ligatur, neque impeditur ad eliciendum proprium actum, ſed iuvatur: quia licèt voluntas humana libera ſit, tamen hanc libertatem non habet, niſi à Deo, qui eſt cauſa efficiens huiuſmodi libertatis; & ſic dicitur in libro de cauſis: Omnis cauſa primaria plus eſt influens ſuper actum, quàm cauſa ſecunda. Et per hunc modum dicit Apoſtolus: quod Deus operatur in nobis velle, & perficere.* Hæc Divus Thomas.

28 Ex quibus infertur: Divinam prædeſtinationem eſſe omninò certam. Ita Divus Thomas art 6. Hoc fundat in illo Rom.8. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit.* Et refert Gloſſam aſſerentem: *Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quà certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* Nunc Ang. Mag. *Prædeſtinatio certiſsimè, & infallibiliter conſequitur ſuum effectum, nec tamen imponit neceſſitatem, vt ſcilicet effectus eius ex neceſſitate proveniat.*

29 Probatur ratione Divi Thomæ: Prædeſtinatio non eſſet omninò certa, quia eius effectus, nempe, conſecutio gloriæ, non foret omninò certus; ſed eſt omninò certus: ergo & prædeſtinatio eſt omninò certa. Prob. minor. Ideò non eſſet omninò certus, quia eſt liber, & non neceſſarius; ſed licèt ſit liber, & non neceſſarius, eſt omninò certus: ergo. Probat. min. Deus prædeſtinatione vult, quod conſecutio gloriæ, quæ eſt effectus illius, fiat contingenter, liberè, & non neceſſariò: ergo. Ant. eſt Divi Thomæ. Quod, & rationem confirmat ipſe, hoc diſcurſu: Prædeſtinatio eſt pars providentiæ; ſed non omnia ſubiecta providentiæ fiunt neceſſariò, ſed aliqua contingenter, & vt Deus ordinavit; licèt ordo providentię ſit infallibilis, & effectus certus: ergo. Quare ita concludit Ang. D. *Sic igitur & ordo prædeſtinationis eſt certus, & tamen libertas arbitrii non tollitur, ex qua contingenter provenit prædeſtinationis effectus.* Roborat hoc, alio diſcurſu: Divina ſcientia, & voluntas ſunt certiſsimæ, & infallibiles; ſed non auferunt contingentiam à rebus: ergo licèt prædeſtinatio ſit certa, & infallibilis, non aufert illam, nec libertatem.

30 Arg. Effectus prædeſtinationis non eſt certus; ergo prædeſtinatio non eſt certa. Prob. ant. Corona gloriæ non eſt certa; ſed eſt effectus prædeſtinationis: ergo. Prob. mai. Quod poteſt acquiri, & perdi, non eſt certum; ſed Corona gloriæ poteſt acquiri, & per-

perdi : ergo. Prob minor. ex illo Apoc.3. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Nunc Sanct. Auguſtinus: *Alius non eſt accepturus, niſi iſte perdiderit* : ergo.

31 Reſp. cum Divo Thoma ad 1. dicente: *Corona dicitur eſſe alicuius dupliciter. Vno modo ex prædeſtinatione divina: & ſic nullus coronam ſuam amittit. Alio modo ex merito gratiæ. Quod enim meremur, quodammodo noſtrum eſt. Et ſic ſuam coronam aliquis amittere poteſt per peccatum mortale ſequens. Alius autem illam coronam amiſſam accipit, in quantum loco eius ſubrogatur. Non enim permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat, ſecundùm illud Job 34. Conteret multos, & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis. Sic enim in locum Angelorum cadentium ſubſtituti ſunt homines, & in locum Judæorum gentiles. Subſtitutus autem in ſtatum gratiæ etiam quantum ad hoc coronam cadentis accipit, quia de bonis, quæ alius fecit in æterna vita gaudebit, in qua vnuſquiſque gaudebit de bonis tàm à ſe, quàm ab alijs factis.*

32 Cont. Corona prædeſtinati poteſt perdi: ergo & prout eſt ex prædeſtinatione. Prob.ant. Poſsibile eſt, prædeſtinatum mori in peccato mortali; ſed in tali caſu perderetur corona prædeſtinati: ergo. Prob.mai. Poſsibile eſt, prædeſtinatum exiſtentem in peccato mortali occidi; ſed tunc moreretur in peccato mortali: ergo. Mai.patet: Siquidem prædeſtinatus non eſt impoſsibilis, nec innecabilis. Min.conſtat: Dum mors foret ſubitanea. Reſp.diſt mai. Poſsibile ex ſuppoſitione, nego mai. Abſolutè, conc.maior.& min.& diſt.conſeq. eodem modo. Licèt ex ſe, & abſolutè ſit poſsibile, prædeſtinatum exiſtentem in peccato mortali occidi. Non tamen eſt compoſsibile, nec poſsibile ex ſuppoſitione prædeſtinationis. Nec ita occidetur, vt in peccato mortali moriatur; ſed ante mortem pœnitebit, & in gratia finietur. Cumquè hoc ſit non perdi coronam prædeſtinati: ideò non poteſt perdi. Ita Divus Thomas ad 2.

33 Cont. Prędeſtinatus etiam in ſuppoſitione prædeſtinationis poteſt mori in peccato mortali: ergo. Prob.antec. Ex ſuppoſitione prædeſtinationis poteſt Deus non prædeſtinare quem prædeſtinavit; ſed tunc poſſet mori in peccato mortali: ergo. Prob.mai. Potuit Deus non prædeſtinare quem prędeſtinavit: ergo. Prob.conſ. Deus poteſt quidquid potuit; ſed: ergo. Reſp.diſt.mai. Poteſt in ſenſu compoſito, nego mai. Abſolutè, conc.mai.& min. & nego conſeq. Suppoſita voluntate efficaci Dei de aliquo creato faciendo, poteſt abſolutè quod poterat antea, & non facere illud. Non tamen in

ſen-

ſenſu compoſito, nec ex ſuppoſitione illius. Sic enim non poteſt, ſed neceſſe eſt illud facere. Cumque ſupponatur voluntas Dei efficax prædeſtinans aliquem; ideò in tali ſuppoſitione, & in ſenſu compoſito non poteſt non prædeſtinare, nec non prædeſtinaſſe illum: Sicque nec ille poteſt ita in peccato mortali mori. Sic Divus Thomas ad 3.

## ARTICULVS TERTIVS.

*VTRVM SIT IN DEO Voluntas efficax executiva conferendi gloriam ex præviſione meritorum.*

1 SUPPOSITO, quod Deus ex liberalitate, & ſine præviſione meritorum, intendit dare gloriam; ſupereſt dubium: An præterea, ſit in Deo voluntas executiva, qua ex præviſione meritorum velit conferre illam in executione? Negant M. Nazar. Alvarez, & communiter Jeſuitæ. Affirmat communior conſenſus Thomiſtarum cum Illuſt. Godoy, Gonet, Ferre, Lezana, Carraſco, & alijs.

2 Concluſio: Præter voluntatem intentivam, eſt in Deo voluntas executiva efficax, qua ex præviſione meritorum vult conferre prædeſtinatis gloriam, vt coronam. Conſtat ex illo 2. Tim. 4. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus.* Divus Thomas lect. 2. *Secundum æternam prædeſtinationem reſervata: Hæc eſt corona gloriæ.* Et antea dicit: *Datur ex iuſtitia, quia datur iuſtis ſecundùm opera iuſta.* Vbi apparet: quod ab æterno eſt in Deo voluntas efficax collativa gloriæ ex meritis, & ex iuſtitia; ſed hæc non eſt voluntas intentiva; vt viſum eſt art. ant. ergo eſt executiva aſſignata.

3 Reſpondebis: Quod Apoſtolus loquitur de collatione actuali, & temporali gloriæ, quæ eſt ex meritis, ex iuſtitia, & per modum Coronæ. Non de voluntate, qua Deus ab æterno vult ex gratia, & ex bonitate ſua conferre ſic in tempore gloriam. Cont. D. Aug. Serm. 7. de verb. Domini ait: *Elegit autem Deus, ſicut dicit Apoſtolus, ſecundum ſuam gratiam, & ſecundum illorum iuſtitiam.* Vbi, præter actualem, & temporalem collationem gratiæ, aſſignat in Deo duplicem electionem: Vnam ex gratia, & aliam ex iuſtitia; ſed electio ex gratia eſt voluntas intentiva conferendi gloriam, ante præviſa merita: ergo electio ex iuſtitia eſt voluntas executiva conferendi illam, ex præviſione meritorum. Deinde: Iuxtà Div. Thomam, ab æterno eſt præparata, repoſita, & reſervata prædeſtinatis corona iuſtitiæ; ſed col-

collatio actualis illius non eſt ab æterno, ſed in tempore: ergo loquitur cum Apoſtolo de tali voluntate executiva conferendi illam. Præterea: Collatio erit in tempore, iuxtà illud: *Quam reddet mihi Dominus in illa die, &c.* Sed præter hanc collationem, prævenit aliam voluntatem Dei de conferenda gloria, vt corona iuſtitię, dum aſſerit Apoſtolus: *Repoſita eſt, &c.* ergo eſt aſsignata executiva.

4 Prob. concluſ. ratione in hoc fundata: In Deo eſt actus voluntatis conferendi ex iuſtitia gloriam prædeſtinatis; ſed hæc eſt voluntas executiva ex præviſione meritorum: ergo. Minor.patet: Cum ſit diſtincta ab intentiva, qua ex liberalitate, & ſine tali prævişione vult illam conferre. Prob.mai. In Deo collatio actualis gloriæ prædeſtinatis eſt actus iuſtitiæ: ergo. Prob.conſ. Actui externo cuiuslibet virtutis debet correſpondere actus internus eiuſdem virtutis; ſed in Deo non poteſt eſſe alius actus internus iuſtitiæ reſpectu gloriæ prædeſtinatorum, correſpondens collationi externæ illius, niſi talis voluntas executiva: ergo. Maior.eſt certa: Nam actus exterior gaudet eadem libertate, bonitate, & honeſtate virtutis, qua interior; vt docent Theologi cum Divo Thoma 2. 2. quæſt.20.art.3.

5 Reſpondebis: Quod i tio, ſive electio prædeſtinat ad gloriam, eſt actus int correſpondens collationi a exteriori illius:cum eius obie ſit gloria conferenda, vt co ex meritis, & ex iuſtitia. Actus interior correſponden lationi actuali exteriori gl eſt actus iuſtitiæ, & non libe tatis, nec miſericordiæ; ſed dicta intentio, ſive electio, eſt actus iuſtitiæ,ſed liberali & miſericordiæ: ergo. Prob. Actus interior iuſtitiæ mo ex motivo iuſtitiæ; & actus ralitatis, & miſericordiæ ex tivo liberalitatis, & miſerico ſed prædicta intentio, ſive el non movetur ex motivo iuſt ſed liberalitatis, & miſericor ergo.Prob.min.Motivum iuſ ad remunerandum ſunt meri motivum liberalitatis, & mi cordiæ eſt ſola bonitas, & be nitas; ſed prædicta intentio, electio, movetur ex ſola bon te, & benignitate Dei, & no meritis prædeſtinatorum; v ctum manet: ergo.

6 Roboratur: Ut ali actus interior ſit iuſtitiæ, ſufficit, quod ſit volitio faci iuſtitiam,& conferendi coron ſive præmium ex meritis: e tur etenim, quod ex ipſis m tis, & motivo iuſtitiæ movea & velit; ſed licèt Deus præ

intentione, & volitione velit primum, non vult motus ex meritis, nec ex motivo iuſtitiæ: ergo. Corroboratur: Velle gratis conferre gloriam, etiam vt coronam, & ex meritis, eſt in Deo actus liberalitatis, & miſericordiæ; præcipuè cum ſit Supremus omnium Dominus, conferens exinde gratiam, & ipſa merita: Velle autem non gratis, ſed ex meritis conferre illam, eſt actus iuſtitia; ſed Deus prædicta intentione, & electione vult gratis conferre gloriam prædeſtinatis, licet vt coronam, & ex meritis; non tamen vult non gratis, ſive ex meritis: ergo talis intentio, & electio non eſt actus interior iuſtitiæ, ſed liberalitatis, & miſericordiæ; & ſupereſt volitio executiva, quæ ita velit, & ſit actus interior iuſtitię, correſpondens actuali collationi gloriæ.

7 Arg. 1. Voluntas conferendi gloriam prædeſtinatis, mota à meritis eorum, eſt ocioſa in Deo; ſed talis voluntas executiva conferendi prædeſtinatis gloriam, eſſet mota à meritis: ergo. Probat. mai. In Deo eſt voluntas intentiva efficax conferendi ex meritis gloriam prædeſtinatis; ſed ſuppoſita hac voluntate, eſt ocioſa executiva aſsignata: ergo. Prob. min. Suppoſita tali voluntate, eſt infallibile, quod in tempore gloria conferatur ex meritis prædeſtinatis; ſed voluntas executiva eſſet, vt in tempore conferretur ex meritis gloria prędeſtinatis: ergo.

8 Reſp. diſt. mai. Infallibile formaliter, nego maior. Illativè, conc. mai & diſt. min. Conferretur formaliter, conc. min. Illativè, nego min. & conſ. Deus enim efficaciter intendit, & vult dare gloriam prædeſtinatis ex meritis. Ex qua voluntate infertur infallibilis collatio illius in tempore. Præterea, requiritur alia voluntas, qua formaliter, & immediatè velit talem collationem. Cumquè hæc ſit executiva, mota ex parte obiecti à meritis: ideò hæc datur. In voluntate quidem eſt linea intentiva, & executiva. Utraque concurrens ad exercitium, & actum eius. Illa mediatè; Hæc immediatè, & formaliter. Illa autem, cum eſt efficax, infert illum. Hæc immediatè, & formaliter producit eum. Cum ergo prima Dei voluntas ſit intentiva: ideò reſtat executiva ad actualem collationem gloriæ.

9 Cont. Ex vi talis voluntatis intentivæ confertur formaliter gloriæ: ergo. Prob ant. Talis voluntas intentiva eſt etiam executiva; ſed ex vi voluntatis executivæ confertur formaliter gloria: ergo. Prob mai. Volitio executionis eſt voluntas executiva; ſed talis voluntas intentiva eſt volitio executionis gloriæ: ergo.

Min. patet: Nam vult collationem gloriæ. Reſp. diſt. maior. Volitio prima, & mediata, nego maior. Secunda, & immediata, conc. mai. & diſt. minor. Volitio prima, & mediata, conc. min. Secunda, & immediata, nego min. & conſ. In Deo enim eſt duplex volitio reſpectu executionis, & collationis exterioris gloriæ. Intentiva, & executiva illius. Illa intendit gloriam. Hæc vult executionem gloriæ. Illa eſt prima, & mediata volitio reſpectu executionis. Hæc autem ſecunda, & immediata. Et cum vtraque ſit requiſita pro illa: ideò præter talem voluntatem intentivam, eſt in Deo aſsignata executiva.

10 Cont. Non requiritur voluntas ſecunda, nec immediata Dei reſpectu executionis gloriæ: ergo. Prob. antec. Si requireretur, eſſet in ſpecie virtutis, in qua eſt executio gloriæ; ſed non poteſt eſſe in tali ſpecie: ergo. Prob. min. Executio glorię eſt actus in ſpecie iuſtitiæ; ſed talis volitio immediata non eſſet in ſpecie iuſtitiæ: ergo. Prob. min. Eſſet actus liberalitatis, & miſericordiæ: ergo. Prob. ant. Volitio prima, & mediata, ad quam hæc immediatè ſequeretur, eſt actus liberalitatis, & miſericordiæ: ergo. Prob. conſ. Ideò foret actus iuſtitiæ, quia eſt actus interior, ad quem ſequitur immediatè executio gloriæ, quæ eſt actus iuſtitiæ; ſed etiam actus, qui ſequitur immediatè prædictum actum interiorem liberalitatis, & miſericordiæ: ergo.

11 Reſp. nego conſ. Ratio e[st] Quia quilibet actus interior in[...] & ratione ſui eſt capax libertat[is] & honeſtatis formalis ſpecia[lis] virtutis, cum habeat ſpeciale m[o]tivum, ratione cuius eliciat[ur] & ſic opus non eſt, vt vnus co[n]ſtituatur in ſpecie virtutis alt[e]rius. Vnde cum intentio, & el[e]ctio prædeſtinatorum ad gloria[m] quæ eſt volitio Dei prima, & m[e]diata, habeat pro motivo bon[i]tatem, & benignitatem Dei, [&] volitio executiva prędicta move[a]tur iam ex meritis: ideò illa e[st] actus liberalitatis, & miſerico[r]diæ; & hæc eſt actus iuſtiti[æ]. Actus verò exterior habet libe[r]tatem, & honeſtatem formale[m] virtutis, quam habet actus int[e]rior immediatus; vt docet Div[us] Thomas. Et cum executio glori[æ] ſit actus iuſtitiæ, etiam volit[io] executiva prędicta debet eſſe act[us] iuſtitiæ. Sicut Confeſſarius n[on] obligatus, ex bonitate, & beni[g]nitate motus, intendit virtute l[i]beralitatis, & miſericordiæ au[di]re confeſsiones: & exinde vu[lt] ex iuſtitia exequi tale mun[us] & ex meritis pœnitentis pr[o]cedit, conferens ei quod mere[]tur.

12 Cont. Si concurrit volitio executiva, etſi capax honeſtatis ſpecialis, debet etiam participare honeſtatem ab actu interiori mediato; ergo. Prob.ant. Actus exterior executionis debet illam participare: ergo. Prob.ant. Eo quod Charitas imperet actus aliarum virtutum, actus imperatus nedum participat honeſtatem actus immediati propriæ virtutis, ſed etiam honeſtatem actus mediati Charitatis: ergo. Prob conſ. Sicut talis actus imperatus provenit ex motione charitatis, ita actus exterior executus ex motione primi actus interioris; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia talis participatio poteſt eſſe, & eſt, cum vtriuſque honeſtas, & denominatio eſt compatibilis. Cumquè honeſtas, & denominatio Charitatis ſit compatibilis in actu imperato cuiuslibet virtutis, cum huius ſpeciali honeſtate, & denominatione; non verò honeſtas, nec denominatio liberalitatis, nec miſericordiæ talis primi actus cum honeſtate, & denominatione iuſtitiæ, quæ eſt in executione gloriæ, ob differentiam motivi aſsignati: ideò ille actus imperatus participat honeſtatem Charitatis, non tamen hic actus exterior honeſtatem primi actus interioris.

13 Arg.2. Præter voluntatem intentivam, non eſt in Deo diſtincta voluntas executiva pro collatione gratiæ, & meritorum: ergo nec pro collatione gloriæ. Ant.patet: Aliunde, ſi quis promereretur primam gratiam, non mereretur totam prædeſtinationem: cum poſſet mereri illam, vt executam, & non vt intentam, ſicut de facto promeretur gloriã. Quod eſt contra SS. PP. Probat. conſ. Sicut gloria eſt donum Dei, ita gratia, & merita; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia tali, duplex voluntas eſt reſpectu finis, qui intenditur, & executioni mandatur. Non reſpectu mediorum, quæ procedunt ex voluntate finis. Cumquè gloria ſe habeat vt finis prędeſtinationis; gratia autem, & merita ſe habeant vt media: ideò præter voluntatem intentivam, eſt alia executiva gloriæ; non tamen gratiæ, nec meritorum.

14 Nec allegatum pro antecedenti inconveniebat: Nam in tali caſu, promerens primam gratiam, non ſequitur, quod poſſet promereri à priori, & formaliter totam prædeſtinationem; ſed à poſteriori, & illativè: quia ſi gratia, quæ eſt principium meriti, ſemel poſſet cadere ſub merito, etiam intentio illam conferendi, quæ eſt primum principium extrinſecum meriti, poſſet cadere ſub illo. Veruntamen poſſet mereri decretum executivum gratię,

& non intentivum illius: Seu gratiam, vt executam, & non vt intentam. Sicut modo promeretur gloriam. Et vt aliæ replicæ præcaveantur, adiungitur hæc ratio: Quia cum exterior collatio gratię ſit liberalis, ſicut intentio, poteſt ab hac participare honeſtatem liberalitatis; & non requiritur alius actus interior, à quo illam participet: Sicque nec voluntas executiva diſtincta. Exterior autem collatio gloriæ, cum ſit actus iuſtitiæ, non participat eamdem honeſtatem, ſed diverſam. Quare requirit actum interiorem iuſtitiæ, à quo participet illam; qui eſt voluntas executiva conferendi gloriam.

15 Cont. Exterior collatio gloriæ eſt etiam liberalis: ergo. Prob. ant. Exterior collatio gratię eſt liberalis: ergo. Prob. conſ. ex illo Rom. 6. v. 23 *Gratia autem Dei, vita eterna.* Ex quo arguitur ſic: Vita æterna, ſive gloria, eſt gratia; ſed: ergo. Reſp. admitto author. & diſt. mai. Eſt gratia in ſe, & formaliter, nego mai. In radice, conc. mai. & diſt. min. Gratiæ in ſe, & formaliter, conc. min. In radice, nego min. & conſ. Cum enim gloria intendatur ex gratia, & originetur ex illa, ita vt gratia, gratis collata, ſit principium meriti gloriæ, dicitur gratia in radice, ſive radicaliter. In ſe autem, & formaliter non eſt gratia, nec confertur ex gratia, ſed ex iuſtitia, aſſerente Apoſtolo 2. Tim. 4. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Gratia tamen prima in ſe, & formaliter eſt gratia. Cumque ſola collatio gratiæ in ſe, & formaliter talis ſit liberalis: nam cum ſit principium meriti, non cadit ſub merito, vt conferatur ex iuſtitia; non verò collatio gratiæ in radice, quæ ſupponit tale principium meriti, quo mereatur: ideò illa, & non hæc, eſt liberalis.

16 In hoc ſenſu dicitur gratia Dei vita æterna, ſive gloria: quia gratia eſt radix illius. Et quia homines per gratiam Dei conſequuntur vitam æternam, cum media gratia eliciant opera meritoria gloriæ. Quare Angel. Mag. lect. 4. ait: *Dixerat iuſtos homines habere vitam æternam, quam certum eſt non poſſe haberi, niſi per gratiam, ideò hoc ipſum quod bona operamur, & quod opus noſtrum eſt dignum vita æterna, eſt à gratia Dei. Vnde & in Pſalmo dicitur: Gratiam, & gloriam dabit Dominus.*

17 Cont. Gloria in ſe, & formaliter eſt gratia: ergo. Probat. ant. Homo per gratiam conſequitur gloriam; ſed conſecutum per gratiam, eſt in ſe, & formaliter gratia: ergo. Reſp. diſt. mai. Conſequitur operatione elicita ab ipſo, conc. maior. Sine operatione elicita, nego mai. & diſt. minor. Conſecutum ſine operatione eli-

cita, conc.min. Cum illa, nego min.& conſ. Homo etenim, media Dei gratia, elicit operationem meritoriam, qua conſequitur ex iuſtitia gloriam, quia Deus illam promiſsit ita operanti. Cumque quod in ſe, & formaliter eſt gratia, habeatur ſine tali operatione, cum infundatur à ſolo Deo, vt aſſerit Concil. Tridentinum: ideò gloria in ſe, & formaliter non eſt gratia; nec collatio eius eſt liberalis, ſed ex iuſtitia, requirens voluntatem executivam aſsignatam.

18 Arg. 3. Repugnat in Deo decretum liberale, & gratuitum conferendi gloriam prædeſtinatis, & decretum non liberale, ſed ex iuſtitia conferendi gloriam illis; ſed prædicta voluntas intentiva foret decretum liberale, & gratuitum conferendi gloriam prædeſtinatis, & executiva aſsignata non liberale, ſed ex iuſtitia collativum gloriæ: ergo. Probat. maior. Repugnat in Deo gratis velle conferre gloriam prædeſtinatis, & velle ex meritis conferre illam; ſed tali decreto liberali gratis vellet conferre gloriam prædeſtinatis, & prædicto non liberali vellet ex meritis conferre illam: ergo. Prob. mai. Repugnat in Deo velle conferre gloriam gratis, & velle conferre gloriam ex meritis: ergo. Prob. conſ. Similis contrapoſitio eſt vtrobique; ſed; ergo.

19 Reſp. nego conſeq. Ratio eſt: Quia in primo caſu, *gratis*, & *ex meritis*, ſumuntur ex parte actus, & motivi. Et cum in Deo ſit duplex motivum pro duplici actu aſsignato: ideò intendit gratis conferre gloriam prædeſtinatis; & poſtquam eligit media, & videt eorum merita, vult ex meritis conferre illam. In ſecundo autem ſumuntur terminativè, & ex parte effectus, ſive executionis illius in tempore. Et cum non ſit duplex, ſed vnica executio, ſive collatio gloriæ: ideò nequit ſimul conferri gratis, & ex meritis: nam hæc repugnant reſpectu eiuſdem rationis, non verò reſpectu diverſæ. Unde Deus intentivè vult gratis conferre gloriam, & executivè vult ex meritis conferre illis; non tamen conferre gloriam ſimul gratis, & ex meritis, ſed ſolum ex meritis. Quare eſt ſimul decretum liberale, & decretum non liberale; & præter voluntatem intentivam, eſt executiva aſſignata.

20 Cont. Deus non poteſt ſubiectivè, & ex parte actus velle gratis, & velle ex meritis conferre gloriam: ergo. Prob. antec. Deus non confert gratis, & ex meritis gloriam: ergo. Prob. conſ. Deus confert, quod vult conferre; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Nam licèt conferat gloriam, quam vult conferre, collatio actualis

eſt ex motivo, quo eſt volitio executiva illius, cum hæc ſit immediata; non ex motivo volitionis intentivæ, quæ eſt mediata. Et cum executiva ſit ex meritis, & intentiva gratis: ideò non confert gratis, & ex meritis, ſed ſolùm ex meritis: vult tamen gratis, & ex meritis conferre modo prædicto.

21 Cont. Non ſtat intendere gratis conferre gloriam, & poſtea conferre illam ex meritis: ergo nec ita velle ex meritis conferre gloriam. Prob ant. Non ſtat intendere ex meritis conferre gloriam, & poſtea conferre illam gratis, & non ex meritis: ergo. Prob. conſ. Sicut vnum eſt motivum liberalitatis, ita aliud iuſtitiæ; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia Deus ex meritis motus, & ex illis intendens conferre gloriam, exequeretur eodem motivo talem voluntatem: cum impleret pactum, promiſſum, & debitum: Sicque ex meritis, & ex iuſtitia remunerativa conferret gloriam. Poſtquam autem gratis vult, & intendit conferre gloriam, poteſt videre, & videt merita in prædeſtinatis: & exinde ex meritis decernere illam dare.

## ARTICULUS QUARTU[S]

### *VTRVM OPERA BON[A] naturalia mereantur Gratiam, quæ eſt primus effectus Prædeſtinationis.*

1 POSTQVAM viſum eſt Deum ex meritis decreviſſe in executione conferre prædeſtinatis gloriam quam ipſi promerentur; occurrit dubium: An ſuis bonis operibus naturalibus promereantur gratiam, quæ in executione eſt primus effectus prædeſtinationis; & Deus ex meritis prædictis illam conferat? Affirmabant Pelagiani, dicentes: initium benefaciendi eſſe ex nobis; conſummationem autem à Deo. Et etiam Maſilienſes, aſſerentes: Bonum vſum gratiæ per liberum arbitrium, prævium à Deo, fore rationem meritoriam ipſius gratiæ: Ipſos autem iam impugnat Divus Thomas art. 5.

2 Concluſio: Opera bona naturalia, nec de condigno, nec de congruo promerentur primam gratiam auxiliantem, quæ eſt primus effectus prædeſtinationis. Prima pars concluſionis eſt definita in Concilio Arauſicano 2. Can. 6. aſſerente: *Si quis dixerit, ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, nobis miſericordiam Dei*

*conferri, non autem divinitus vt credamus, velimus, vel hæc omnia vt oportet agere valeamus, per infuſionem Spiritus Sancti in nobis fieri confitetur, reſiſtit Apoſtolo.* Stabilita quoque eſt in Concil. Milevitano; & in Trid. Seſſ. 6. cap. 5. dicente: *Exordium iuſtificationis noſtræ deſumi ex vocatione Dei, qua nullis eorum exiſtentibus meritis à Deo vocantur*; ſed primus effectus prædeſtinationis eſt vocatio, ſeu gratia auxilians, qua prædeſtinati vocantur: ergo. Min patet ex illo Rom 8. *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit.* Hæc veritas declarata eſt etiam à S. Pio V. & à Gregor. XIII. propoſit. 4. 7. & 24. cont. Michaelem Baium. Et conſtat in Divo Thoma art. 5. & in S. Aug. & Divo Proſpero cit. artic. 1.

3 Prob. concluſ. ratione quo ad 1. part. Meritum de condigno debet adæquari cum præmio, ſaltim in morali æſtimatione; ſed opera noſtra bona naturalia non adæquantur in morali æſtimatione cum gratia auxiliante, quæ eſt primus effectus prædeſtinationis: ergo. Prob. min. Res ordinis inferioris non adæquatur in morali æſtimatione cum re ordinis ſuperioris; ſed opera noſtra bona naturalia ſunt ordinis inferioris, & prædicta gratia eſt ordinis ſuperioris: ergo. Mai. eſt certa: Nam adæquatio dicit æqualitatem. Min. manifeſta: Quia ordo naturæ eſt inferior ordine ſupernaturali gratiæ.

4 Roboratur: Opera bona naturalia non adæquant in æſtimatione morali formam ſupernaturalem; ſed talis gratia eſt ſupernaturalis: ergo. Prob. mai. Non adæquant ita formam excedentem, & exiſtentem ſupra totam exigentiam naturæ; ſed forma ſupernaturalis excedit, & eſt ſupra totam exigentiam naturæ: ergo. Corroboratur: Gratia, maximè prima, gratis datur: alioquin non eſſet gratia, vt ait Apoſtolus; ſed ſi opera bona naturalia mererentur condignè illam, non daretur gratis, ſed ex prædictis meritis: ergo non eſſet gratia: quod eſt contra quæſitum. Cum igitur ſit gratia, vt fides docet, non promerentur illam.

5 Secunda pars concluſ. conſtat ex illo Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Divus Thomas lect. 3. ait: *Non ex operibus, ſed ex gratia vocantis.* Et addit: *Non debetur alicui per aliquam eius voluntatem*; ſed ſi prædeſtinati per opera bona naturalia mererentur de congruo primam gratiam, quæ eſt primus effectus prædeſtinationis; hæc, electio, & prædeſtinatio, iam eſſet volentis, & currentis, & non ſolius Dei miſerentis: ergo.

6 Confirmat hoc Apoſtolus 1.Cor.4. dicens: *Quis enim te diſcernit?* Divus Thomas lect.2. *A maſſa perditorum? Tu te ipſum diſcernere non potes.* Proſequitur Beat. Paulus: *Quid autem habes, quod non accepiſti?* Nunc B.Thomas: *Omnia enim bona ſunt à Deo, ſecundum illud Pſal. Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Iterum Apoſtolus: *Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Ubi oſtendit: diſcretionem rectè operantis à pravè operante, non eſſe ab ipſo rectè operante, ſed à gratia Dei accepta: ideoque non poſſe præ alio gloriari; ſed ſi per opera bona naturalia mereretur de congruo primam gratiam, talis diſcretio eſſet ab illo per talia opera, & ante acceptam gratiam: nam eſſet per meritum illius; & poſſet gloriari præ alio, quia ſuo merito diſcretus eſſet ab illo: ergo.

7 Reſpondebis: Quod vterque Sacer textus excludit ab operibus bonis naturalibus meritum de condigno; non de congruo: nam ſuppoſito in illis hoc merito, Deus ex benignitate, & miſericordia ſua liberè confert gratiam, qua recipiens eam, diſcernitur à non recipiente: Sicquè talis diſcretio eſt a Deo miſerente; & recipiens non poteſt, præ non recipiente gloriari. Cont. Licèt ita eſſet, non foret á ſolo Deo, ſed etiam ab homine naturaliter be[ne] operante: ergo eſſet etiam vole[n]tis, & currentis, & non ſol[um] Dei miſerentis; & haberet aliq[uid] non acceptum ex gratia; nem[pe] meritum boni operis naturalis, quo poſſet gloriari, præ non re[cte] ita operante. Prob.ant. Diſcret[io] ſtat in eo, in quo benè opera[ns] diſtinguitur à pravè operante; ſ[ed] non ſolum diſtinguitur in tali gr[a]tia, & miſericordia Dei, ſed eti[am] in ſuo bono opere naturali, [&] proprio merito: ergo.

8 Illuſtratur: Prima diſcr[e]tio in linea ſupernaturali vni[us] hominis ab alio, debet ſumi [ab] aliqua gratia Dei, & non ab a[li]quo proprio, & naturali ipſi[us] hominis; ſed ſi ſuo opere bono n[a]turali mereretur de congruo pr[i]mam gratiam, non ſumeretur [à] gratia, ſed à proprio bono ope[re] naturali: ergo. Mai. eſt certa: Cu[m] ſit Dei miſerentis, & ab aliq[uo] gratuito accepto. Min. eſt man[i]feſta: Nam cum tale opus præc[e]deret gratiam, vt meritum præ[c]cedit præmium, prædicta diſcr[e]tio prius eſſet ab illo, quàm à gr[a]tia. Hoc autem opponitur Sa[cro] Conc. Trident. loc. cit. aſſerent[i]: *Nullis eorum exiſtentibus merit[is]* *vocantur.*

9 Prob conclus. ratione q[uo]ad 2.part. De conceptu gratię e[ſt] quod ſit omninò indebita natura[e]; ſed ſi homo per opera bona nat[u]

ralia poſſet mereri de congruo primam gratiam, hæc non eſſet omninò indebita naturæ: ergo. Mai.patet: Cum gratia ſit ſupernaturalis, & ſupernaturale ſit ſupra omnem exigentiam, & debitum naturæ. Prob.min. Præmium non eſt omninò indebitum ſuo merito; ſed ſi homo per opera bona naturalia poſſet mereri de congruo primam gratiam, in natura eſſet meritum ad illam, & gratia foret præmium eius: ergo.

10 Reſpondebis: Non eſſe omninò indebitum, ſed debitum merito de condigno. Eſſe tamen indebitum merito de congruo: cum in hoc differat ab iſto. Cont. Licèt meritum de congruo non dicat exigentiam, & debitum, quam, & quod dicit meritum de condigno reſpectu præmij; dicit aliquam, & aliquod; ſed de conceptu gratiæ ſupernaturalis eſt, quod in natura nulla ſit exigētia, nullumque debitum reſpectu illius: ergo. Mai. eſt certa: Nam meritum de condigno dicit exigentiam, & debitum iuſtitiæ, & æqualitatis. Meritum autem de congruo debitum proportionis, decentiæ, & honeſtatis. Minor. patet: Alioquin non foret omninò gratia; & minùs ſupernaturalis, quæ eſt ſupra omnem exigentiam, & debitum naturæ.

11 Reſpondebis: Quod gratiæ ſupernaturali repugnat exigentia phiſica in natura. Non verò moralis, quam ſolùm importat meritum de congruo reſpectu præmij. Cont. Pura gratia, præcipuè ſupernaturalis, etiam exigentiam moralem excludit in natura; ſed gratia, de qua loquimur, eſt pura gratia, & ſupernaturalis: ergo. Maior.patet: Nam ſi ſupponeret talem exigentiam, & debitum, prout ſic non foret gratia, cum eſſet debita. Nec eſſe ſupernaturalis: Cum in natura foret aliqua exigentia illius.

12 Ex his colligitur: Quod nec in operibus bonis moralibus, vt procedentibus à libero arbitrio, adiuto gratia ſpeciali naturali, per Chriſtum conceſſa, eſt aliquod meritum reſpectu talis gratiæ. Ratio eſt: Nam talia opera, prout ſic, ſunt naturalia, & manent in linea naturæ; ſed in his nullum meritum eſt reſpectu talis gratiæ; vt dictum manet: ergo nec in illis. Nec mirum, quod in eis non detur meritum reſpectu prædictæ gratiæ: cum nec occaſio aliqua, ſive initium detur ex parte noſtra reſpectu illius; ſed mera non repugnantia: cum initium eius ſit gratuitum, liberale, & ex parte Dei. Conſtat hoc ex SS.PP. artic.1. num.2. & artic.2. num.6.

13 Quare V. Joannes Caſianus Collat.13.cap.8. inquit: *Non*

*ſolùm Sancta deſideria benignus inſpirat, ſed etiam occaſiones præſtruit, & opportunitatem boni effectus, ac ſalutaris viæ directionem demonſtrat errantibus.* Hæc confirmant SS. Auguſt. & Proſper. Imò & Sac. Conc. Trid. vt viſum eſt. Et Concil. Arauſicanum 2. Can. 7. aſſerit: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ cogitare, vt expedit, poſſe confirmat, abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo, & aſſentiendo, hæretico fallitur ſpiritu.*

14 Arg. 1. In operibus bonis naturalibus non repugnat meritum de congruo reſpectu primæ gratiæ ſupernaturalis: ergo homo poteſt illis mereri de congruo talem gratiam, quæ eſt primus effectus prędeſtinationis. Prob. antec. In natura non repugnat congruētia reſpectu gratię ſupernaturalis; ſed meritum de congruo ſolùm dicit aliquam congruentiam reſpectu præmij: ergo. Maior. patet: Nam in natura Angeli nobilioris fuit maior congruentia ad maiorem gratiam, quàm in natura alterius minus nobilis: Et in natura humana fuit maior congruentia ad vnionem hypoſtaticam Verbi divini, quàm in natura Angelica. Reſp. diſt. maior. Congruentia meritoria, nego maior. Non meritoria, conc. mai. & diſt. min. Meritoriam, conc. minor Non meritoriam, nego minor. & conſeq.

15 Cont. In natura non repugnat congruentia non meritoria reſpectu gratiæ ſupernaturalis: ergo nec repugnat meritoria Reſp. nego conſeq. Diſcrimen eſt Quia congruentia meritoria dicit aliquam exigentiam præmij: & hoc eſt aliquo modo debitum illi Congruentia autem non meritoria eam non dicit, nec ſimile debitum; ſed ſpecialem titulum, & convenientiam ad aliquid, ſine vlla exigentia, & debito. Huiuſmodi eſt maior congruentia in nobiliori Angelo ad maiorem gratiam: quia gratia non deſtruit, ſed perficit naturam, & accomodatur naturæ. Et ſimiliter maior congruentia in natura humana, vt aſſumatur à divino Verbo: quia poſtquam peccavit, eſt reparabilis, cum ſit flexibilis; non verò natura Angelica, cum Angelus ſit inflexibilis. Cumque in natura non repugnet talis ſpecialis titulus, & convenientia, etſi repugnet in ea exigentia, & debitum gratiæ ſupernaturalis: ideò in illa repugnat congruentia meritoria, etſi non repugnet non meritoria.

16 Cont. Congruentia meritoria non dicit exigentiam, nec aliquod debitum reſpectu premij: ergo. Prob. ant. Præmium non eſt

debitum merito de congruo: ergo. Prob.ant. Remunerator non eſt obligatus præmiare meritum de congruo: ergo. Ant.eſt certum: Cum ſit liber, vt præmiet illud; ad differentiam meriti condigni, quod eſt obligatus præmiare. Probat.conſ. Cum præmium eſt debitum merito, remunerator eſt obligatus præmiare illud; ſed: ergo. Reſp.diſt.min. Non eſt obligatus ex iuſtitia, & neceſsitate, conc.min. Ex proportione, & congruitate, nego min. & ita diſting. conſeq. Licèt enim remunerator non ſit ex iuſtitia obligatus, nec neceſsitatus præmiare meritum de congruo, ſicut condignum; & poſsit illud non remunerare: eſt quaſi obligatus ex quadam congruitate, proportione, & ſufficientia, quæ eſt in illo reſpectu præmij. Cumquè hoc ſufficiat, vt in eo ſit talis exigentia, & debitum: ideò eſt.

17 Arg.2. Licèt gratia ſupernaturalis excedat opera bona naturalia, poteſt homo his mereri de congruo illam: ergo. Prob.ant. Licèt gratia Unionis hypoſtaticæ excedat opera ordinis gratiæ, poteſt homo his mereri de congruo illam: ergo. Antec.patet in Sententia probabili aſſerẽte: quod SS. PP. meruerunt de congruo Incarnationem Verbi diuini: & ad minus in communi Theologorum, meruerunt aliquas circumſtantias illius. Prob.conſ. Magis diſtat ordo gratiæ ab ordine hypoſtatico, quàm ordo naturæ ab ordine gratiæ; ſed: ergo.

18 Reſp.diſt.mai. Magis diſtat in proportione, & habitudine, nego mai. Entitativè, conc. mai. & min. & nego conſeq. Licèt ordo gratiæ in eſſe entis diſtet magis ab ordine hypoſtatico, quã ordo naturæ ab ordine gratiæ: quia ordo hypoſtaticus importat Deum in ſe ipſo, & vt terminantem naturam humanam; qui ita diſtat magis à creatura, quàm hæc à qualibet alia. Non tamen in ratione proportionis, & habitudinis. Sic enim ordo naturæ magis diſtat ab ordine gratiæ: nam hic ordo petit eſſe ſupra omnem exigentiam, & debitum naturæ. Ille verò non petit eſſe ſupra omnem exigentiam, & debitum gratiæ; ſive non petit, non eſſe debitum ordini gratiæ. Cumquè diſtantia entitativa non obſtet merito de congruo, ſed diſtantia proportionis, & habitudinis: ideò poteſt dari tale meritum in ordine gratiæ reſpectu Vnionis hypoſtaticæ; non tamen in operibus naturalibus reſpectu gratiæ. Sicut intellectus creatus, ornatus lumine gloriæ, entitativè diſtat magis à Deo, quàm viſus corporeus ab Angelo: & quia minus diſtat in proportione, & habitudine, poteſt cognoſcere Deum, & vi-

ſus non poteſt videre Angelum.

19 Cont. Ordo naturæ non diſtat magis in proportione, & habitudine ab ordine gratiæ: ergo. Prob.ant. Diſtaret ſic magis, quia ordo gratię eſt ſupra omnem exigentiam naturæ; ſed non eſt: ergo. Prob.min. Ideò eſſet, quia ſupernaturale eſt ſupra omnem exigentiam naturæ; ſed non eſt: ergo. Prob.minor. Natura poteſt exigere aliquid ſupernaturale: ergo. Prob.ant. Natura exigit potentiam obedientialem ad ſupernaturalia; ſed talis potentia eſt ſupernaturalis: ergo. Reſp. diſt. min. Supernaturalis terminativè, & extrinſecè, conc.min. Subiectivè, & intrinſecè, nego min.& conſ. Potentia obedientialis poteſt conſiderari ſubiectivè, & intrinſecè, ex parte naturæ, in qua eſt. Et terminativè, ac extrinſecè, ex parte termini inſpecti, & ad quem eſt. Et licèt hoc modo ſit ſupernaturalis, quia terminus illius eſt ſupernaturalis; non tamen primo modo, quomodo eſt mera non repugnantia, quam ipſa natura habet ad ſupernaturalia. Cumquè reſpectu huius natura nullam dicat exigentiam: ideò non exigit aliquid ſupernaturale; ſed hoc, & gratia, eſt ſupra omnem exigentiam naturæ.

20 Cont. Potentia obedientialis ſubiectivè, & intrinſecè naturalis habet neceſſariam conne- xionem cum termino ſupernaturali: ergo natura poteſt habere exigentiam formæ, & gratiæ ſupernaturalis. Prob.conſeq. Sicut forma ſupernaturalis, & gratia excedit naturam, ita potentiam intrinſecè naturalem; ſed: ergo. Reſp.nego conſ. Ratio eſt: Quia connexio potentiæ obedientialis cum termino ſupernaturali eſt per modum non repugnantiæ; quæ non repugnat, ſed convenit potentiæ intrinſecè naturali. Exigentia autem prædicta eſt per modum poſitivæ inclinationis: quæ repugnat in natura reſpectu formæ, & gratiæ ſupernaturalis.

21 Arg.3. Opera bona naturalia poſſunt mereri de congruo primam gratiam auxiliantem: ergo. Prob.antec. Ideò non poſſent mereri de congruo illam, quia eſt ſimpliciter gratia; ſed licèt ſit, poſſunt: ergo. Prob.min. Meritum de congruo præcedens non auferret ab illa rationem gratiæ ſimpliciter talis: ergo. Prob.ant. Solum faceret, quod ſit debita ſecundùm quid; ſed ratio debiti ſecundùm quid, non aufert rationem gratiæ ſimpliciter talis: ergo. Mai. eſt certa: Cum differat in hoc à merito condigno, cui præmium eſt ſimpliciter debitum.

22 Reſp.diſt.min. Simpliciter abſolutè, conc.min. Omnibus

modis, nego min. & ita diſting. conſ. Gratia enim poteſt dupliciter eſſe ſimpliciter gratia. Abſolutè, vt opponitur eſſe tali ſecundùm quid. Et prout dicit omnibus modis eſſe gratiam, & non ſolo aliquo modo, ſed omninò eſſe indebitam. Eſſe namque ſecundùm quid debitam, non aufert rationem gratiæ ſimpliciter, & abſolutè talis; benè verò rationem gratiæ ſimpliciter, & omnibus modis talis. Cumquè gratia auxilians, quæ eſt primus effectus prædeſtinationis, ſit ſimpliciter, & omnibus modis gratia: ideò nequit eſſe ſecundùm quid debita. Et cum meritum de congruo reddat præmium ſecundùm quid debitum: adeò nemo poteſt operibus bonis naturalibus mereri de congruo illam.

23 Cont. Licèt gratia auxilians ſit omnibus modis gratia reſpectu operum bonorum naturalium, poteſt præcedere meritum de congruo illius: ergo. Prob. ant. Gratia habitualis eſt omnibus modis gratia reſpectu operum bonorum naturalium; ſed in Sententia probabili poteſt præcedere meritum de congruo illius: ergo. Min. conſtat: Nam in tali Sententia, vltima diſpoſitio ad talē gratiam, ſe habet vt meritum de congruo reſpectu illius. Reſp. diſt. min. Præcedere in operibus ſupernaturalibus, conc. min. Naturalibus, nego min. & conſ. Licèt gratia habitualis, etiam ſit ſimpliciter, & omnibus modis gratia reſpectu operum naturalium, ſicut auxilians; præcedit illam opus ſupernaturale, elicitum medio auxilio ſupernaturali, quod eſt vltima diſpoſitio ad ipſam; cui, vt merito de congruo, correſpondeat, & ſit ſecundùm quid debita: reſpectu cuius eſt ſimpliciter abſolutè gratia; non tamen omnibus modis. Hoc autem non evenit reſpectu primæ gratiæ auxiliantis; & ſimile meritum in operibus bonis naturalibus reſpectu illius repugnat; ſicut & reſpectu habitualis: quia vtraque eſt gratia omnibus modis reſpectu illorum.

24 Cont. Licèt gratia habitualis ſit ſimpliciter abſolutè gratia reſpectu operis ſupernaturalis; non tamen omnibus modis: ergo licèt prima gratia auxilians ſit ſimpliciter abſolutè gratia reſpectu operis naturalis ipſam præcedere; non verò omnibus modis. Prob. conſ. Sicut opus ſupernaturale præcedit gratiam habitualem, ita naturale gratiam auxiliantem; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia de ratione gratiæ eſt eſſe ſupra omnem exigentiam, & debitum naturæ; & non foret ſic gratia auxilians, ſi non eſſet omnibus modis gratia reſpectu operis naturalis præcedentis; cum eſſet aliquo modo

debi-

debita reſpectu illius. Veruntamen non eſt de ratione gratiæ eſſe ſupra omnem exigentiam, & debitum alterius gratiæ, ſive formæ ſupernaturalis præcedentis; cui poteſt eſſe debita titulo congruitatis, etſi non iuſtitiæ; vt eſt gratia habitualis reſpectu prædictæ diſpoſitionis vltimæ: Sicquè eſt abſolutè gratia, ſed non omnibus modis. Et ratio omnium eſt: quia gratia auxilians eſt prima gratia, & primum donum ſupernaturale. Quare non ſupponit, niſi naturam; cui omnimodè eſt indebita, & gratia. Habitualis verò non eſt prima gratia, nec primum donum ſupernaturale: cum ſupponat gratiam auxiliantem, & actus ſupernaturales media illa elicitos; quibus poteſt eſſe debita de congruo, quin ſit omnimodè, ſed abſolutè gratia.

25 Arg. 4. Opera bona naturalia moralia poſſunt adæquare in æſtimatione morali gratiam auxiliantem; ſed hæc adæquatio ſufficit ad meritum de congruo illius: ergo. Prob. mai. Quod eſt in ordine inferiori poteſt adæquare in æſtimatione morali, quod eſt in ordine ſuperiori: ergo. Prob. ant. Quod eſt in ſpecie inferiori poteſt adæquare in æſtimatione morali, quod eſt in ſpecie ſuperiori: ergo. Ant. patet: Nam actus miſericordiæ eſt in ſpecie inferiori reſpectu Charitatis; & ex repetitione, aut intenſione poteſt adæquare, imò excedere in æſtimatione morali, & valore meritorio aliquem actum Charitatis. Prob. conſ. Sicut in ordine ſuperiori eſt exceſſus reſpectu ordinis inferioris, ita in ſpecie ſuperiori reſpectu inferioris; ſed: ergo.

26 Reſp. diſt. min. Si conveniant in principio fundante æſtimabilitatem, conc. min. Si non, nego min & ita diſt. conſeq. Cum aliqua conveniunt in principio valorante, & fundante æſtimabilitatem actuum, actus inferior poteſt adæquare, imò excedere in illa actum ſuperioris: quia exceſſus ſumptus ex obiecto, poteſt ex aliijs capitibus compenſari; vt ex repetitione, & intenſione. Secùs cum non conveniunt in illo. Cum igitur miſericordia, & charitas ita conveniant in gratia Sanctificante, quæ eſt principium valorans, & fundans æſtimabilitatem actuum ſupernaturalium: non verò opera naturalia cum gratia auxiliante: ideò ibi poteſt eſſe adæquatio, & exceſſus; non tamen hic. Hoc patet in ordine gratiæ, cuius actus propterea non poteſt adequare in æſtimabilitate morali quod exiſtit in ordine ſuperiori hypoſtatico: aliàs SS. PP. potuiſſent mereri de condigno Incarnationem Verbi divini. Et in caſu argumenti eſt inſtantia: nam talis adequatio actus miſericordiæ

cum

cum actu charitatis, ſufficit ad meritum æquale de condigno; & tamen in operibus bonis naturalibus non eſt poſsibile meritum de condigno reſpectu gratiæ auxiliantis: ergo quia non eſt poſsibilis in illis talis adæquatio.

27 Cont. Sine convenientia in tali principio, actus ſpeciei inferioris poteſt adæquare in æſtimatione morali actum exiſtentem in ſpecie ſuperiori: ergo. Probat. ant. Actus furti non convenit in principio fundante demeritum cum actu odij Dei; ſed licèt ſit in ſpecie inferiori, poteſt adæquare in demerito, ſive in morali inæſtimabilitate actum odij Dei: ergo. Mai. patet: Cum fundetur in propria malitia. Minor. conſtat: Nam ex repetitione, aut intenſione poteſt æquare, imò ſic excedere illum.

28 Reſp. diſt. mai. Principio radicali, nego maior. Proximo, conc. mai. & min. & ſimiliter diſt. conſ. Principium proximum demeriti, & inæſtimabilitatis moralis eſt propria malitia actuum. Principium radicale eſt inimicitiæ cum Deo. Et licèt actus furti, & odij non conveniant in tali principio proximo, conveniunt in radicali; nempe, in tali inimicitia, in qua conveniunt omnes actus peccaminoſi. Cumque hæc convenientia ſufficiat, vt actus furti, exiſtens in ſpecie inferiori, poſsit æquare, & ita excedere actum odij, exiſtentem in ſuperiori: ideò poteſt. Sicut actus bonis ſpeciei inferioris propterea poteſt adæquare, & excedere in æſtimabilitate morali actum exiſtentem in ſpecie ſuperiori.

29 Cont. Licèt bona naturaralia moralia non conveniant in principio radicali cum prima gratia auxiliante, & maneant in ordine inferiori, poſſunt ita multiplicari, & intendi, vt in morali æſtimatione adæquent illam: ergo. Prob. ant. Bona fortunæ non conveniunt in principio radicali cum bonis famæ, & manent in ordine inferiori; ſed poſſunt ita multiplicari, & creſcere, vt in morali æſtimatione adæquent illam: ergo. Reſp. diſt. mai. Bona fortunæ ex ſe, conc. mai. Ratione vſus, nego mai. & diſt. minor. Ratione vſus, conc. min. Ex ſe, nego min. & conſ. Bona fortunæ ex ſe non conveniunt ita cum bonis famæ, & manent in ordine inferiori, iuxta illud Proverb. 22. *Melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Unde nimis multiplicata, ſine recto vſu, non æquant bona famæ hominis pauperrimi. Si verò vſus eorum ſit glorioſus, quia rectè diſpenſantur, eiſque liberalitas, & aliæ virtutes exercentur, ſic generant bona famæ, quæ eſt: clara cum laude notitia. Quomodo iam conveniunt in prin-

principio radicali cum illis, & non manent in ordine inferiori: Sicque poſſunt æquare illa. Bona autem naturalia nectiquam poſſunt ita convenire cum gratia auxiliante, nec cum aliquo bono ſupernaturali: quia hoc ſemper excedit bonum maximum naturæ, cum ſit ſupra omnem exigentiam, & capacitatem illius. Quare non poteſt ſic æquare illam.

30 Arg. 5. Deus non eſt acceptor perſonarum; ſed ſi, non præviſo naturali de congruo, vni homini, & non alteri, conferret primam gratiam auxiliantem, eſſet acceptor perſonarum: ergo. Prob. min. Qui, nullis meritis attentis, tribuit vni, quod non concedit alteri, eſt acceptor perſonarum; ſed Deus, nullis meritis attentis, tribueret talem gratiam, vni, & non alteri: ergo. Reſp. diſt. mai. Tribuit indebitum, nego mai. Debitum, conc. maior & min. & nego conſ. Acceptor perſonarum eſt ille, qui exiſtens diſtributor boni, pluribus communis, & debiti, pro ſuo libito confert vni, & non alteri, ſive non omnibus. Secùs, cum non eſt huiuſmodi, & vt dominus, liberè concedit illud cui vult. Cumquè Deus ita ſit Dominus gratiæ, nulli creaturæ debitæ: ideò, nullo merito præſuppoſito, eam confert vni, & non alteri, quin ſit acceptor perſonarum. Sicut licèt Deus aliquibus creaturis ex poſſibilibus, & non alijs, tribue[ret] creationis gratiam, nullis care[ntibus] meritis præcedentibus, non [eſſet] perſonarum acceptor: quia nu[llis] eſt debitum beneficium creati[o]nis: Et ſimiliter, licèt de fac[to] Verbum divinum aſſumpſiſſet n[a]turam humanam Chriſti Domi[ni] & non aliam, non fuit accept[or] alicuius; quia talis aſſumptio nu[lli] erat debita.

31 Cont. Licèt gratia aux[i]lians nulli ſit debita, Deus eſſ[et] acceptor perſonarum, tribue[ns] illam vni, & non alteri, non præ[ce]dentibus meritis: ergo. Proba[tur] ant. Omnes homines habent li[]bertatem circa exercitium act[us] liberi; ſed Deus tribuens gratia[m] vni, & non alteri, non præceden[]tibus meritis, auferret ab vno, [&] non ab altero, libertatem cir[ca] exercitium actus liberi, med[ia] tali gratia eliciendi: ergo. Con[ſ.] patet: Nam etiam videtur accep[]tio perſonarum auferre ab vno, [&] non ab alio libertatem, non præ[]cedentibus meritis. Prob. mino[r.] Carens tali gratia, non habere[t] libertatem ad exercitium tal[is] actus liberi: ergo. Prob. ant. Im[]potens elicere actum liberum, no[n] habet libertatem ad exercitiu[m] actus liberi; ſed carens tali grati[a] eſſet impotens elicere talem actu[m] liberum: ergo. Maior. eſt cert[a.] Quia libertas requirit potentia[m]

ad actum. Min. patet: Nam ſine tali gratia prædictus actus eſt impoſsibilis.

32 Reſp. diſt. mai. Impotens in ſua linea, conc. mai. in linea ſuperiori, nego mai. & diſt. min. in linea ſuperiori cauſæ primæ, conc. min. ſecundæ, nego min. & conſ. Hæc diſtinctio, & doctrina eſt nimis repetita. Si inſtes, quod ornatus tali gratia efficaci, non poſſet elicere actum oppoſitum, ſed deberet elicere ipſum actum, pro quo eſt: ergo non maneret liber. Reſp. vt art. 2 num. 21. quod talis gratia efficax non aufert libertatem, ſed illam cauſat, auget, & perficit, cum ſit cauſa actus liberi quoad ſubſtantiam, & modum libertatis.

## ARTIC. V.

### *VTRVM OPERA BONA naturalia moralia diſponant ad primum auxilium ſupernaturale.*

1 NOto, quod diſpoſitio eſt duplex. Vna negativa, quæ removet impedimentum, vt forma introducatur in ſubiecto. Alia poſitiva, quæ præparat ſubiectum, vt recipiat formam; dicens ordinem poſitivum ad illam., & exigentiam illius. Quæ dicitur proxima, & immediata, ſi non mediat alia diſpoſitio. Remota autem, & mediata, ſi mediet. Certum enim eſt, quod opus bonum naturale morale poteſt eſſe diſpoſitio negativa ad primum auxilium ſupernaturale, & ad gratiam, cum impediat peccatum, quod eſt obſtaculum, & impedimentum eius. Sicut honoratio parentum ita elicita, & ſine gratia, impedit peccatum inhonorationis. Difficultas eſt de diſpoſitione poſitiva.

2 Concluſio: Opus bonum naturale morale, ſolis viribus naturæ elicitum, non poteſt eſſe diſpoſitio poſitiva proxima, nec remota ad primum auxilium ſupernaturale. Hæc reſolutio eſt communis; & contraria tueri non poteſt. Quod iam declaravit Ang. Præceptor quodlib 1. art. 7. aſſerens: *Ad Pelagianum errorem pertinet dicere, quod homo poſsit ſe ad gratiam præparare abſque auxilio divinæ gratiæ, & eſt contra Apoſtolum, qui dixit ad Philipp. 1. Qui incipit in vobis opus bonum, ipſe perficiat*; ſed primum auxilium ſupernaturale eſt gratia: ergo cum loquatur de præparativa diſpoſitione, quæ eſt poſitiva, de qua dicit, quod nequit eſſe abſque auxilio divinæ gratiæ, non poterit eſſe ſolis viribus naturæ, medio opere bono naturali morali.

3 Quæ veritas robur accipit poſt damnationem Propoſitio-

num à SS. Innocentio XI. quarum vndecima erat: *Sufficere ad Sacramentum pœnitentiæ attritionem naturalem, dummodo foret honeſta.* Qua damnata, manet ſtabilitum: requiri ſupernaturalem. Cum igitur ſit eadem ratio de qualibet diſpoſitione poſitiva ad primum auxilium ſupernaturale, ac de cõcurrente ad gratiam ſupernaturalem per ſacramentum pœnitentiæ conſequendam; nec illa poterit eſſe quid naturale, ſed debet eſſe quid ſupernaturale. Quare Sac. Conc. Arauſicanum 2. Canone 5. ait: *Si quis dixerit initium fidei, ipſumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iuſtificat impium, non per gratiæ donum, id eſt, Spiritus Sancti inſpirationem, ſed naturaliter ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus contradicit*; ſed prima diſpoſitio poſitiva, etiam remota, ad gratiam, & ad primum auxilium ſupernaturale, eſt initium fidei: ergo. Idem conſtat in Conc. Trid. ſeſſ. 6.

4 Quæ reſolutio etiam eſt expreſſa D. Thomæ 1. 2. q. 109. art. 6. vbi inquirit: Vtrum homo poſsit ſe ipſum ad gratiam præparare per ſe ipſum, abſque exteriori auxilio gratiæ. Et reſpondet negativè; ſed poſſet, ſi opus bonum naturale morale, ſolis viribus naturæ elicitum, eſſet diſpoſitio poſitiva ad primum auxilium ſupernaturale: ergo non eſt. Hanc veritatem ſtatuit ex ill Joann. 6. *Nemo poteſt venire a me, niſi Pater qui miſsit me, traxeri eum.* Nunc Divus Thomas: *Si autem homo ſe ipſum præparare poſſet non oporteret quod ab alio traheretur ergo homo non poteſt ſe ad gratiam præparare abſque auxilio gratiæ.*

5 Prob. 1. concl. ratione ipſius: Diſpoſitio poſitiva, tam remota, quàm proxima, ad forman ſupernaturalem, debet eſſe ſupernaturalis; ſed opus bonum naturale morale, ſolis viribus natura elicitum, non eſt ſupernaturale ergo. Prob. mai. Effectus exigen cauſas ſupernaturales, eſt ſupernaturalis; ſed talis diſpoſitio poſitiva ad formam ſupernaturalem, exigit cauſas ſupernaturales ergo Mai. patet: Nam ſupernaturale eſt ſupra exigentiam naturalis. Prob. min. Exigit cauſan finalem, & ſufficientem ſupernaturalem: ergo. Prob. ant. quoad 1. part. Finis, ſeu cauſa finalis proxima diſpoſitionis, eſt forma, ad quam diſponit; ſed talis diſpoſitio poſitiva diſponit ad forman ſupernaturalem: ergo. Prob. quoad 2. part. Cauſa efficiens propter finem ſupernaturalem, eſt ſupernaturalis; ſed exigit cauſam efficientem propter finem ſupernaturalem; nempè Deum, vt authorem ſupernaturalem: ergo. Min. conſtat: Nam principium,

& finis actionis, ſive effectus, debent convenire: *Cum ſecundum ordinem agentium, ſive moventium, ſit ordo finium*, vt ait Ang. Magiſter art. cit.

6 Illuſtratur ex S. Doctore: Finis, & principium effectus debent proportionari quoad ordinem; ſed finis proximus, & vltimus diſpoſitionis poſitivæ, tam remotæ, quàm proximæ ad formam ſupernaturalem, & ad primum auxilium ſupernaturale, eſt ſupernaturalis: ergo eius principium eſt ſupernaturale; & conſequenter etiam diſpoſitio ex eis proveniens. Maiorem explicat Ang. Mag. Nam cum agens agat propter finem, neceſſe eſt quod omnis cauſa efficiens convertat ſuos effectus ad ſuum finem: ideòque ſecundum ordinem agentium eſt ordo finium. Minor conſtat ex dictis. Conſ. patet ex Divo Thoma ita concludente: *Neceſſe eſt quod ad vltimum finem convertatur homo per motionem primi moventis; ad finem autem proximum per motionem alicuius inferiorum moventium: Sic igitur cum Deus ſit primum movens ſimpliciter, ex eius motione eſt, quod omnia in ipſum convertantur ſecundum communem intentionem boni: ſed homines iuſtos convertit ad ſe ipſum, ſicut ad ſpecialem finem, quem intendunt, & cui cupiunt adhærere ſicut bono proprio, ſecundum illud Pſal.* Mihi adhærere Deo bonum eſt: *Et ideò quod homo convertatur ad Deum, hoc non poteſt eſſe, niſi Deo ipſum convertente. Hoc autem eſt præparare ſe ad gratiam, quaſi ad Deum converti: Vnde patet, quod homo non poteſt ſe præparare ad lumen gratiæ ſuſcipiendum, niſi per auxilium gratuitum Dei interius moventis.*

7 Dices: Quod anima recipiens gratiam, finalizatur, cum formalizetur à gratia, ſicque reſpicit Deum, vt authorem ſupernaturalem, vt finem; ſed principium efficiens animæ non eſt Deus, vt author ſupernaturalis, ſed vt naturalis: ergo propterea principium talis diſpoſitionis non debet eſſe ſupernaturale. Contra: Licèt anima formalicetur à gratia, non finalizatur ab illa: ergo. Prob. ant. Anima formalizatur à gratia, ratione ſuæ non repugnantiæ, & potentiæ obedientialis receptivæ ipſius: non ratione potentiæ poſitivæ inclinantis, & exigentis illam; ſed quod finalizatur ab aliquo, ratione potentiæ poſitivæ inclinãtis reſpicit illud: ergo. Mai. patet. Minor conſtat, cum finalizatum cauſetur à fine; & procedat in finem.

8 Dices: Anima formalizatur poſitivè à gratia: ergo & finalizatur. Reſp. nego cõſ. Ratio eſt, quia anima recipit gratiam, vt formam, à qua ſubiectum poſitivè formalizatur. Non tamen exi-

git poſitivè illam, quod requirebatur, vt ab ea finalizaretur. Inſtabis: Anima propterea formalizatur, & non finalizatur à gratia: ergo ſimiliter diſpoſitio. Probatur conſ. Sicut hæc diſponit ad gratiam, ita illa recipit eam; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Nam diſpoſitio poſitiva dicit exigentiam formæ; non verò ſubiectum receptivum, cum forma eſt excedens, & ſupernaturalis, quia præcisè dicit non repugnantiam ad illam.

5 Prob. 2. concl. ratione: Diſpoſitio poſitiva, tam remota, quā proxima, exigit formam, ad quam diſponit; ſed opus bonum naturale morale, ſolis viribus naturæ elicitum, non poteſt exigere primum auxilium ſupernaturale: ergo. Mai. eſt certa: cum in tali exigentia diſtinguatur à diſpoſitione negativa. Minor eſt nota, cum ſupernaturale ſit ſupra exigentiam naturalis. Reſpondebis, quod propterea tale opus naturale non eſt diſpoſitio poſitiva exigens auxilium ſupernaturale, ſed exacta ab illo, ſaltim titulo decētiæ, & congruitatis. Cont. Diſpoſitio poſitiva nedum eſt exacta à forma, verum & exigit formam; ſed tale opus naturale non exigit primum auxilium ſupernaturale: ergo. Mai. conſtat in diſpoſitionibus poſitivis naturalibus. Et ratio eſt, quia eſt præparatio ad formam; in qua potior eſt exigenti formæ, quàm exigi à forma.

10 Confirmatur: Primum auxilium ſupernaturale nec exigentia phiſica, nec moralis exigi opus bonum naturale morale i ſubiecto ipſum recipiente: erg nectiquam exigit illud, nec e diſpoſitio poſitiva exapta. Prob antec. quoad 1. part. Si exigenti phiſica exigeret illud, non poſſe ſine miraculo recipi in anima tali opere bono naturali moral non diſpoſita; ſed poteſt: ergo Mai. patet, nam eſt miraculum fieri aliquid, præter modum connaturalem, & phiſicè exactum M. n. eſt certa. Prob. quoad 2. partem. Talis exigentia moralis fun daretur in aliqua lege; ſed nec i ſacra ſcriptura, nec alibi eſt le de tali opere bono naturali morali eliciendo pro diſpoſitione a primum auxilium ſupernaturale ergo. Hæc conſtant ex illo Iſaia 65. v. 1. *Invenerunt qui non quæſierunt me.* Et B. Paulus ad Rom. 10 v. 20. ait: *Iſaias autem audet, & dicit: Inventus ſum à non quærentibus me.* Et Div. Thomas lect. 3. *Ex gratia eius, qui eis voluit apparere.*

11 Dices: Quod cum anima per tale auxilium operetur liberè, præexigitur actus naturalis moralis præcedens, quo liberè velit operari tali auxilio, ſi ei à Deo conferatur: alioquin eo præſtito,

ope-

operaretur neceſſariò. Cont. Deus ex nolentibus facit volentes: ergo non præexigitur actus bonus naturalis moralis, vt aliquis medio auxilio liberè operetur, ſanctè cogitet, & velit. Antecedens docetur à SS. PP. & fundatur in illo M. P. Auguſtini: Quod Deus magis habet in poteſtate ſua voluntates hominum, quàm ipſi ſuas. Vnde, vt anima tali auxilio operetur liberè, non requiritur, quod antea velit liberè operari, ſed quod eo ſuſcepto, procedat liberè, & in linea cauſæ ſecundæ ſe determinet, & operetur, quia vult.

12 Arg. 1. ex Divo Thoma in 1. diſt. 41. quæſt. 1. art. 3. aſſerente: *Reſpectu primi effectus, ſcilicet gratiæ, habet rationem magis liberalitatis, quàm iuſtitiæ, quia gratia datur gratis, & non redditur meritis: Vnde ex parte recipientis non eſt aſsignare cauſam, quare dignus ſit gratia, ſed ſolum diſpoſitionem quamdam*; ſed hæc diſpoſitio poſitiva eſt naturalis, & non ſupernaturalis, cum non ſit ex gratia, ſed ante primã gratiam: ergo. Reſp. admitto, & explico auth. in qua Ang. Doctor non loquitur de primo auxilio ſupernaturali, nam cum iſtud nõ ſit forma perfecta, ſed vialis, non indiget diſpoſitione, quam aſsignat. Loquitur enim de gratia habituali, ad quam exigitur diſpoſitio poſitiva, quæ eſt ſupernaturalis, elicita medio auxilio, ſive gratia auxiliãte. Quod patet ex contextis. Nam S. Doctor aſsignat differentiam inter gratiam, & gloriam in eo: quod gloria habet cauſam in ſui executione, nempè merita, ſicque confertur ex iuſtitia. Gratia autem datur ex liberalitate, quia non ſupponit talem cauſam, ſed in anima quamdam diſpoſitionem.

13 Cont. Ang. Magiſter loquitur de primo auxilio ſupernaturali, & non de gratia habituali: ergo. Prob. ant. Loquitur de primo effectu prædeſtinationis; ſed hic non eſt gratia habitualis, ſed tale auxilium: ergo. Reſpond. diſt. mai. De primo effectu abſolutè, nego mai. Principali & per modum naturæ, conc. maior. & diſt. min. Hic abſolutè, conc. min. Principalis, & per modum naturæ, nego min. & conſ. Primus effectus abſolutè prædeſtinationis eſt, qui in executione prius fit. Primus principalis, elicitus, & per modum naturæ eſt: qui principaliùs fit, & ad quem reliqui effectus ordinantur, cum ſe habeat vt natura, & forma, ad quam cœteri præcedunt vt diſpoſitiones. Et licèt Divus Thomas loquatur de primo effectu principali, & elicito prædeſtinationis; non verò de primo abſolutè. Cumque primum auxilium ſit primus effectus abſolutè; & gratia habitualis primus

mus principalis, & elicitus, ſe habens vt forma, & in linea ſupernaturali per modum naturæ, ad quam cœteri effectus præcedētes diſponunt: ideò loquitur de gratia habituali, & non de primo auxilio.

14 Cont. Loquitur de primo effectu abſolutè prędeſtinationis: ergo. Prob. antec. Medio primo effectu abſolutè prædeſtinationis fit converſio animæ ad Deum; ſed iuxta Divum Thomam, ad talem converſionem non præcedit diſpoſitio ſupernaturalis, ſed ſufficit naturalis: ergo. Mai. patet, cum fiat medio tali auxilio. Prob. min. Sufficit liberum arbitrium: ergo. Prob. ant. ex Ang. Præceptore in 2. diſt. 5. quæſt. 2. art. 1 vbi relata opinione aſſerentium: Ad converſionem meritoriam requiri gratiam gratum facientem, & gratis datam, ait: *Aliter eſt, quod ad eliciendum actum converſionis ſufficit liberum arbitrium, quo ſe ad habendam gratiam per hunc actum præparat, & diſponit.* Et diſt. 23. quæſt. 1. art. 2. dicit: *Alijs conſentiendo dicimus, quod ad gratiam gratum facientem habendam, ex ſolo libero arbitrio ſe homo poteſt præparare, faciendo ergo quod eſt in ſe, gratiam à Deo conſequitur*: ergo.

15 Reſp. Admitto, & explico auth. Divi Thomæ, cuius ſenſus eſt: quod ad primā converſionem non prærequiritur gratia habitualis, ſed ſufficit actualis; nemp auxilium, quo, ſive actu elicit medio illo, diſponitur anima a gratiam habitualem ſanctificar tem, qua poſtea operatur ſupernaturaliter. Conſtat ex fine intento nam S. Doctor procedit contr ſtatuentes duplicem gratiam ha bitualem. Vnam gratis datam Aliam gratum facientem. Illam vt anima ſe ea diſponat ad iſtam Hanc, vt ſanctificetur. Et ſtatuen vnicam, negat aliam: quia grati pro prima converſione, & tal diſpoſitione non eſt habitualis nec permanens, ſed actualis, & tranſiens; quæ eſt auxilium flui dum, ſive gratia ſub conceptu au xiliantis. Cum autem inquit, ſuf ficere liberum arbitrium; non ex cludit gratiam actualem, ſed ha bitualē, quia media gratia actua li diſponit animam ad illam.

16 Hoc patet in D. Thom 1. 2. quæſ. 109. art. 6. ita affante *Duplex eſt præparatio voluntatis hu manæ ad bonum. Vna quidem, qu præparatur ad bene operandum, & a Deo fruendum: Et talis præparati voluntatis non poteſt fieri ſine hab tuali gratiæ dono, quod ſit princi pium operis meritorij. Alio modo pe teſt intelligi præparatio voluntat humanæ ad conſequendum ipſum gra tiæ habitualis donum. Ad hoc au tem quod præparet ſe homo ad ſuſcep tionem huius doni, non oportet præ ſupponere aliquod aliud donum hab*

*tuale in anima: quia ſic procederetur in infinitum: ſed oportet præſupponi aliquod auxilium gratuitum Dei, interius animam moventis, ſive inſpirantis bonum propoſitum.* Et cum arg. 4. objiciat ſibi illud Prov. 16. *Hominis eſt præparare animum*; ſed illud dicitur eſſe hominis, quod per ſe ipſum poteſt: ergo videtur quod homo per ſe ipſum ſe poſſit ad gratiam præparare. Reſpondet: *Quod hominis eſt præparare animum: quia hoc facit per liberum arbitrium. Sed tamen hoc non facit ſine auxilio Dei moventis, & ad ſe trahentis.*

17 Arg. 2. Non eſt impoſſibile homini, ſe ipſum ad gratiam præparare per ſe ipſum: ergo. Probatur ant. Homini nihil imponitur à Deo impoſſibile; ſed imponitur ei à Deo talis præparatio: ergo. Prob. min. ex illo Zachar. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*: ergo. Reſp. admitto, & explico ſac. Textum cum D. Thoma art. 6. cit. ad 1. aſſerente: *Converſio hominis ad Deum fit quidem per liberum arbitrium, & ſecundum hoc homini præcipitur, quod ſe ad Deum convertat. Sed liberum arbitrium ad Deum converti non poteſt, niſi Deo ipſum ad ſe convertente*: ſecundum illud Jerem. 33. *Converte me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus.* Et Thren. vlt. *Converte nos, Domine ad te, & convertemur.*

18 Cont. Homo per ſe ipſum præparatur ad gratiam, & convertitur ad Deum: ergo. Probatur ant. Homo faciens quod eſt in ſe, præparatur ad gratiam; ſed homo per ſe ipſum facit quod eſt in ſe: ergo. Mai. patet ex illo: *Facienti quod eſt in ſe Deus non denegat gratiam.* Et conſtat ex illo Matth. 7. *Deus dat ſpiritum bonum petentibus ſe.* Reſp. diſt. min. Per ſe ipſum vt motum à Deo, conc. minor. Non motum à Deo, nego minor. & ita diſt. conſ. Solutio patet ex Ang. Doct. ad 2. dicente: *Nihil homo poteſt facere, niſi à Deo moveatur: ſecundum illud Joann. 15. Sine me nihil poteſtis facere: & ideo cum dicitur hominem facere quod in ſe eſt, dicitur: hoc eſt in poteſtate hominis ſecundum quod eſt motus à Deo.*

19 Cont. Homo motus à Deo, faciens quod in ſe eſt, præparatur ad gratiam; ſed non vt motus motione gratiæ, ſed generali: ergo ita motus, ſolis viribus naturæ præparatur. Prob. min. Non requiritur, quod ſit motus à Deo motione gratiæ ad talem gratiam, qua moveatur: ergo nec ad aliam. Ant. eſt certum, aliunde daretur proceſſus in infinitū, cum requireretur alia gratia movens pro tali gratia. Prob. conſeq. Vtraque eſt gratia ſupernaturalis; ſed: ergo. Reſp. Nego conſeq. Ratio eſt: quia illa eſt prima gratia, actualis, vialis, & tranſiens, quæ non requirit diſpoſitionem.

Alia autem eſt gratia habitualis, permanens, & ſe habens vt forma, quæ diſpoſitionem requirit. Ita D. Thom. ad 3.

20 Arg 3. Opus bonum naturale morale, ſolis viribus naturæ elicitum, poteſt habere cauſalitatem diſpoſitivam in gratiam ſupernaturalem: ergo poteſt eſſe diſpoſitio poſitiva ad illam, & ad primum auxilium ſupernaturale. Prob. ant. Tale opus naturale poteſt habere cauſalitatem materialem in gratiam ſupernaturalem; ſed cauſalitas diſpoſitiva eſt materialis: ergo. Prob. mai. Ut habeat cauſalitatem materialem in gratiam ſupernaturalem, non eget gratia ſupernaturali elevante: ergo. Prob. ant. Anima rationalis recipiens gratiam ſupernaturalem, habet cauſalitatem materialem in illam; ſed ad talem cauſalitatem non eget forma ſupernaturali elevante: ergo. Min. conſtat, ſiquidem immediatè recipit primum auxilium ſupernaturale, quin præcedat alia forma ſupernaturalis.

21 Reſp. diſt. mai. Materialem diſpoſitivam, nego mai. Receptivam, conc. mai. & min. & ita diſt. conſ. Licèt cauſalitas materialis receptiva gratiæ ſupernaturalis non requirat formam elevantem ſupernaturalem; bene vero diſpoſitiva. Cumque cauſalitas animæ recipientis eam, ſit receptiva, & cauſalitas diſpoſi[tio]nis ſit diſpoſitiva: ideò illa requirit, ſed hæc, talem form[am] elevantem ſupernaturalem. Q[ua]re anima ſe ipſa recipit imme[dia]te gratiam ſupernaturalem; [non] tamen diſponitur ſe ipſa, [nec] opere bono naturali morali, [ut] illam recipiat, nec ad prim[um] auxilium ſupernaturale.

22 Cont. Cauſalitas mate[ria]lis receptiva gratiæ ſupernat[ura]lis non requirit formam ſuper[na]turalem elevantem in ſubie[cto]: ergo nec diſpoſitiva. Prob. c[onſ]. Utraque eſt reſpectu formæ [ſu]pernaturalis; ſed: ergo. Reſp. [ne]go conſ. Ratio eſt, quia cauſal[itas] receptiva convenit ratione [po]tentiæ obedientialis, & per [non] repugnantiam. Non ratione [po]tentiæ exigentis, & poſitivè in[cli]nantis, vt diſpoſitiva. Cum ig[itur] hæc, & non illa, repugnet nat[uræ] reſpectu formæ ſupernatura[lis,] quæ non excedit non repugn[an]tiam, ſed exigentiam natu[ræ:] ideò receptiva convenit natu[ræ] & animæ ex ſe, & ſine forma [ſu]pernaturali elevante; non ta[men] diſpoſitiva.

23 Cont. His non obſta[nti]bus, ſi cauſalitas receptiva [non] præexigit formam ſupernatu[ra]lem elevantem animam, nec [diſ]poſitiva præexigit illam: e[rgo]. Prob. ant. Quod non præex[igit] cauſalitas principalior, nec [p]

exigit minus principalis; ſed cauſalitas receptiva eſt principalior, quam diſpoſitiva: ergo. Min. patet, cum receptiva ſit cauſalitas principij remoti; quæ eſt principalior cauſalitate principij proximi, qualis eſt diſpoſitiva. Reſp. diſt. min. Reſpectu formæ vtriuſque proportionatæ, conc. minor. Proportionatæ cauſalitati diſpoſitivæ, & non receptivæ, nego minor. & conſ. Cum forma eſt proportionata ſubiecto, diſpoſitioni; & vtriuſque cauſalitati, receptiva eſt principalior, cum ſit cauſalitas principij remoti, & radicalis. Cum verò ſoli diſpoſitioni, & huius cauſalitati eſt proportionata, hæc eſt potior non requirens formam proportionantem, ſicut illa. Cumque gratia ſupernaturalis ſit proportionata diſpoſitioni ſupernaturali, & huius cauſalitati, non tamen naturæ, ſive animæ vt ſubiecto, nec cauſalitati receptivæ illius: ideò diſpoſitiva eſt principalior; & requirit formam elevantē; nō verò receptiva.

24 Cont. Eoipſo, quod concurrat primum auxilium, vt elevans, & proportionans animam, vt recipiat gratiam habitualem, præexigitur diſpoſitio ad tale auxilium; ſed hæc eſt naturalis: ergo. Min patet: Cum nihil ſupernaturale præcedat tale auxilium. Prob. mai. ex Ang. Doct. 1. part. quæſt. 12. art. 5. aſſerente: *Omne quod elevatur ad aliquid, quod excedit ſuam naturam, oportet quod diſponatur aliqua diſpoſitione*: ergo. Reſp. admitto, & explico author. in q. 12 loquitur D. Thomas de elevatione ad formam vltimam, completam, & perfectam, cum loquatur de elevatione intellectus creati medio lumine superno ad viſionem Dei beatificam. Non de elevatione ad vialem, & incompletam, vt eſt tale auxiliū. Vnde ad hoc non præexigitur diſpoſitio, ſed ad gratiam habitualem. Sicut non præexigitur virtus elevativa ad lumen beatificum, ſed ad viſionem beatam. Nec diſpoſitio requiſita, & à Divo Thoma aſſignata, eſt naturalis, ſed ſupernaturalis. Quare proſequitur: *Oportet quod diſponatur aliqua diſpoſitione, quæ ſit ſupra ſuam naturam*: *Vnde oportet, quod aliqua diſpoſitio ſupernaturalis ei ſuperaddatur ad hoc quod elevetur in tantam ſublimitatem.*

25 Cont. Iuxta hanc doctrinam, licet diſpoſitio poſitiva proxima ad gratiam ſupernaturalem non poſſit eſſe naturalis, poteſt remota: ergo. Prob. ant. Potentia activa remota viſionis beatæ, & talis actionis ſupernaturalis, eſt naturalis, licèt virtus proxima ſit ſupernaturalis: ergo. Antec. patet: Cum ſit intellectus, qui elevatur à lumine. Prob. conſ. Sicut diſpoſitio debet proportiona-

ri cum forma, ita potentia activa cum actu; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia diſpoſitio poſitiva, etiam remota, ratione ſui exigit poſitivè formam, ad quam diſponit: quæ exigentia repugnat in re naturali reſpectu ſupernaturalis, quæ eſt ſupra omnem exigentiam naturæ. Potentia autem activa remota ratione ſui non exigit, nec producit effectum, nec elicit actum ſupernaturalem, ſed ratione virtutis proximæ. Supernaturalis, illam elevantis, quæ eſt tota ratio agendi, vt in caſu poſito eſt lumē: icquè poteſt eſſe naturalis.

26 Cont. Iuxta hæc, potentia remotè diſpoſitiva ad formam ſupernaturalem, eſt naturalis: ergo etiam diſpoſitio remota poteſt eſſe naturalis. Antec. patet paritate potentiæ activæ. Prob. conſ. Sicut præexigitur diſpoſitio ad formam, ita potentia diſpoſitiva; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia potentia remotè diſpoſitiva ad formam ſupernaturalem, ratione ſui non exigit illam: cum ratione ſui non efficiat diſpoſitionem, nec eliciat actum diſpoſitivum, niſi ratione virtutis ſupernaturalis ſuperadditæ: quia eſt remotè diſpoſitiva, vt remotè cauſativa diſpoſitionis, & remotè elicitiva actus ſupernaturalis diſponentis.

## ARTICULUS VI.

*QVOMODO INTELLI[illegible]tur axioma: Facienti quod in ſe Deus non denegat gratiam.*

1 HOC axioma ad[illegible] Divus Thomas quæſt. 109. art[illegible] arg. 2. & quæſt. 112. art 3. [illegible] Rom. 10. lect. 3. Eius intellig[illegible] eſt ſub lite. Nam aliqui cum Molina in Concordia diſ[illegible] explicant illud de faciente [illegible] eſt in ſe ſolis viribus naturæ quia opus naturæ ſit mot[illegible] dandi gratiam, ſed quia [illegible] Patrem Æternum, & Chr[illegible] Filium eius, eſt pactum c[illegible] rendi illam ex ſe rectè oper[illegible] Theologi autem cum Aug.[illegible] communiter exponunt ipſu[illegible] faciente quod poteſt ex vi[illegible] gratiæ.

2 Concluſio: Tale ax[illegible] intelligitur de faciente, qu[illegible] in ſe, non ſolis viribus na[illegible] ſed etiam adiutorio gratiæ. [illegible] ſtat ſatis ex Sac. Conc. cit.[illegible] & 5. & Arauſicanum Can.[illegible] *Si quis dixerit, ſine gratia De[illegible] dentibus, volentibus, deſideran[illegible] conantibus, laborantibus, vi[illegible]tibus, ſtudentibus, petentibus, [illegible]rentibus, pulſantibus nobis m[illegible]cordiam Dei conferri, non*

*divinitus vt credamus, velimus, vel hæc omnia vt oportet agere valeamus per infuſionem Spiritus in nobis fieri confitetur, reſiſtit Apoſtolo.* Ex quibus formatur diſcurſus: Sac. Concilium enumerat præcipuos actus, quos homo ſolis viribus naturæ poteſt elicere; ſed damnat aſſerere: Sic operantibus miſericordiam, ſive gratiam Dei infallibiliter conferri: ergo declarat, non ita conferri; & docet: Conferri facienti etiam quod eſt in ſe ex adiutorio gratiæ; de quo tale axioma intelligitur.

3 Reſpondebis: Negare operibus naturalibus cauſalitatem reſpectu collationis gratiæ; non tamen infallibilem collationem ſine cauſalitate. Cont. Sacrum Concilium non memorat cauſalitatem, damnans ſtatuentes infallibilem collationem gratiæ pro operibus bonis naturalibus, ſine gratiæ adiutorio elicitis: ergo. Præterea: Concilium damnat prædictos, quia ſtatuentes infallibilem collationem gratiæ, pro bonis operibus naturalibus, in eis elicitis ex ſolis viribus naturæ adſtruebant aliquid conducens ad vitam æternam; ſed hoc eveniret, ſi illis foret infallibiliter annexa collatio gratiæ, ſine tali cauſalitate: nam eis ita conſequerentur gratiam, quæ conſecutio conducit ad gloriam: ergo.

4 Prob. concluſ. ex Ang. Mag. qui ſup. Rom. 10. *Nunquid non audierunt, mira referens, & loquens poſtea de enutritis in ſilvis, ait: Si qui tamen eorum feciſſent quod in ſe eſt, Dominus eis ſecundum ſuam miſericordiam providiſſet, mittendo eis prædicatorem fidei, ſicut Petrum Cornelio Act. 10. & Paulum Macedonibus, vt habetur Act. 16. Sed tamen hoc ipſum quod aliqui faciunt quod in ſe eſt convertendo ſe, ſcilicet ad Deum, ex Deo eſt movente corda ipſorum ad bonum*: ergo. Et 1. 2. quæſt. 112. art. 3. ſtatuit hanc veritatem; & in ſed cont. eam ſic fundat, dicens: *Homo comparatur ad Deum ſicut lutum ad figulum*; ſed lutum non ex neceſsitate accipit formam à figulo, quantumcumque ſit præparatum: ergo neque homo recipit ex neceſsitate gratiam à Deo, quantumcumque ſe præparet. Maiorem oſtendit ex illo Jer. 18. *Sicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea.*

5 Dices: Hoc æquè probare de faciente quod eſt in ſe viribus gratiæ, ac de faciente ſolis viribus naturæ. Pro reſponſione audite S. Doctorem in corp. aſſerentem: *Præparatio hominis ad gratiam eſt à Deo ſicut à movente, à libero autem arbitrio ſicut à moto. Poteſt igitur præparatio dupliciter conſiderari. Vno quidem modo ſecundum quod eſt à libero arbitrio, & ſecundum hoc nullam neceſsitatem habet*

*ad gratiæ conſecutionem: quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ. Alio modo poteſt conſiderari ſecundum quod eſt à Deo movente, & tunc habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis: quia intentio Dei deficere non poteſt, ſecund. quod Aug. dicit in lib. Prædeſt. Sanctorum:* Quod per beneficia Dei certiſſimè liberantur quicumque liberantur. *Vnde ſi ex intentione Dei moventis eſt, quod homo cuius cor movet, gratiam conſequatur, infallibiliter ipſam conſequitur, ſecund. illud Joan. 6.* Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.

6 Prob conclus. ratione: Lex de infallibili collatione gratiæ facienti quod eſt in ſe, debet nobis conſtare ex Sac. Scriptura, Sac. Concilijs, aut SS. PP. ſed ex his nobis non conſtat, quod conferatur facienti quod eſt in ſe ex ſolis viribus naturæ, ſed ex adiutorio gratiæ: ergo. Mai. patet: Nam cum dependeat ex libera voluntate Dei, debet ita innoteſcere. Prob. min. Non conſtat ex illo Joan 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* Nec ex illo 1. Tim. 2. *Vult omnes homines ſalvos fieri*; ſed in his locis inſinuaretur; vt tenet P. Molina: ergo. Prob. mai. quoad 1 part. ex M. P. Auguſt. lib. 2. cont duas Epiſt. Pelagian. cap 3. aſſerente: *Datur hæc poteſtas, vt filij Dei fiant, qui credunt in eum, cum hoc ipſum datur vt credant in eum, quæ poteſtas niſi detur, nulla eſſe poteſt ex libero arbitrio.* Hoc patet ex contextu: Non enim dicit: quod omnibus datur hæc poteſtas; ſed: *His, qui credunt in eum, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*: ergo antequam hæc fiant ex voluntate, & gratia Dei, non habent talem poteſtatem: Sicque talis Lex non conſtat ex tali loco, modo prædicto.

7 Prob. quoad 2. Talis voluntas ſalvandi omnes eſt communis facienti quod poteſt, & non facienti; ſed talis lex non eſt communis non facienti; vt Pat. Molina fatetur: ergo. Præterea: Iuxta ipſum prædicta lex fundatur in meritis Chriſti; ſed talis voluntas vniverſalis antecedit merita Chriſti, vt communiter tenent omnes: ergo. In Sac. Concilijs autem nullum eſt teſtimonium pro tali lege ſic intelligenda. Imò ſunt plura contra eam, & pro intelligentia ex adiutorio gratiæ: vt videri poteſt apud Thomiſtas, & apud plures Jeſuitas, & præcipuè P. Suar. Vazq. & Granadum. SS. PP. ſunt quoque pro hac, & non pro illa intelligentia: vt viſum eſt ex D Aug. & D. Thoma.

8 Arg. 1. Facienti quod eſt in

ſe ex ſolis viribus naturæ Deus ſtatim confert gratiam : ergo tale axioma intelligitur de illo. Prob.ant.ex illo Joan.1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Ex quo ſic formo diſcurſum: Hęc collatio poteſtatis fit non iuſtis; ſed de non iuſtis ſolum poteſt intelligi, quod ſi faciant quantum eſt de ſe ex viribus naturæ, Deus præſtò adeſt, vt conferat illis auxilia, & gratiam, vt fiant iuſti, & filij Dei : ergo Mai.patet : Cum fiat omnibus hominibus. Min. conſtat : Cum ex ſe non poſsint facere aliud Reſp.diſt.maior. Non iuſtis, iam ornatis aliquo auxilio gratuito,conc.mai. Eo non ornatis, nego mai & diſt.min. Si hoc auxilium non foret, conc minor. Cum ſit,nego min.& conſ. Intelligentia huius loci eſt tradita à M.P.S. Aug licèt enim hæc poteſtas detur non iuſtis, vt fiant iuſti, & filij Dei media gratia iuſtificante, & ſanctificante; non tamen illis procedentibus ex ſolis viribus naturæ, ſed etiam auxilio ſupernaturali gratuito ornatis, quo credant, & faciant quod poſsint. Cum igitur hoc ſit, conferre gratiam facienti quod eſt in ſe, non ſolis viribus naturæ, ſed ex adiutorio gratiæ : ideò tale axioma non illo modo, ſed hoc intelligitur.

9 Cont. Collatio talis poteſtatis fit non ornatis auxilio ſupernaturali gratuito: ergo. Prob. ant. Fit etiam non credentibus; ſed non credentes non ſunt ornati tali auxilio : ergo. Mai. patet: Cum fiat omnibus exiſtentibus in ſtatu ſalutis, in quo tales etiam exiſtunt.Min.conſtat : Nam tale auxilium eſt ad credendum Reſp. diſt.maior. Fit per oblationem, conc.mai. Per collationem, nego mai.& diſt.min.Auxilio recepto, conc.min. Oblato, nego min. & conſ. Dare enim poteſt ſumi pro offerre,& conferre Licèt namque Deus non credentibus non conferat auxilia ad credendum : cum ipſi non recipiant illa; ea tamen eis offert : Sicque ea dat, vt dare idem eſt,ac offerre; non vt idem, ac conferre. Similiter ergo dat eis, ſive offert talem poteſtatem. Quod ſufficit, vt ſint in ſtatu ſalutis,& poſsint ſalvari, atque verificetur, quod Deus vult omnes homines ſalvos fieri. Enim verò non cōfert eis talem poteſtatem, ſed credentibus medio auxilio ſupernaturali recepto: quibus ſolis facientibus quod eſt in ſe medio tali auxilio, confert gratiam.

10 Cont. Deus confert talem poteſtatem non credentibus, & facientibus quod eſt in ſe ex ſolis viribus naturæ : ergo. Prob ant. Deus confert tale auxilium non credentibus, facientibus quod eſt in ſe ex ſolis viribus naturæ : er-

go. Prob. ant. Deus omnibus offert tale auxilium; ſed non ſtat offerre illud omnibus, & non conferre ipſum facientibus quod eſt in ſe ex ſolis viribus naturæ: ergo. Prob. min. Quod Deus offert omnibus, confert ſingulis, niſi obſit culpa alicuius; ſed in facientibus quod eſt in ſe ex viribus naturæ, culpa non obeſt, cum non adſit: ergo. Reſp. diſt. mai. Culpa perſonalis, vel originalis, conc. mai. Perſonalis ſola, nego mai. & diſt. min. Perſonalis, conc. min. Originalis, nego min. & conſ. Culpa enim originalis eſt ſufficiens, vt Deus auxilia oblata omnibus, non conferat aliquibus: nam & alijs ex miſericordia confert. Cumque hæc ſaltim adſit in facientibus quod eſt in ſe ex ſolis viribus naturæ: ideò poſſet non conferre illis auxilia oblata.

11 Cont. Deus omnibus confert auxilia, quæ offert, niſi obſit culpa perſonalis, vel originalis; ſed poteſt eſſe homo faciens quod eſt in ſe ex ſolis naturæ viribus, in quo nec obſit culpa perſonalis, nec originalis: ergo. Prob. min. Poteſt eſſe homo, cui Deus dimittat culpam originalem, & nullam committens perſonalem, faciat quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus: ergo. Reſp. diſting. conſ. Ut conferat ex vi legis non denegandi gratiam ſufficientem, niſi in pœnam peccati, conc. conſ. Conferendi gratiam facienti quod eſt in ſe, nego conſ. Deus etenim elevans homines ad finem, & ordinem ſupernaturalem, conſtituit conferre eis gratiam ſufficientem, ſive auxilia ſufficientia ad ſalutem, niſi præcedat, & obſit peccatum alicuius. Quare in tali caſu, ex vi huius legis conferret prædicto homini auxilia oblata; non verò ex vi legis non denegandi gratiam facienti quod eſt in ſe: quia hæc eſt de faciete quod eſt in ſe etiam ex viribus gratiæ, & non ſolius naturæ. Unde hæc ſolum facienti non ſemper confert auxilia, quæ offert; & cum confert, non eſt quia facit, ſed ratione alterius legis.

12 Cont. Deus homini prædicto non peccanti confert gratiam ſufficientem ex vi talis legis; ſed ideò non etiam confert illam ex vi huius legis. Reſp. diſt. min. Ideò per accidens, conc. min. Per ſe, nego min. & conſeq. Quod enim faciens quod eſt in ſe ex ſolis viribus naturæ, non peccet, eſt per accidens tantum: nam licèt id faceret, ſi non obſervaret præceptum ſupernaturale occurrens, peccaret. Gratia autem confertur infallibiliter, & per ſe ex vi talis legis, quia non peccat; & non peccanti, ſive non apponenti obſtaculum, eſt promiſſa. Unde collata eſ-

eſſet ex vi huius legis,& nō illius.

13 Arg. 2. ex D. Thoma 3. cont. Gent. cap.159 ita affirmante: *Licèt aliquis per motum liberi arbitrij divinam gratiam nec promereri, nec acquirere poſsit: poteſt tamen ſe ipſum impedire ne eam recipiat: Et cum hoc ſit in poteſtate liberi arbitrij impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire; non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptionem. Deus enim quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare. Vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire: vt dicitur 1. ad Tim. 2. Sed illi ſoli gratia privantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant.* Hæc Divus Thomas. Sed faciens quod in ſe eſt ex viribus naturæ, non apponit impedimentum: ergo Deus non denegabit ei, ſed infallibiliter tribuet gratiam.

14 Reſp. diſt. min. Si obſervet omnia præcepta naturalia,& ſupernaturalia, conc. min. Si non, nego min. & conſeq. Receptioni ſiquidem gratiæ non ſolum eſt impedimentum, non facere quemlibet quod poteſt ex naturæ viribus, verùm & non implere omnia præcepta naturalia, & ſupernaturalia inſtantia. Cumque ſolum faciens quod in ſe eſt ex ſolis viribus naturæ, non obſervaret præcepta ſupernaturalia, nec omnia naturalia: nam ad obſervanda aliqua, ſive omnia naturalia, requiritur quoque gratia: idcò apponeret impedimentum receptioni gratiæ, eique denegaretur. Hæc enim eſt intelligentia D. Thomæ. Quod ſufficit, vt imputetur ei ad culpam non adimpletio, & non converſio ad Deum: aliunde ſequerentur inconvenientia, quæ loc. cit. prævenit Ang. Magiſter.

15 Cont. Homo faciens quod eſt in ſe ex ſolis viribus naturæ, poteſt non apponere vllum impedimentum: ergo. Prob. antec. Iuxta Ang. Doct. eſt in poteſtate talis hominis apponere, & non apponere impedimentum: ergo. Reſp. diſt. ant. In poteſtate auxilio gratiæ adiuta, conc. ant. Non adiuta, nego ant. & conſ. Licèt apponere impedimentum gratiæ ſit in ſola poteſtate liberi arbitrij: cum ex ſe poſsit non facere, quod poteſt ex naturæ viribus: quod obeſt receptioni gratiæ. Veruntamen non apponere impedimentum, non eſt in ſola illa, ſed in ea auxilio gratiæ adiuta: cum requiratur hoc pro obſervantia prædicta, cuius omiſsio foret impedimentum. Nec propterea excuſaretur à culpa. Vnde D. Thomas cap. ſeq. ait: *Quamvis autem illi, qui in peccato ſunt, vitare non poſsint per propriam poteſtatem, quin impedimentum gratiæ præſtent, vel ponant, niſi auxilio gra-*

tiæ

*tiæ præveniantur: nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur.*

16 Cont. In poteſtate hominis, auxilio gratiæ non adiuta, eſt etiam non apponere impedimentum gratiæ: ergo. Prob. ant. Homo non habens peccatum, nec gratiam faciens quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, non apponit impedimentum gratiæ; ſed poteſt eſſe talis homo, quin eius poteſtas eſſet adiuta auxilio gratiæ: ergo. Reſp. diſt. min. Homo in puris naturalibus conſtitutus, conc. min. Ad finem ſupernaturalem elevatus, nego min. & ſimiliter diſt. conſ. Homo vtique in puris naturalibus conſtitutus, faciens quod in ſe eſt ex viribus naturæ, non apponeret impedimentum receptioni gratiæ: cum non committeret peccatum, eo quod, ſine culpa, auxilio gratiæ careret, eique non inſtaret obſervantia præceptorum gratiam requirens. Ipſi verò Deus non conferret infallibiliter gratiam, ſed pro ſuo libito: quia nec eſt debita, nec promiſſa illi. Elevatus autem ad finem ſupernum, aut eſt in peccato, aut in gratia; cum inter hæc non ſit medium in tali ſtatu; & in eius poteſtate, auxilio gratiæ non adiuta, non eſt apponere impedimentum receptioni gratiæ: quia non appoſitio requirit obſervantiam præceptorum ſupernaturalium, & omnium naturalium, quam nequit exe[...] ſine gratiæ auxilio. Cumque [...]ciens ſolum quod in ſe eſt ex vi[...]bus naturæ, non exequatur tal[...] obſervantiam: ideò apponet i[...]pedimentum, & gratiam non [...]cipiet.

17 Cont. Homo elevatus [...] finem ſupernum poteſt, ſine au[...]lio gratiæ, conſequi infallibili[...] auxilia gratiæ, ſi faciat quod [...] ſe eſt ex viribus naturæ: er[...] & ipſam gratiam. Prob. ant. H[...]mo elevatus ad finem ſupernu[...] & in ſilvis enutritus, ſequens d[...]ctum rationis in fuga mali, [...] proſecutione boni, conſequ[...] infallibiliter auxilia gratiæ; [...] talis ſequetur ita ductum, & vſu[...] rationis, ex ſolis naturæ virib[...] ergo. Prob. min. Sequetur ductu[...] rationis, ſine auxilio gratiæ: erg[...] Prob. ant. ex D. Thoma, qui que[...] 14. de Verit art. 11. docet: qu[...] Deus tali homini tribueret inf[...]libiliter auxilia ſufficientia gr[...]tiæ: ergo. Conſ. patet: Alioqu[...] auxilium præcederet collatione[...] auxiliorum. Reſp. admitto, & e[...]plico dictum S. Doctoris. Cui[...] ſenſus eſt: quod tribueret reliq[...] gratiæ auxilia; quæ ſupponere[...] in tali homine primum auxiliun[...] quo ſequens ductum rationi[...] omnia peccata vitaret. Vn[...] ipſi tali auxilio ornato, & [...]

facienti quod eſt in ſe, tribueret talia auxilia,& ipſam gratiam.

18 Cont. Deus tali homini, ita ſequenti ex ſolis naturæ viribus ductum rationis, tribueret infallibiliter primum auxilium gratiæ: ergo. Prob ant. Homini ſe præparanti ad fidem tribuit Deus infallibiliter auxilium gratiæ; ſed talis homo ex ſolis naturæ viribus ſe præpararet ad fidem; ergo. Mai.eſt certa: Cum ipſa præparatio ad fidem, ſit ad gratiam. Prob.min.ex D.Thoma in 4 diſt.17. quæſt.1.art 2 quæſtiunc.4. aſſerente: *Recta intentio ad finem vltimum determinate perducens non poteſt eſſe ſine fide, ſed tamen finis vltimus, ſcilicet Deus, poteſt eſſe in intentione eius, etiam qui fidem non habet, per generalem, vel naturalem cognitionem, quam de Deo habet. Vnde etiam ille, qui fidem non habet, poteſt ſe ad fidem habendam præparare, & ad gratiam, ſi ſecundum ſuam cogitationem peccatum ſibi diſpliceat, & in Deum affectus eius feratur*; ſed ante fidem ſunt ſolæ vires naturales, cum gratia fidei ſit prima: ergo.

19 Reſp.admitto, & explico author. In qua Sanct.Doct.loquitur de præparatione ad fidem habitualem, & vt proprietatem ſecutam ad gratiam iuſtificanten; ad quam præcedit actualis, ſive auxilium fidei, & gratiæ, quo præparetur: Et præparatur ſine fide habituali; non ſine auxiliante, quæ eſt illuſtratio fidei, quæ eſt prima gratia. Hæc autem inclinat ad credendum generaliter aliquid de Deo, & ſpecialiter, quia eſt, & remunerator eſt. Quæ ſufficit pro tali præparatione, & eſt cognitio ſupernaturalis, cum auxilio ſupernaturali fiat. Appellatur tamen naturalis a D. Thoma; non quia fiat ſolis naturæ viribus, ſed quia non elicitur à natura ſupernaturali, ſed ab ipſa natura medio auxilio tranſeunte gratiæ. Idem intelligendum eſt de diſplicentia peccati.

20 Arg.3. Facienti quod eſt in ſe, ex ſolis naturæ viribus, confertur infallibiliter gratia: ergo. Prob.ant. ex illo Rom.5.v 1. *Iuſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum.* Vbi dicit Gloſſa: *Deus recipit eum, qui ad ſe confugit, aliter eſſet in eo iniquitas*; ſed faciens quod eſt in ſe ex ſolis viribus naturæ, confugit ad Deum: ergo. Reſp.admitto, & explico auth. cum Ang.Doct. quæſt 112. art.3. ad 1. dicente: *Loquitur de illo, qui confugit ad Deum per actum meritorium liberi arbitrij iam per gratiam informati: quem ſi non reciperet, eſſet contra iuſtitiam, quam ipſe ſtatuit. Vel ſi referatur ad motū liberi arbitrij ante gratiam, loquitur ſecundum quod ipſum confugium hominis ad Deum eſt per motionem diuinam, quam iuſtum eſt non deficere.*

21 Cont. Confugienti ad Deum per motum liberi arbitrij non informati gratia, Deus confert infallibiliter gratiam: ergo. Prob. antec. Non confugienti ad Deum per motum ſolius liberi arbitrij, Deus infallibiliter denegat gratiam: ergo. Ant. patet ex D. Aug. lib. de caſu Diaboli, dicente: *Iſta eſt cauſa quare Deus non concedit Diabolo gratiam, quia ipſe non voluit accipere, nec paratus fuit.* Prob. conſ. Remota cauſa, neceſſe eſt removeri effectum; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Rationem reddit Div. Thomas ad 2. aſſerens: *Quod defectus gratiæ prima cauſa eſt ex nobis: ſed collationis gratiæ prima cauſa eſt à Deo: Secundum illud Oſeæ 13. Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.*

22 Cont. Licèt Deus ſit prima cauſa collationis gratiæ, eam neceſſario confert ita facienti quod eſt in ſe, & ſe præparanti ad illam: ergo. Prob. ant. Etiam Deus eſt prima cauſa collationis formæ naturalis; ſed eam neceſſario confert materiæ diſpoſitæ, & præparatæ ad illam: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia cum talis forma ſit naturalis, ſolum requirit diſpoſitionem viribus naturæ factam; qua ſuppoſita, exigitur à materia, cui Deus neceſſario naturaliter eam confert. Gratia autem, cum ſit ſupernaturalis, non exigitur ſic à natura, ſed requirit in ea diſpoſitionem ſupernaturalem, & e[x] gratiæ auxilio factam. Ita Div. Thomas ad 3. dicens: *Etiam i[n] rebus naturalibus diſpoſitio materi[æ] non ex neceſſitate conſequitur formam, niſi per virtutem agentis, qu[æ] diſpoſitionem cauſat.*

23 Replica his ſolutionibu[s] communis eſt: Deum non denegare, ſed concedere gratiam facienti quod eſt in ſe ex ſolis viribus naturæ, eſſet gratia; ſed gratia poteſt concedi ex gratia: erg[o] ita conceditur. Prob. mai. Grati[a] aliqua, conc. mai. Specialis, neg[o] mai. & diſt. min. Si foret grati[a] ſpecialis, conc. min. Aliqua, nego min. & conſ. Licèt enim tali[s] lex foret aliqua gratia; non eſſe[t] ſpecialis, ſed omnibus communis. Vnde collatio gratiæ alicui, no[n] foret gratia ſpecialis: Cum procederet ex lege, & gratia omnibus communi.

24 Cont. Lex de conferend[a] gratia non apponentibus impedimentum gratiæ, ſive facientibus quod eſt in ſe ex viribu[s] gratiæ, eſt communis omnibu[s] ita procedentibus; ſed talis le[x] eſt gratia ſpecialis, ſicut & ipſ[a] collatio gratiæ: ergo ſimilite[r] eſſet illa. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia hæc lex non eſt ita communis omnibus: nam requiſitum pro illa non poteſt apponi ſoli[s] naturæ viribus, ſicut apponeretu[r]

requiſitum pro alia: Cum ſolum poſsit apponi ex adiutorio gratię, ex qua quis habet non apponere obſtaculum gratiæ, & facere quod eſt in ſe ex gratiæ viribus. Quare, quod vnus, & non alius hoc faciat, eſt gratia ſpecialis, cum ſit ex gratia. Non verò illud, cum non eſſet ex gratia, ſed ex ſolis viribus naturæ.

## ARTICVLVS VII.

### *VTRVM CHRISTVS DOminus fuerit cauſa meritoria noſtræ Prædeſtinationis quoad omnes effectus illius.*

1 NOTO: Quod prædeſtinatio poteſt ſumi activè, ex parte cauſæ, & præordinationis divinæ. Et terminativè, ex parte effectus, & rei præordinatæ. Primo modo non cadit ſub merito, nec habet cauſam, nec aliam rationem, niſi bonitatem divinam. Conſtat ex dictis art. 1. num. 1. & ex Divo Thoma art. 8. & ad Epheſ. 1. lect. 1. Secundo modo poteſt cadere ſub merito: Cum effectus prædeſtinationis ſit quid creatum: quod cadit ſub merito.

2 Concluſio: Chriſtus Dominus meruit omnibus ſuam prędeſtinationem, quoad omnes effectus illius. Eſt communis cum Ang. Doct. loc. cit. & 3. p. quæſt. 24. art. 4. Licèt aliqui negaverint cum Subtili Scoto. Conſtat ex illo Epheſ. 1. v. 3. *Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Nunc D. Thomas lect. 1. *Non noſtris meritis, ſed ex gratia Chriſti.* Et Apoſt. v. 5. proſequitur: *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum.* Quare ad Roman. 1. ſcribit: *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute.* B. Thomas lect. 3. *Prædeſtinatio Chriſti, qua eſt prædeſtinatus vt ſit Filius Dei per naturam, eſt menſura vitæ: & ita prædeſtinationis noſtræ, qui prædeſtinamur in filiationem adoptivam, quæ eſt quædam participatio, & imago naturalis filiationis.*

3 Hic ſenſus eſt communis SS. & Gloſſarum. Unde S. Ambroſ. ad Epheſ. 1. ait: *Omne donum gratiæ Dei in Chriſto eſt & ſi quis ſpreto Chriſto benedici à Deo putat, errare ſe ſciat.* Cum igitur donum, & benedictio prædeſtinationis ſit præcipuum, erit in Chriſto, quia eſt cauſa meritoria illius. Hinc ſup. illud Joan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis.* Sac. Conc. Trident. Seſſ. 6. cap. 16. aſſerit: *Ipſe Chriſtus Jeſus tanquam Caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipſos* in-

*iuſtificatos iugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera ſemper anteceāit, & commitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſunt*, ſed omnis effectus prædeſtinationis, vt talis, eſt Deo gratus: ergo eſt ita ex Chriſto Domino, vt ex cauſa meritoria.

4 Reſpondebis: Quod Apoſtolus loquitur de Chriſto, vt Deo. Vt cum dicit ad Coloſ. 1. v.16. *In ipſo condita ſunt vniverſa.* Et Joan. 1. v.3. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Et non de ipſo, vt homine. Quod requirebatur, vt eſſet cauſa meritoria prædeſtinationis hominum. Cont. Apoſtolus loquitur de Chriſto, vt mediatore inter Deum, & homines; ſed eſt mediator vt Homo Deus: ergo loquitur de ipſo, vt Homine Deo. Mai. patet ex illo: *Per Jeſum Chriſtum.* Nunc D. Thomas: *Hoc eſt tertium, quod tangitur in iſto beneficio, ſcilicet mediator alliciens.* Quod eſt ſimul minorem, confirmat ex illo ad Galat 4. v 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, &c.*

5 Ad allegata dicimus: Quod S. Joannes loquitur de conditione phiſica rerum, quæ facta eſt in Verbo, in quo omnia ita condita ſunt; vt ait Apoſtolus, & exponit D. Thomas lect.4. Vbi illud Gen.1. *In principio creavit, &c.* exponit ſic: *In Filio.* Præterea Apoſtolus etiam loquitur de conditione morali ex nihilo noſtrorum meritorum; quæ facta eſt in Chriſto, ſive per Chriſtum, vt mediatorem, qui eſt Deus, & Homo Quare Apoſt. proſequitur: *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ.* D. Thomas: *Ratione influentiæ.* Et cum D. Paulus addit: *Qui eſt principium.* Ang. Doctor ſuperaddit: *Non ſolum eſt in gratia ſecundum quod homo, ſed & omnes ſunt iuſtificati per fidem Chriſti. Item eſt principium quantum ad ſtatum gloriæ.* Propterea Iſa.53 v.10. dicitur de illo: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longevum.* Et Pſal 2. v.8. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.*

6 Prob. 1 concluſ. ratione ex his deducta: Omnes effectus prædeſtinationis comprehenduntur ſub gratia, & gloria; ſed Chriſtus Dominus meruit omnibus gratiam, & gloriam: ergo. Min. patet ex allegatis. Et ſuadetur ſic: Caput meretur membris, & principium meretur illis ea, quorum eſt principium; ſed Chriſtus Dominus eſt Caput miſticum reſpectu hominum, & principium quo ad gratiam, & gloriam: ergo.

7 Illuſtratur: Merita Chriſti Domini erant digna noſtra prædeſtinatione quoad omnes eius effectus: ergo meruit illam quoad omnes. Prob. ant. Merita infiniti valoris ſunt digna omni

præmio, præcipuè finito; ſed merita Chriſti erant infiniti valoris, & prædeſtinatio noſtra quo ad omnes effectus eſt præmium finitum: ergo. Præmiſſæ ſunt certæ. Conſ. patet. Et quia hoc cedit in maiorem gloriam Dei, ita præclarè manifeſtantis in Chriſto attributum iuſtitiæ, remunerando ſic eius merita; & reſpectu hominum attributum miſericordiæ ſub tutela ſui Redemptoris, ex charitate proviſi ad ſublevandam eorum miſeriam. Cedit quoque in maiorem Chriſti gloriam: quia ſic eſt maior efficacia ſuorum meritorum, & prædeſtinati ſunt conſtituti ei magis debitores. Et in maiorem gloriam hominum, qui eam accipiunt à Chriſto Domino, vt Capite ſuo.

8 Prob. 2. concluſ. Merens decretum intentivum, & executivum prædeſtinationis hominum, meruit eam quoad omnes effectus illius; ſed Chriſtus Dominus meruit decretum intentivum, & executivum prædeſtinationis hominum: ergo. Mai. eſt certa: Siquidem omnes ſub his decretis continentur. Prob. min. quoad 1. part. Chriſtus Dominus fuit præviſus merens hominibus, ante decretum intentivum prædeſtinationis hominum; ſed eo ipſo meruit tale decretum intentivum: ergo. Min. eſt manifeſta: Nam cum merita Chriſti ſint valoris infiniti, cadit ſub eis quidquid ſupponit præviſionem illorum. Prob. mai. Chriſtus fuit præintentus ante decretum intentivum prædeſtinationis hominum; ſed Chriſtus, vt talis, eſt merens hominibus: ergo. Probat. mai. Finis eſt præintentus eis, quorum eſt finis; ſed Chriſtus eſt finis prædeſtinationis, & electionis hominum: ergo. Min. conſtat ex dictis: Et propterea dicitur caput; principium, & primogenitus reſpectu hominum: & iuxta D. Thomam ad Coloſ. 1. ideo eſt: *Primus in gratia, & primus in gloria.* Ex quo patet ſecunda pars minoris: Nam merens decretum intentivum, eadem, & potiori ratione meretur executivum, quod ſubſequitur illud.

9 Dices: Quod Chriſtus Dominus ſolum meruit, vt conſtitutus in carne paſsibili. Et cum prout in carne paſsibili non ſit finis prædeſtinationis hominum: ideò non fuit præintentus, nec præviſus, vt merens, ad decretum intentivum prædeſtinationis illorum. Cont. Chriſtus Dominus, vt Redemptor, eſt finis prædeſtinationis hominum; ſed eſt Redemptor, vt conſtitutus in carne paſsibili, & vt ſic eſt præintentus, præviſus, & decretus: ergo & vt merens illam. Maior. patet: Quia nullus eſt prædeſti-

natus, niſi qui ſalvus fiat: & nemo ſalvus fiet, niſi per Redemptionem Chriſti Domini; iuxta illud Act. 4. v. 12. *Nec enim alìud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Et Apoc. 5. v. 9. *Dignus eſt Domine: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo.* Et ad Rom. 5. v. 18. *Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.* Hinc ad Rom. 10. v. 4. dicitur: *Finis enim legis, Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti.* Min. eſt certa: Cuius doctrina fundatur in ſententia Divi Thomæ 3 p. quæſt. 1. art. 3. Nam Chriſtus Dominus non eſt prædeſtinatus, niſi vt Redemptor, ita, quod non exiſtente peccato, ſive Adamo non peccante, ex vi præſentis decreti non veniſſet.

10 Illuſtratur: Omnis gratia, vt effectus prædeſtinationis, & vt ordinabilis efficaciter ad gloriam, pendet à Chriſto vt Redemptore, & Salvatore: ergo ipſa, & omnis effectus prædeſtinationis, prout ſic, ſupponit Chriſtum prędeſtinatum, vt Redemptorem, & Salvatorem, atque vt in carne paſsibili conſtitutum, & vt cauſam meritoriam. Probat. ant. Eſt effectus prędeſtinationis, & ordinabilis ad gloriam, vt reſpiciens ſalutem hominis; ſed ſuppoſito peccato, non poteſt reſpicere ſalutem hominis, niſi dependenter à Chriſto, vt Redemptore, & Salvatore: ergo. Hæc autem non ſolum probant de prædeſtinatione abſoluta aliquorum ſed etiam de comparativa vnius præ alio; quam Chriſtus Dominus meruit. Conſtat ex illo Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Div. Aug. lib. de Correct. & Grat. cap 7. *Ad obtinendum regnum ſuum* Ubi *nos* deſignat perſonas determinatas. *In ipſo,* Chriſtum modo expreſſo. *Elegit ante mundi conſtitutionem*, prædeſtinationem comparativam: cum electio ſit vnius præ alio.

11 Inquires: Vtrum prædeſtinatio poſsit iuvari precibus Sanctorum? Reſpondet Angel. Doct. art. 8. Quod poteſt iuvari eis quoad effectum. Refert errorem aſſerentium: quod cum divina prædeſtinatio ſit certiſsima, ſuperfluæ ſunt orationes, & quidquid fiat, pro ſalute æterna conſequenda: quia his factis, vel non factis, prædeſtinati conſequentur illam, & reprobi non. Eum autem rejicit ex eo, quod in Sac. Scriptura ſunt multæ admonitiones, & exhortationes ad orationem, & alia bona opera pro illa. Refert quoque errorem Ægiptiorum dicentium: Per orationem mutari prædeſtinationem divinam: nam ordinatio divina,

quam

quam fatum appellabant, aliquibus ſacrificijs, & orationibus impedibilis adſtruebatur ab eis. Hunc enervat ex illo 1. Reg. 15. v.29. *Porrò Triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo eſt vt agat pœnitentiam.*

12 Nunc ſtatuit hanc veritatem, ita proſequens: *In prædeſtinatione duo ſunt conſideranda, ſcilicet, ipſa præordinatio divina, & effectus eius. Quantum igitur ad principium, nullo modo prædeſtinatio iuvatur precibus Sanctorum. Non enim precibus Sanctorum fit quod aliquis prædeſtinetur à Deo. Quantum verò ad ſecundum dicitur prædeſtinatio iuvari precibus Sanctorum, & alijs bonis operibus: quia providentia (cuius prædeſtinatio eſt pars) non ſubtrahit cauſas ſecundas: ſed ſic providet effectus, vt etiam ordo cauſarum ſecundarum ſubiaceat providentiæ. Sicut igitur ſic providentur naturales effectus, vt etiam cauſæ naturales ad illos naturales effectus ordinentur, ſine quibus illi effectus non provenirent, ita prædeſtinatur à Deo ſalus alicuius, vt etiam ſub ordine prædeſtinationis cadat quidquid hominem promovet in ſalutem, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid huiuſmodi, ſine quibus aliquis ſalutem non conſequitur. Vnde prædeſtinatis conandum eſt ad bene operandum, & orandum: quia per huiuſmodi prædeſtinationis effectus certitudinaliter impletur. Propter quod dicitur 2. Pet. 1.* Satagite vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.

13 Arg. 1. Decretum intentivum prædeſtinationis hominum non cadit ſub merito: ergo Chriſtus Dominus non meruit eorum prædeſtinationem quoad decretum intentivum, nec omnes effectus illius. Prob. ant. Gratuitum, & liberale non cadit ſub merito; ſed decretum intentivum prædeſtinationis hominum eſt gratuitum, & liberale: ergo. Mai. eſt certa: Nam quod cadit ſub merito, fit debitum ex iuſtitia. Min. conſtat. art. 1. & ex illo Rom. 9. v. 13. *Vt oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Reſp. diſt. min. Reſpectu hominum, conc. min. Chriſti, nego min. & conſ. Ratio eſt: Quia in hominibus non eſt ſufficiens meritum pro illo, ſicut in Chriſto Domino. Hic enim eſt ſenſus reſolutionis prædictæ, & Sacri loci allegati.

14 Cont. Decretum intentivum prædeſtinationis hominum eſt gratuitum, & liberale reſpectu Chriſti: ergo. Prob. ant. Si non eſſet gratuitum, & liberale reſpectu Chriſti, prædeſtinati plus deberent Chriſto, quam Deo; ſed non debent plus: ergo. Prob. mai. Deus non prædeſtinaſſet,

niſi eos, quibus Chriſtus voluit applicare ſua merita: ergo Reſp. diſt.ant. Voluit voluntate orta à Deo, conc.ant. Non orta à Deo, nego ant. & conſeq. Licet enim Deus non prædeſtinaverit, niſi eos, quibus Chriſtus applicuit ſua merita; prædeſtinati non debent plus Chriſto, quam Deo prædeſtinanti: quia talis voluntas, & applicatio Chriſti Domini eſt orta ex voluntate libera Dei, ex qua, vt radice, provenit: & fructus non minus, ſed plus, debet radici, quam reliquo arboris.

15 Arg. 2. Datur effectus prædeſtinationis hominum, quem non meruit Chriſtus Dominus: ergo Prob.ant. Applicatio baptiſmi hominibus, eſt effectus prædeſtinationis eorum; ſed Chriſtus Dominus non meruit illam: ergo. Probat.min. Chriſtus non meruit, quod fit ex gratia, ſed quod ex iuſtitia; ſed applicatio baptiſmi hominibus fit ex gratia, & non ex iuſtitia: ergo. Probat. min. ex D. Thoma 3 part. quæſt. 19. art. 4. ad 3. aſſerente: *Sicut peccatum Adæ non derivatur ad alios, niſi per carnalem generationem: ita meritum Chriſti non derivatur ad alios, niſi per generationem ſpiritualem, quæ fit in baptiſmo, per quam homines Chriſto incorporantur*: *Secund illud ad Galat.* 3. Omnes quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. *Et hoc ipſum eſt gratiæ, quod homini conceditur regenerari in Chriſto: Et ſic ſalus hominis eſt ex gratia*: ergo. Reſp. admitto, & explico author. ex dictis: Eſt enim gratia reſpectu hominis, cui applicatur. Non reſpectu Chriſti, qui eam meruit. Si verò reſpectu Domini etiam ſit gratia, erit reſpectu ipſius, vt applicantis omnibus ſua merita quoad ſufficientiam, illa applicare aliquibus quoad efficaciam pro libertate à culpa; & alijs pro conſecutione gloriæ. Non tamen reſpectu eius, vt applicantis quoad efficaciam recipientibus baptiſmum. Vnde meruit hunc, & omnes effectus prædeſtinationis hominum.

16 Cont. Applicatio baptiſmi aliquibus quoad efficaciam, eſt gratia reſpectu Chriſti: ergo. Prob ant. ex Aug. Mag. queſt. 29. de verit. artic. 7 ad 4. dicente: *Meritum Chriſti quantum ad ſufficientiam æqualiter ſe habet ad omnes, non autem quantum ad efficaciam. Quod accidit partim ex libero arbitrio, partim ex divina electione, per quam quibuſdam miſericorditer effectus meritorum Chriſti confertur, quibuſdam verò iuſto iudicio ſubtrahitur*; ſed quod ex miſericordia confertur, etiam reſpectu Chriſti, prout ſic conſiderati, eſt gratia: ergo.

17 Reſp. admitto, & explico

au-

authorit. Conſiderando effectus meritorum Chriſti Domini formaliter in ſe ipſis; & radicaliter in ſua radice, & cauſa. Si conſiderentur primo modo, collatio eorum eſt actus miſericordiæ reſpectu hominum, & actus iuſtitię reſpectu Chriſti, qui eam meruit. Si ſecundo modo, etiam reſpectu Chriſti eſt actus miſericordiæ: nam actus voluntatis divinæ, quo movit voluntatem Chriſti, vt his, præ alijs, ſua merita applicaret, eſt principium gratuitum, & liberale illius. Vnde in hoc ſenſu, applicatio meritorum Chriſti fit ex gratia; vt ait Div. Thomas. Cui cohæret, quod Chriſtus Dominus applicationem eorum, & baptiſmi, omneſque effectus prædeſtinationis meruerit aliquibus: quia ad hoc ſufficit, quod ea in ſe, & formaliter ſumpta meruerit; & quod collatio eorum prout ſic fiat ex iuſtitia reſpectu Chriſti Domini.

18 Cont. Chriſtus Dominus nec in tali ſenſu meruit hominibus omnes effectus predeſtinationis: ergo. Prob.ant. Si hominibus meruiſſet omnes effectus prędeſtinationis, eis meruiſſet ipſam prædeſtinationem; ſed non meruit hominibus prędeſtinationem: ergo. Prob.minor. Si hominibus meruiſſet prædeſtinationem, eam meruiſſet omnibus hominibus; ſed non meruit eam omnibus: ergo. Mai.eſt certa: Cum meritum Chriſti, quia infinitum, ſufficiat pro omnibus. Min.conſtat: Siquidem non omnes ſunt prædeſtinati. Reſp.diſt.min. Quoad efficaciam, conc.min. Quoad ſufficientiam, nego minor. & conſeq.

19 Cont. Chriſtus Dominus nec ita meruit quoad efficaciam prædeſtinationem aliquibus hominibus: ergo. Prob.ant. Non meruit quoad efficaciā prædeſtinationem Angelorum: ergo. Antec.patet: Cum Chriſtus fuerit prędeſtinatus poſt decretum creationis Angelorum, & hominum, in remedium peccati Originalis, quod fuit in hominibus, & non in Angelis. Prob.conſ. Meritum Chriſti ſemper eſt infinitum; ſed: ergo. Reſp.nego conſ. Ratio eſt: Quia gratia meritorum Chriſti eſt redemptiva à captivitate peccati; ſub qua nec in re, nec in debito fuerunt Angeli prædeſtinati, ſicut homines. Angeli autem, qui poſtea peccaverunt, non erant capaces redemptionis: quia ex natura ſua inflexibiles, & exinde in malo obſtinati.

20 Cont. Licèt gratia Chriſti ita fuerit redemptiva, non meruit prędeſtinationem aliquorum hominum: ergo. Prob.ant. Non meruit omne meritum aliquorum hominum: ergo, Probat. ant. In antiquis SS.PP. fuit meri-

ritum de congruo Incarnationis Verbi divini; ſed non meruit tale meritum: ergo. Mai. docetur à D Thoma 3 part. quæſt. 2. art. 11. Prob min. Non meruit quod præceſsit Incarnationem Verbi divini; ſed tale meritum præceſſit illam: ergo. Reſp. diſt maior. Quod præceſsit in intentione, & executione, conc. mai. In executione ſolum, nego maior. & diſt. minor. Præceſsit in executione, conc. min. In intentione, nego min. & conſ. SS. PP. iuxta Div. Thomam meruerunt de congruo Incarnationem quoad executionem; non quoad intentionem. Et meritum eorum præceſsit in executione illam; non verò in intentione. Et cum hoc ſufficiat, vt eſſet effectus decreti intentivi Incarnationis, & Chriſtus Dominus, ſic præintentus vt finis, fuiſſet cauſa meritoria illius, & prædeſtinationis eorum, & aliorum: ideò fuit.

21 Arg. 3. Prædeſtinatio comparativa eſt electio vnius, præ alio; ſed Chriſtus Dominus non meruit electionem vnius hominis, præ alio: ergo. Prob. min. Chriſtus ſupponebat electionem vnius hominis, præ alio, factam à Deo: ergo. Prob. ant. ex illo Joan. 17 v. 6 *Tui erant, & mihi eos dediſti.* Et v 9. *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi: quia tui ſunt*; ſed erant Dei per electionem eorum ad gloriam; vt exponit Div. Thomas: ergo. Reſp. admitto, & explico Sac. Textum, dicendo, quod erant Dei per electionem æternam, factam ex meritis Chriſti præintenti ab æterno, & dati ipſis in tempore. Vel quod erant Dei per voluntatem divinam, qua movit ſpecialiter voluntatem humanam Chriſti, vt applicaret efficaciter ſua merita his, præ alijs.

22 Cont. Electio vnius, præ alio, fuit vnicè ex voluntate divina: ergo. Prob. antec. Fuit ſecundum propoſitum, & beneplacitum voluntatis divinæ; vt ait D. Paulus ad Epheſ. 1. ergo Reſp. admitto, & explico dictum Apoſtoli. Cuius ſenſus eſt: Quod fuit ſecundum propoſitum, & beneplacitum voluntatis divinæ, vt cauſę moventis ſpecialiter voluntatem humanam Chriſti, vt ita applicaret ſua merita.

23 Cont. Electio vnius, præ alio, non fuit à Chriſto Domino, vt applicante ſua merita vni, præ alio: ergo. Prob antec. Electio vnius, præ alio, eſt dilectio vnius, præ alio; ſed dilectio vnius, præ alio, non fuit à Chriſto Domino, vt applicante ſua merita vni, prę alio: ergo. Prob. min. Si dilectio vnius, præ alio, eſſet à Chriſto Domino, vt applicante ſua merita vni præ alio, non dilectio al-

terius etiam eſſet ita ab illo; ſed non fuit: ergo. Min. eſt certa: Siquidem non meruit talem non dilectionem, ſive non electionem, nec reprobationem alterius Prob. mai. Mereri dilectionem vnius, præ alio, eſt mereri dilectionem vnius, & mereri non dilectionem alterius: ergo. Prob.ant. Diligere vnum, præ alio, eſt diligere vnum, & non diligere alium: ergo. Prob.conſeq. Sic comparatur meritum dilectionis merito non dilectionis, ſicut dilectio non dilectioni; ſed: ergo.

24 Reſp.diſt.min. Et poſitivè non diligere, nego min. Negativè, ſeu præciſivè, conc.min. & ſimiliter diſt.conſeq. Dilectio enim comparativa, & ſimiliter electio vnius, præ alio, dicit poſitivè dilectionem vnius; & negativè, ſeu præciſivè non dilectionem alterius: quatenus diligit vnum, quin diligat alium, quem potuit diligere. Non tamen importat poſitivè, nec eodem modo non dilectionem alterius. Et ſimiliter diſcurrendum eſt de tali merito. Cumque Chriſtus Dominus meruerit ſic dilectionem vnius, præ alio: ideò meruit dilectionem, electionem, & prædeſtinationē comparativā vnius, quin ita meruiſſet non dilectionem, non electionem, nec reprobationem alterius, ſed negativè ſe habuit, & præciſivè ab illa. Nam reſpectus electionis ad electum eſt poſitivus; & ad non electum, ſive derelictum, negativus. Similiter reſpectus meriti: quod eſt de poſitivo, & electo; non de negativo, & derelicto.

25 Cont. Dilectio comparativa eſt diligere poſitivè vnum, & poſitivè non diligere alium: ergo. Prob.ant. Eſt diligere poſitivè vnum: ergo etiam eſt poſitivè non diligere alium Prob.conſ. Dilectio comparativa importat dilectionem vnius, & non dilectionem alterius; ſed: ergo. Reſp. diſt.mai. Importat in recto, nego mai. In recto dilectionem, & in oblico non dilectionem, conc. mai. & min. & nego conſ. Dilectio enim comparativa importat in recto dilectionem vnius; & ſolum in oblico non dilectionem alterius: nam ex eo, quod ſit dilectio vnius, præ alio, ſequitur, quod non ſit dilectio alterius: aliunde eſſet vtriuſque, & non vnius præ alio, nec comparativa. Cumque ſolum dicat poſitivè quod importat in recto, & Chriſtus Dominus hoc ſolum ita mereatur: ideò talis dilectio eſt poſitivè dilectio vnius, quin poſitivè ſit non dilectio alterius: Sicque Chriſtus meruit dilectionem, quin meruerit non dilectionem.

26 Cont. Licèt dilectio comparativa importet in oblico non dilectionem alterius, dicit poſiti-

vè illam, & Chriſtus Dominus merens dilectionem, meruit non dilectionem: ergo. Prob. antec. Decretum divinum importat in oblico obiectum illius; ſed dicit poſitivè illud,& Chriſtus merens decretum,meretur obiectum eius: ergo. Reſp.nego conſ. Ratio eſt: Quia obiectum eſt effectus decreti. Non dilectio autem non eſt effectus, ſed extremum oppoſitum dilectioni. Cum igitur decretum dicat poſitivè ſuum effectum, & merens cauſam, mereatur effectum eius; non tamen extremum oppoſitum: ideò decretum dicit ita poſitivè ſuum obiectum, & Chriſtus meruit illud. Dilectio verò non dicit ſic non dilectionem,quam nec Chriſtus ita meretur.

27 Cont. Licèt non dilectio ſit extremum oppoſitum,dilectio comparativa importat poſitivè illam, & Chriſtus Dominus merens decretum talis dilectionis, meretur etiam non dilectionem: ergo. Prob.ant. Quodlibet importat poſitivè ſuum diſtinctivum ab alio; ſed dilectio comparativa,& decretum illius, diſtinguitur ab abſoluta, eiuſque decreto, per non dilectionem alterius: ergo.Min.patet: Nam conveniunt in ratione dilectionis: & comparativa differt ab abſoluta, quia illa eſt vnius,præ alio. Reſp.diſt. mai. Diſtinctivum extrinſecum, nego mai.Intrinſecum,conc.mai. & diſt.min. Diſtinguitur extrinſecè, conc.min. Intrinſecè, nego min.& conſ.Quodlibet enim importat poſitivè ſuum diſtinctivum intrinſecum; non verò extrinſecum. Cumque non dilectio ſolum ſit diſtinctivum extrinſecum dilectionis comparativæ ab abſoluta, & decreti illius: nam intrinſecum eſt prædicatum poſitivum talis dilectionis, fundans negativum non dilectionis; & rectum dicens tale connotatum: ideò non importat poſitivè non dilectionem,nec Chriſtus meruit illam, nec reprobationem negativam aliorum. Imò nec poſitivam: nam dilectio, electio, & prædeſtinatio comparativa prædeſtinatorum præſcindit ab vtraque.

28 Arg 4. Prædeſtinatio non poteſt impediri operibus Sanctorum: ergo nec iuvari precibus eorum. Prob.conſ. Eiuſdem eſt iuvari, & impediri; ſed: ergo. Reſp.diſt.mai. Eiuſdem incapacis, nego mai. Capacis,conc.mai. & min. & nego conſeq. Cont. In prædeſtinatione non eſt capacitas, vt impediatur: ergo nec vt iuvetur. Reſp.nego conſ. Rationem aſsignat Ang.Mag. artic.8. ad 3. dicens: *Secundæ cauſæ non poſſunt egredi ordinem cauſæ primæ vniverſalis, ſed ipſum exequuntur. Et ideo prædeſtinatio per creaturas*

po-

*poteſt adiuvari, ſed non impediri.*

29 Cont. Propter eundem ordinem Dei, quem creaturæ exequuntur, non eſt capacitas, vt prædeſtinatio iuvetur precibus Sanctorum: ergo. Probat. antec. Æternum non poteſt iuvari precibus Sanctorum; ſed ex ordine Dei prædeſtinatio eſt æterna: ergo. Mai. eſt certa: Cum non poſsit iuvari aliquo temporali. Reſp. diſt. min. Sumpta activè, & pro actu Dei, conc. min. Terminativè, & quoad effectum, nego min & ſimiliter diſt. conſeq. Ita Div. Thomas ad 1. dicens: *Ratio illa oſtendit, quod prædeſtinatio non iuvatur precibus Sanctorum quantum ad ipſam præordinationem.*

30 Cont. Prædeſtinatio nec quoad effectum iuvatur precibus Sanctorum: ergo. Prob antec. ex illo Iſaiæ 40. v 13. *Quis adiuvit ſpiritum Domini? Aut quis conſiliarius eius fuit?* Ergo. Reſp. admitto, & explico Sac. Textum de adiutorio circa actum Dei, & ſubiectivè accepto; non terminativè ſumpto, executivè, & quo ad effectum.

31 Cont. Actus Dei, nec quo ad effectum iuvatur precibus Sãctorum: ergo. Prob. ant. Actus Dei, nec ita iuvatur conſilio Sanctorum: ergo. Prob. conſ. Sicut conſilium eſt propter defectum cognitionis, ita adiutorium propter defectum virtutis; ſed: ergo. Conſ. patet: Nam ſicut in actu Dei non eſt defectus cognitionis, ita nec virtutis. Reſp. diſt. mai. Adiutorium non indigentiæ, nego mai. Indigentiæ, conc. mai. & min. & nego conſ. Solutio eſt Divi Thomæ art. 2. aſſerentis: *Aliquis dicitur adiuvari per alium dupliciter. Vno modo in quantum ab eo accipit virtutem, & ſic adiuvari infirmi eſt. Vnde Deo non competit: & ſic intelligitur illud:* Quis adiuvit ſpiritum Domini? *Alio modo dicitur quis adiuvari per aliquem, per quem exequitur ſuam operationem, ſicut Dominus per miniſtrum. Et hoc modo Deus adiuvatur per nos, in quantum exequimur ſuam ordinationem, ſecundum illud 1. ad Cor. 3.* Dei enim adiutores ſumus. *Neque hoc eſt propter defectum divinæ virtutis, ſed quia vtitur cauſis medijs, vt ordinis pulchritudo ſervetur in rebus, & vt etiam creaturis dignitatem cauſalitatis communicet.*

## QUÆSTIO TERTIA.

### *DE EFFECTV PRÆDESTINATIONIS.*

CUM effectus cauſam ſequatur; poſt notitiam ipſius Prædeſtinationis, ſequitur notitia effectus illius.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*VTRVM SVBSTANTIA prædeſtinati ſit effectus prædeſtinationis.*

1 PRÆMITTO 1. Quod prędeſtinatio verè cauſat aliquos effectus. Eſt communis conſenſus cum Divo Thoma art. 1. & 2. & quæſt. 6. de Verit. art. 3. ait: *Prædeſtinationem eſſe certam rationem ſuæ cauſalitatis.* Unde Theologi referunt cum ipſo effectus prædeſtinationis, aſsignatos à B. Paulo ad Rom 8. aſſerente: *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, &c.* De quibus ſatis dictum eſt quęſt. 1. art. 1. Hoc autem oſtenditur ratione D. Thomæ: Deus verè eſt cauſa multorum effectuum conducentium ad finem prædeſtinationis; ſed eos cauſat per ipſam prędeſtinationem: ergo hæc verè cauſat illos. Mai. eſt certa: Nam verè eſt cauſa auxiliorum, gratiæ, & meritorum prædeſtinati, quibus conſequitur gloriam. Prob. min. Deus cauſat effectus prædeſtinationis per rationem eorum, quam habet in mente; ſed talis ratio eſt prædeſtinatio: ergo. Mai. patet: Nam agens per intellectum, vt Deus prædeſtinans, cauſat effectum per rationem illius, quam in mente habet: vt diximus q. 1. art. 1. Min. ibi conſtat ex Angel. Doctore.

2 Præterea: Deus ſua providentia eſt verè cauſa effectuum providentiæ; ſed prædeſtinatio eſt quædam pars providentiæ: ergo Deus prædeſtinatione eſt verè cauſa effectuum prædeſtinationis. Prædeſtinatio igitur non eſt præcisè vera cauſa moralis effectuum ſuorum; vt tenent aliqui cum Illuſt. Herrera, & Araujo; ſed etiam phiſica efficiens; vt fert commune placitum. Prob. ratione: Deus eſt vera cauſa efficiens phiſica effectuum prædeſtinationis; ſed illos cauſat per ipſam prædeſtinationem: ergo.

3 Reſpondebis: Quod per prædeſtinationem cauſat directivè, & ordinativè illos; quæ cauſalitas eſt moralis. Non executivè, nec effectivè phiſicè: cum hæc cauſalitas ſit potentiæ, & omnipotentiæ Dei. Cont. Non ſolum cauſalitas executiva eſt phiſica, & effectiva, ſed etiam cauſalitas directiva, & ordinativa cauſæ efficientis executivæ, ſive effectus, vt exequendi; ſed prædeſtinatio cauſat ita directivè, & ordinativè tales effectus: ergo erit cauſa efficiens phiſica, directiva, & ordinativa eorum, licèt non executiva. Mai. patet: Præcipue in noſtra Schola: cum ordinatio, & directio cauſæ efficientis concurrat ita efficienter

ad

ad effectus illius: & ideò prædeterminatio Dei dicitur cauſa efficiens phiſica noſtrorum actuum.

4 Præmitto 2. Quod actus, & effectus prædeſtinationis, vni ſunt ab illa eliciti, alij imperati. Eliciti ſunt: qui non fiunt ex alia providentia, ſed ex fine prædeſtinationis fiunt providentia prædeſtinativa, per quam habent exiſtentiam. Imperati, qui facti, & exiſtentes ex alia, ordinantur per prædeſtinationem ad vitam æternam, quæ eſt finis illius. Hoc patet in arte domificatoria: Cuius effectus eliciti ſunt parietes, & imperati ligna: quia illi fiunt ab ea; ligna autem ſupponuntur facta, & ordinantur ab ea in formam domus. Conſtat etiam in actu Martyrij, elicito à fortitudine, & imperato à Charitate.

5 Vt autem aliquid ſit effectus elicitus, aut imperatus prædeſtinationis, quatuor conditiones requiruntur. 1. Quod ſit bonum, & productum à Deo: quia hoc ſolum conducit ad conſequendam vitam æternam, quæ eſt finis prædeſtinationis; & ad ſolum cadit ſub providentia Dei, qualis eſt prædeſtinatio. 2. Quod aliquo modo pertineat ad providentiam ſupernaturalem: cum Deus hac, ſive prædeſtinatione, ordinet creaturam intellectualem ad finem ſupernaturalem. Propterea bona naturalia ſecundùm ſe inſpecta non ſunt effectus prædeſtinationis. 3. Quod cùm effectu conducat proximè, vel remotè ad conſecutionem vitæ æternæ: nam beneficium ita non conducens, etiam conceditur reprobis, in quibus propterea gratia, & dona non ſunt effectus prædeſtinationis, ſed providentiæ generalis ſupernaturalis. 4. Quod ſit à Deo ex intentione efficaci conferendi gloriam. Conſtat ex definitione prędeſtinationis. Ideò Incarnatio Verbi divini non eſt effectus noſtræ prædeſtinationis: quia licèt conducat ad illam, & ſit à Deo, non eſt ex intentione illius: imò noſtra prædeſtinatio eſt ex intentione eius.

6 Ex quibus reſultat: Quod providentia per prædeſtinationem attingit ſubiectum prædeſtinationis, & dona illi collata. Quare de efficientia horum eſt difficultas. In præſenti eſt triplex Sententia. Prima tenet: Quod ſubſtantia prædeſtinati, miraculosè producta, eſt effectus prædeſtinationis; non verò producta iuxta naturæ leges. Ita M. Bieſcas, & alij. Secunda tuetur: Nullam ſubſtantiam prædeſtinati fore effectum prædeſtinationis eius. Sic M. Albelda, Serra, Lezana, & Contenſon cum aliquibus Thomiſtis. Et M. Hernandez cum alijs Scotiſtis. Et P. Vazq. & Arrubal cum aliquibus Ieſui-

tis.

tis. Tertia propugnat: Omnem ſubſtantiam prædeſtinati eſſe effectum imperatum ſuæ prædeſtinationis. Hæc eſt communior. Quam defendunt ex Thomiſtis Illuſt. Godoy, Gonet, Ferre, Joan. à S. Thoma, Bañez, Nazar. Silva, PP. Salm. & alij. Et ex Jeſuitis P. Herrera, Munieſſa, Ramirez, & multi cum P. Suario.

7 Concluſio: Subſtantia prædeſtinati eſt effectus imperatus ſuæ prędeſtinationis. Conſtat ex illo Rom. 9. v. 12. *Vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret.* Nunc D. Aug. Epiſt. 105. *Secundum electionem, qua facit eligendos ipſe, non invenit.* Et D. Thomas lect. 2. *Hoc autem eſt propoſitum prædeſtinationis*: ergo electio, ſeu prædeſtinatio hominum ad gloriam, eos facit, & cauſat, quatenus producit illos, vt ad eam ordinet: quomodo ſubſtantia eorum eſt effectus imperatus ſuæ prædeſtinationis.

8 Dices: Quod cauſat illos in ordine gratiæ; non in ordine naturæ: quia prædeſtinatio non fit ex meritis, ſed præbet merita, & ſuo modo dicitur ex nihilo, & creatio; iuxta illud Pſal. 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Cont. Iuxta Apoſtolum, & M.P. Aug. electio nedum facit eligendos in ordine gratiæ, verum & in ordine naturæ: ergo ita ſunt effectus prædeſtinationis. Prob. ant. Ordinare ante gratiam aliquos, v habeant gratiam, & conſequantur gloriam, eſt facere eos, ne dum in ordine gratiæ, verum & in ordine naturæ; ſed Deus ſu electione prædeſtinativa, ant gratiam ordinat aliquos, vt ha beant gratiam, & conſequantu gloriam: ergo. Mai. eſt certa d efficientia imperativa, etſi no elicitiva: Cum hoc ſit, producto in eſſe naturali, ordinare ad finem ſupernaturalem. Prob. minor. e Aug. Præcept. loc. cit. ita profe quente: *Deus ſpontanea voluntat vnum alteri præelegit, non quia San ctus erat, ſed vt Sanctus eſſet*: er go.

9 Illuſtratur ex D. Thoma art. 8. Ordinabile, & conducen ad finem prædeſtinationis, eſ effectus imperatus illius; ſed ſubſtantia prædeſtinati eſt ordinabilis, & conducens ad finem ſuæ prædeſtinationis: ergo. Probat. min. ex S. Doctore aſſerente: *Dicitur Gen. 25. quod Iſaac rogavit Deum pro Rebecca vxore ſua, & dedit conceptum Rebeccæ. Ex illo autem conceptu natus eſt Jacob, qui prædeſtinatus fuit: Non autem fuiſſet impleta prædeſtinatio, ſi natus non fuiſſet: ergo prædeſtinatio iuvatur precibus Sanctorum.* Hæc Div. Thomas; ſed hoc adiutorium orationis fuit quoad effectum prædeſtinationis, quatenus media oratione conſecutum eſt ali-

quid

quid ordinabile, & conducens ad finem prædeſtinationis; nempe, ſubſtantia, & eſſe Jacob: ergo.

10 Reſpondebis: Sufficere, quod ſubſtantia Jacob ſit ſubiectum prædeſtinationis, vt hæc ſit adiuta precibus Iſaac, quibus Deus conceſsit conceptum Rebeccæ; ſine quo, & ſine ſubſtantia Jacob, vt ſubiecto, prædeſtinatus non eſſet. Non tamen requiritur, quod ita ſit effectus. Cont. Div. Thomas in corp. art. cit. ait: *Fore effectum prædeſtinationis omnia, ſine quibus aliquis ſalutem non conſequitur*; ſed Jacob, ſicut nec alius homo, non conſequeretur ſalutem, nec gloriam, ſine eius ſubſtantia: ergo non ſolum eſt ſubiectum, ſed etiam effectus imperatus prædeſtinationis. Unde in 1. Sent. diſt. 41. quæſt. 1. art. 4. aſſerit: *Cauſæ naturales iuvant prædeſtinationem, in quantum earum officio perficitur generatio, & ſuſtentatio electorum.* Et preveniens modum, ait: *Per modum diſpoſitionis, vel etiam naturali operatione.*

11 Probat. concluſ. ratione: Conducens ad predeſtinationem, & ordinabile in finem prædeſtinationis, eſt effectus ſaltim imperatus prædeſtinationis; ſed ſubſtantia prædeſtinati conducit ad ſuam prædeſtinationem, & eſt ordinabilis in gloriam, quæ eſt finis eius; ergo. Prob. min. Id, ſine quo non erit prædeſtinatio, & quod eſt cauſa efficiens actuum, quibus conſequenda eſt gloria, conducit ad prædeſtinationem, & eſt ordinabile ad gloriam; ſed ſine ſubſtantia prædeſtinati non erit prædeſtinatio eius, & illa eſt cauſa efficiens actuum, quibus ipſe conſecuturus eſt gloriam: ergo.

12 Illuſtratur: Quod ſit ex intentione gloriæ, eſt effectus ſaltim imperatus prædeſtinationis; ſed ſubſtantia prædeſtinati ſit ex intentione gloriæ ipſius: ergo. Min. patet: Nam omne ita conducens, & ordinabile in gloriam, ſit ex intentione gloriæ. Reſpondebis: Quod potuit fieri, ſed non fuit facta ex tali intentione: eo quod prædeſtinatio, cum ſit providentia ſupernaturalis, ſupponit naturalem, qua facta eſt ſubſtantia prædeſtinati: Et cum ſit ſpecialis, ſupponit providentiam generalem ſupernaturalem ordinantem ſufficienter omnes homines ad gloriam. Quare ſubſtantia prædeſtinati non eſt ordinata per prædeſtinationem, nec eſt effectus imperatus illius.

13 Cont. Licèt propterea ſubſtantia prædeſtinati non ſit effectus elicitus prædeſtinationis, eſt tamen effectus imperatus: ergo. Prob. antec. Licèt propterea prædeſtinatio non faciat ſubſtantiam prædeſtinati, iam factam

per prouidentiam naturalem; nec eam ordinet ordinatione communi, & ſufficiente in gloriam; cum ordinetur ſic per prouidentiam ſupernaturalem generalem: illam ordinat ſpecialiter, & efficaciter; ſed effectus, ſic ordinatus, eſt imperatus per prædeſtinationem: ergo. Probat. mai. Prædeſtinatio poteſt ita in gloriam ordinare omne conducens ad illam; ſed ſubſtantia prædeſtinati conducit ad illam: ergo.

14 Roboratur: Licèt auxilia ſufficientia ſint effectus elicitus prouidentiæ ſupernaturalis generalis, fiunt ex intentione gloriæ, quia conducunt, & ordinantur ad illam, & ſunt effectus imperatus prædeſtinationis: ergo licèt ſubſtantia prædeſtinati ſit effectus elicitus prouidentiæ naturalis, poterit fieri ex intentione gloriæ, quia conducit, & ordinatur ad illam, itaque erit effectus imperatus prædeſtinationis. Et ratio vtriuſque eſt: Quia licèt decreta prouidentiæ naturalis, & generalis ſupernaturalis, in vno genere cauſæ præcedant decretum prædeſtinationis, & ſimiliter eorum effectus; in genere cauſæ finalis, & in intentione prius eſt decretum prædeſtinationis, eiuſque effectus principalis, qui eſt gloria: Sicque Deus prædeſtinans ordinat ſubſtantiam prædeſtinati ad illam, ſicut & auxilia ſufficientia: ideoque eſt, & ſunt effectus imperatus prædeſtinationis.

15 Dices: Quod licèt non repugnet, ſubſtantiam prædeſtinati fieri ex fine, & intentione prædeſtinationis in prædeſtinatis miraculosè productis; repugnat in regulariter factis: Nam cum decretum prædeſtinatiuum fiat ex meritis Chriſti Domini, ſupponit decretum Incarnationis ipſius, vt Redemptoris; quod debet ſupponere præviſum peccatum originale, ab Adamo commiſſum, & ab alijs contrahactum. Quare ſupponit decretum creandi Adamum, & alios homines; quorum ſubſtantia nequit fieri ex intentione prædeſtinandi illos. Licèt poſsit ita fieri ſubſtantia prædeſtinati, qui per miraculum ex parentibus infœcundis, aut orationibus concurrentibus, conceptus eſt.

16 Propter hanc difficultatem M. Joan. à S. Thoma tenet: Subſtantiam Adami, & Evæ non fuiſſe ita effectum ſuæ prædeſtinationis: nam cum fuerint creati in ſtatu innocentiæ, decretum ſuæ productionis præintelligebatur ad decretum Incarnationis, quod ſupponebat peccatum originale prȩviſum. Et cum hoc decretum præcedat decretum prædeſtinatiuum eorum: ideò ſubſtantia illorum non fuit effectus

eius.

eius. Cuius fuit effectus ſubſtantia aliorum prædeſtinatorum,qui producti ſunt in ſtatu naturæ lapſæ,ad quem præſupponitur Chriſtus præintentus, & decretum prædeſtinationis,cuius fit effectus in peratus.

17 Veruntamen alij nec ſubſtantiam primorum Parentum excipiunt, inſiſtentes rationi, & roborationi:quia ſubſtantia prædicta omnium prædeſtinatorum conducit, & eſt ordinabilis in finem ſuæ prædeſtinationis, & decretum de illa,in ſuo genere,prçcedit decretum Incarnationis diuini Verbi; & hoc in genere cauſæ finalis præcedit illud, ſicut & prædeſtinativum. Et ratio eſt: quia Chriſtus Dominus eſt Caput omnium prædeſtinatorum; ad quem omnes ſunt ordinati, & propter quem ſunt prædeſtinati. Unde licèt Adamus ſit ita præviſus ante Incarnationem executivè acceptam; non verò ante illam intentivè conſideratam. Conſtat ex illo ad Heb.2. verſ.8. *In eo enim quod omnia ei ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum ei.* Et 1. Cor. 15. v. 27. *Sine dubio præter eum, qui ſubiecit ei omnia.* Quod Apoſtolus intelligit de Chriſto Domino, vt Redemptore. Quare ſubſtantia omnium aliorum ita ei ſubiecta eſt, & facta.

18 Præterea inſtatur: Voluntas mittendi Chriſtum, in ſuo genere intentionis præceſſit peccatum Adami: ergo. Prob. antec. Primum, quod Deus voluit, fuit Chriſtus cum gloria Redemptoris; ſed hæc voluntas præceſſit ita præviſionem peccati Adami: ergo Pro his videatur M. Ferre. Deinde: Lapſus Adami fuit permiſſus ex voluntate prædeſtinativa Adami: ergo ſupponebat voluntatem conferedi gloriam Adamo: & conſequenter voluntatem intentivam mittendi Chriſtum, vt Redemptorem à peccato. Ant. patet: Nam permiſsio peccati eſt effectus prædeſtinationis; vt dicemus art. 6. Conſ. eſt legitima quoad 2. part. Cum talis gloria conferenda eſſet per Chriſtum, vt Redemptorem.

19 Dices: Quod ſi Adamus non peccaſſet, Chriſtus Dominus non veniſſet: ergo decretum Incarnationis ſupponit peccatum permiſſum, & præviſum. Reſp. Id eſſe propter connexionem cum peccato Adami. Non quia præcedat præviſum, nec permiſſum in intentione: nam in intentione primum decretum eſt de Incarnatione Verbi divini, licèt alia præcedant in executione. Unde in intentione omnes ſunt prædeſtinati ex meritis Chriſti Domini, & propter ipſum.

20 Ex quibus colligitur: Quod ſubſtantia prædeſtinati, non ſolum vt facta, ſed etiam in fieri,

& dum fit, eſt effectus imperatus ſuæ prædeſtinationis. Pro quo vid. M. Ferre. Ratio eſt: Quia non ſolum facta conducit, & ordinatur ad gloriam, quæ eſt finis prædeſtinationis, ex cuius intentione imperatur; ſed etiam in fieri, & dum fit. Quod evenit in ſubſtantia cuiuslibet prædeſtinati, non ſolum miraculoſè, ſed etiam naturaliter, & regulariter producti, & facti. Imò & omnia naturalia illius ſimiliter ſunt effectus imperatus prædeſtinationis: Ut nativitas, proceſſus ex determinatis Parentibus, & ornatus temperamenti, ingenij, inclinationis rectæ, & alia huiuſmodi: quia omnia conducunt, & ordinantur ad talem finem prædeſtinationis.

21 Arg. 1. Subſtantia prædeſtinati non cadit ſub prædeſtinatione: ergo. Prob. ant. ex Divo Thoma ad Rom. 1. lect. 3. dicente: *Poteſt autem aliquis de futura re, ſeu operatione diſponere. Vno modo quantum ad ipſam rei conſtitutionem, ſicut artifex diſponit qualiter debeat facere domum. Secundo modo quantum ad ipſum vſum, vel gubernationem rei: Sicut aliquis diſponit qualiter debeat vti ſuo equo. Et ad hanc ſecundam prædiſpoſitionem pertinet prædeſtinatio, non ad primam. Id enim, quo aliquis vtitur, refert in finem. Sed cum res in ſe ipſa conſtituitur, non dirigitur ex hoc ipſo in aliud. Vnde prædiſpoſitio conſtitutionis rei propriè prædeſtinatio dici non poteſt*; ſed ſubſtantia prædeſtinati eſt de conſtitutione rei, ſive res, quæ conſtituitur: ergo.

22 Reſp. admitto, & explico author. Cuius ſenſus eſt: quod res, & ſubſtantia prædeſtinati non eſt effectus elicitus prædeſtinationis: Cum fiat providentia naturali quoad eius conſtitutionem. Cum quo ſtat, vt ſit imperatus: nam ipſa conſtituta, & facta, & dum conſtituitur, & fit, ordinatur à Deo, per prædeſtinationem, in gloriam, vt in finem. Conſtat ex ipſis verbis D. Thomæ: quia licèt conſtitutio rei in ſe non ſit directio, nec ordinatio in aliud; cum res ipſa conſtituitur, & fit, diſponit Deus eius directionem, & ordinationem. Imò eam dirigit, & ordinat ad ſalutem, quæ eſt finis ſuæ prædeſtinationis: Sicque diſponit de illa quantum ad vſum, & gubernationem eius. Quare ita eſt effectus imperatus prædeſtinationis; quæ non eſt prædiſpoſitio conſtitutionis rei, ſed directionis, & ordinationis eius.

23 Cont. Ex Ang. Doct. ita proſequente: *Quia omnia naturalia pertinent ad conſtitutionem rei ipſius: conſequens eſt, quod naturalia propriè ſub prædeſtinatione non cadunt: Sicut non dicimus propriè,*

*quod homo eſt prædeſtinatus habere manus; relinquitur ergo, quod prædeſtinatio dicatur propriè eorum ſolum, quæ ſunt ſupra naturam, in quæ rationalis creatura ordinatur*: ergo. Reſp. Similiter explicando auth. de effectu elicito; non de imperato. Naturalia enim non cadunt ſub effectu elicito prædeſtinationis, cum homo non prædeſtinetur ad illa: Siquidem homo non prædeſtinatur, vt habeat manus. Cadunt tamen ſub effectu imperato: cum omnia conducant, & ſint ordinabilia ad conſecutionem gloriæ, ad quam ordinantur à Deo per prædeſtinationem. Et licèt quoad ſuam entitatem non ſint ſupra naturam; ſunt quoad talem directionem, & ordinationem. Sicut actus virtutum acquiſitarum, qui dum fiunt, ſunt entitativè naturales, imperantur à Charitate, & ſunt ſupernaturales quoad directionē, & ordinationē.

24 Cont. Iuxta hoc, ſubſtantia prædeſtinati entitativè ſumpta non eſt effectus imperatus prędeſtinationis, ſed quoad talem ordinationem accepta: ergo non ipſa, ſed eius ordo eſt effectus. Conſ. patet: Cum ſit effectus quo ad ſolum ordinem. Probat. antec. Talis ſubſtantia eſt effectus imperatus prædeſtinationis, vt excedit naturam; ſed entitativè ſumpta non excedit naturam, ſed quoad talem ordinationem accepta: ergo. Reſp. diſt. mai. Ut quod, & ratione cuius excedit, conc. mai. Aliter, nego mai. & diſt. minor. Accepta vt quod, & ratione illius, conc. min. Aliter, nego min. & conſ. Effectus enim imperatus prædeſtinationis eſt ipſum excedens naturam, etſi ratione alterius excedat. Cumque ſubſtantia prædeſtinati ratione talis ordinis ſit excedens naturam: ideò ipſa eſt effectus imperatus. Sicut propterea actus temperantiæ eſt effectus imperatus Charitatis, licèt ratione ordinis illius reſpiciat finem Charitatis, & excedat facultatem naturæ, cum reſpiciat finem ſupernaturalem.

25 Cont. Licèt ſubſtantia prædeſtinati ratione talis ordinis ſit excedens naturam, ipſa non eſt effectus imperatus prædeſtinationis, ſed ordo ipſius: ergo. Prob. antec. Effectus imperatus prædeſtinationis eſt gratia; ſed ſubſtantia prædeſtinati excedens naturam, non eſt gratia, ſed ordo ipſius: ergo. Mai. patet ex definitione prædeſtinationis: quæ eſt præparatio gratiæ, & gloriæ. Reſp. diſt. mai. Eſt entitativè, nego mai. Ordinativè, conc. maior. & diſt. min. Non eſt entitativè, conc. min. Ordinativè, nego min. & conſ. Licèt enim effectus elicitus prædeſtinationis ſit entitativè, & in ſe gratia; imperatus

autem ſufficit, quoad gratiam ordinetur. Cumque ſubſtantia prædeſtinati iam ordinetur ad gratiam, & gloriam: ideò eſt effectus imperatus. Sic enim intelligenda eſt definitio prædicta.

26 Cont. Subſtantia prædeſtinati nec ordinativè eſt gratia: ergo. Prob.ant. In ſui productione non eſt ordinata ad gratiam: ergo. Prob.ant. Chriſtus Dominus meruit prædeſtinatis gratiam, & ordinationem ad gratiam, ſed non meruit illis productionem ſuæ ſubſtantiæ: ergo: Prob.min. ex D.Aug. Epiſt. 105. aſſerente: *Quod Chriſtus mortuus eſt, non vt homines conderentur, ſed vt iuſtificarentur*; ſed mortuus eſt pro eis, quæ hominibus meruit: ergo. Reſp. admitto, & explico author. In qua S.Doctor loquitur de effectu præcipuo mortis Chriſti, qui fuit iuſtificatio, & redemptio hominum: nam propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, paſſus, & mortuus eſt. Non de minus præcipuis; inter quos numeratur ſubſtantia prædeſtinati, vt ita ad gratiam, & gloriam ordinata. Sicut propterea gloria corporis poſt reſurrectionem, exaltatio nominis, nativitas parvuli prope fontem baptiſmi, & ſimilia, ſunt ita effectus minus præcipui prędeſtinationis; & Chriſtus non dicitur ſic mortuus propter illos.

27 Cont. Non loquitur de effectu præcipuo mortis Chriſti: ergo. Prob.ant. Iuſtificatio non eſt effectus præcipuus mortis Chriſti: ergo. Prob.ant. Glorificatio hominum eſt effectus præcipuus illius: ergo. Reſp. diſt.ant. Ultimus, conc.ant. Non vltimus, nego antec. & ſimiliter diſt.conſ. Licèt glorificatio ſit effectus pręcipuus vltimus mortis Chriſti: cum ſit finis illius; iuſtificatio etiam eſt effectus præcipuus, etſi non vltimus: nam cum ſit ſupernaturalis, poteſt eſſe per ſe intenta à meritis Chriſti, & prædeſtinatione; in quo ſtat ratio effectus præcipui eliciti. Subſtantia autem prædeſtinati, cum ſit naturalis, non poteſt eſſe ita per ſe intenta, ſed ratione finis ſupernaturalis, ad quem ordinatur: Sicque eſt effectus minus principalis, & imperatus.

28 Arg. 2. Prædeſtinatio ſupponit productam ſubſtantiam prædeſtinati: ergo. Prob.ant. ex D. Thoma quæſt. 23. art. 1. aſſerente: *Ratio prædictæ tranſmiſſionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ, prædeſtinatio nominatur*; ſed tranſmiſſio alicuius rei ſupponit productam ſubſtantiam illius: ergo. Min. patet in Sagitta miſſa à Sagittante. Reſp. diſt.min. Supponit in aliquo genere, conc min. In omni, nego min. & ita diſt. conſ. Cum enim mittens aliquid

in

in finem, ſimul non efficit illud; vt patet exemplo Sagittæ, & ſæpe contingit in creatis; ſupponit in omni genere productam ſubſtantiam eius, vt mittat ipſum. Cum verò ſimul efficit illud, ſicut Deus; eam ſupponit productam in genere cauſæ materialis, cum ſit ſubiectum mittendum; non tamen in omni genere: nam in alio, nempe, in genere cauſæ dirigentis, & ordinantis in ſuum vltimum finem, præcedit eam, etiam cum fit. Cumque Deus ſimul efficiat creaturam rationalem, quam prædeſtinat: ideò in genere cauſæ materialis ſupponit eam, eiuſque ſubſtantiam productam providentia naturali; & in genere cauſæ dirigentis, & ordinantis in finem ſupernaturalem, præcedit eam, vt dirigens, & ordinans illam in gloriam. Quæ doctrina patet in quatuor generibus cauſarum, quarum vna in ſuo genere præcedit aliam, & in alio ſubſequitur illam.

29 Cont. Prædeſtinatio ſupponit in omni genere ſubſtantiam prædeſtinati: ergo. Probat. ant. ex Aug. Mag. 3. part. quæſt. 1. art. 3. ad 4. dicente: *Prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum*; ſed præſcientia futurorum, inter quæ eſt ſubſtantia prædeſtinati, ſupponit in omni genere futura facta per aliam providentiam: ergo. Reſp. admitto, & explico author. Cuius ſenſus eſt: quod prædeſtinatio præſupponit in genere cauſæ materialis præſcientiam futurorum, ſicut & futura. Precedit autem in genere cauſæ dirigentis, & ordinantis in finem ſupernaturalem: nam cum fiunt providentia naturali, ea ordinat providentia prædeſtinativa ſupernaturali in gloriam. Sicut ſubſtantia in genere cauſę materialis eſt prior generatione: cum ſit ſubiectum generationis. Et generatio in genere cauſæ efficientis eſt prior ipſa ſubſtantia: cum efficiat illam, & hæc in hoc genere ſit poſterior. Et potentia vitalis in genere principij effectivi, & receptivi eſt prior actu; & in genere cauſæ finalis eſt poſterior actu, cum ſit propter actum.

30 Hac doctrina ſolvitur hęc inſtantia: Subſtantia prædeſtinati eſt ſubiectum gratiæ, & gloriæ, quæ ſunt accidentia; ſed ſubiectum eſt prius accidentibus: ergo ſubſtantia prædeſtinati eſt prior gratia, & gloria: & conſequenter eſt prior tranſmiſſione ipſius prædeſtinati ad gloriam, in qua conſiſtit prædeſtinatio. Reſp. enim diſt. min. Eſt prius in genere cauſæ materialis, conc. minor. Finalis, nego minor. & ſimiliter diſt. conſ.

31 Cont. Prædeſtinatio ſupponit in genere cauſæ dirigentis, & ordinantis præſcientiam futu-

rorum: ergo. Prob.ant. Prædeſtinatio vt dirigens, & ordinans ſupponit præſcientiam eorum, quæ ordinatura eſt in gloriam; ſed ordinatura eſt futura: ergo. Mai.patet: Nam providentia de illis eſt prior: cum ſit naturalis. Providentia autem de eorum gloria eſt poſterior: cum ſit ſupernaturalis. Reſp.diſt.mai. Ordinans effectum imperatum, nego mai. Elicitum, conc.mai.& min. & ita diſt.conſ. Licèt enim prædeſtinatio, vt dirigens, & ordinans quoad effectum elicitum, qualis eſt gratia,& gloria, ſupponat in omni genere præſcientiam futurorum, ſive futura facta providentia naturali, ſaltim in executione, in qua natura eſt prior. Non tamen vt dirigens, & ordinans quoad effectum imperatum: cum ipſa natura, ſive ſubſtantia naturalis futurorum, ſit effectus imperatus illius, quia conducens, & ordinabilis per prædeſtinationem ad gloriam; quæ præcedens in genere cauſæ materialis, præceditur à prædeſtinatione in genere dirigentis, & ordinantis. Veruntamen in intentione effectus elicitus eſt prior: cum imperatus ſit propter illum. Et cum hoc ſufficiat, vt ſubſtantia prædeſtinati ſit effectus imperatus prædeſtinationis: ideò eſt.

32 Cont. Prædeſtinatio vt dirigens, & ordinans effectum imperatum, ſupponit in omni genere præſcientiam futurorum: ergo. Prob.ant.Supponit fieri futurorum: ergo. Conſ.patet: Nam cum eſt fieri futuri, eſt in Deo ſcientia futuri. Prob.ant. Prius eſt fieri futurorum, quam ordinatio futurorum in finem; ſed prædeſtinatio vt dirigens, & ordinans effectum imperatum, eſt ordinatio futurorum in finem: ergo. Reſp.diſt. maior. Ordinatio quoad fieri, & eſſe, nego maior. Quoad eſſe ſolum, conc.maior.& diſt.min. Ordinatio quoad fieri & eſſe, conc.minor. Solum quoad eſſe, nego min.& conſ. Licèt enim fieri futurorum in omni genere ſit prius, quam ordinatio eorum in finem quoad eſſe ſolum: quia tunc ordinatio, ſicut & eſſe, ſupponit illorum fieri; non tamen quam ordinatio quoad fieri, & eſſe illorum: nam tunc etiam ordinatur ipſum fieri. Cum igitur prædeſtinatio ſit ordinatio futurorum in gloriam, quoad fieri, & eſſe eorum: cum vtrumque conducat, & ordinetur ad illam: ideo non in omni genere, ſed in aſsignato ſupponit fieri, & præſcientiam futurorum; & vt dirigens, ordinans, & imperans præcedit vtrumque: Sicque ſubſtantiæ prædeſtinati quoad eſſe, & fieri eſt effectus imperatus prædeſtinationis.

33 Arg.3. Subiectum prædeſti-

ſtinationis non eſt effectus illius; ſed ſubſtantia prædeſtinati eſt ſubiectum prædeſtinationis: ergo. Min. eſt certa: Cum ſit eſſe ipſius prædeſtinati. Prob. maior. Recipiens effectum prædeſtinationis, non eſt effectus prædeſtinationis; ſed ſubiectum prædeſtinationis recipit effectum prædeſtinationis: ergo. Mai. patet: Cum non recipiat ſe ipſum. Min. conſtat: Nam quod prædeſtinatur, recipit effectum prædeſtinationis. Reſp. diſt. maior. Effectus imperatus, nego maior. Elicitus, conc. mai. & min. & ita diſt. conſ. Licèt enim recipiens effectum prædeſtinationis, non ſit effectus elicitus prædeſtinationis, cum recipiat illum; eſt effectus imperatus: cum conducat, & ordinetur ad finem prædeſtinationis, qualis eſt gloria. Et cum ad hanc conducat, & ordinetur ſubſtantia prædeſtinati: ideò eſt effectus imperatus ſuæ prædeſtinationis.

34 Cont. Subiectum prædeſtinationis non eſt effectus elicitus prædeſtinationis: ergo nec imperatus. Prob. conſ. Vterque fit per prædeſtinationem; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia effectus elicitus prædeſtinationis fit, & vnicè conſtituitur ipſa prædeſtinatione; & ſupponit ſubiectum, cui præſtetur: vt patet in gratia, & gloria. Imperatus autem non, ſed præcisè ordinatur per prædeſtinationẽ ad gloriã. Et cum ſubiectũ prædeſtinationis ita ordinetur ad illã: ideò eſt effectus imperatus, & non elicitus illius.

35 Cont. Subiectum prædeſtinationis non eſt ita ordinabile ad gloriam: ergo. Prob. antec. Ordinabile ita in gloriam, eſt medium reſpectu gloriæ; ſed ſubiectum prædeſtinationis non eſt medium reſpectu gloriæ: ergo. Prob. minor. Subiectum non eſt medium; ſed ſubiectum prædeſtinationis eſt ſubiectum reſpectu gloriæ: ergo. Reſp. diſt. mai. Medium latum, nego mai. Strictum, conc. mai. & min. & ſimiliter diſt. conſ. Licèt ſubiectum non ſit medium ſtrictum reſpectu eiuſdem; poteſt eſſe medium latum, & minus proprium: quale eſt omne conducens ad aliquem finem. Cumque ſubiectum prædeſtinationis conducat ad conſecutionem gloriæ: ideò eſt medium latum ad illam. Quod ſufficit, vt ſit ita ordinabile, & effectus imperatus prædeſtinationis.

36 Cont. Effectus prædeſtinationis eſt medium ſtrictum reſpectu gloriæ; ſed ſubiectum prædeſtinationis non eſt medium ſtrictũ reſpectu glorię: ergo. Reſp. diſt. mai. Effectus imperatus, nego mai. Elicitus, conc. mai. & min. & diſt. ſimiliter conſ. Cont. Effectus elicitus prædeſtinationis eſt medium ſtrictum reſpectu glorię:

ergo etiam imperatus. Prob.conſ. Utcerque reſpicit gloriam, vt finem: ſed: ergo. Reſp.nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia effectus elicitus prædeſtinationis eſt, quo prædeſtinatus conſequitur gloriam: vt patet in gratia. Imperatus autem eſt quodlibet conducens,& ordinabile ad illam. Quod aliquando non eſt *quo*, ſed *quod* conſequitur eam: vt evenit in ſubiecto prædeſtinationis, & in ſubſtantia prædeſtinati. Cum igitur medium ſtrictum ſit, quo aliquis conſequitur finem: ideò effectus elicitus, & non imperatus, eſt medium ſtrictum.

37 Cont. Effectus imperatus prædeſtinationis debet eſſe medium proprium reſpectu gloriæ: ergo & ſtrictum. Prob.ant. Prædeſtinatio ſupponit electionem propriam ſuorum effectuum, vt mediorum; ſed electio propria eſt de medijs proprijs: ergo. Mai. patet: Cum conſiſtat in actu imperij. Min.conſtat: Nam electio ſumit ſpeciem à medijs. Reſp. diſt.min. Eſt elicitivè, conc.min. Imperativè, nego min.& conſeq. Licèt electio propria eliciat media ſtricta; imperat quoque media lata: Cum ordinet, & imperet cuncta conducentia ad finem. Cumque effectus imperatus prædeſtinationis conducat ad gloriam, quæ eſt finis illius: ideò electio eſt ita de illo, vt medio minus proprio; à quo non ſpecificatur, ſed à medijs, ſive effectibus elicitis primo, & præcipuè inſpectis. Sicut intentio propria immediatè,& elicitivè eſt de fine proprio, & ſtricto; mediatè autem, & imperativè poteſt eſſe de lato, & minus proprio.

38 Cont. Electio prædeſtinativa nec imperativè eſt de medio minus proprio: ergo. Probat. ant. Electio prædeſtinativa nec imperativè eſt de quolibet conducente ad gloriám prædeſtinati: ergo. Prob.ant. Merita Chriſti Domini conducunt ad gloriam prædeſtinati; ſed electio prædeſtinativa non eſt imperativè de illis: ergo. Reſp.diſt.maior. Ut medium, nego maior. Ut cauſa meritoria, conc.mai.& minor.& ita diſt. conſeq. Electio quidem prædeſtinativa ſolum eſt de medijs. Non de cauſa meritoria prędeſtinationis, & gloriæ. Cumque merita Chriſti ſint cauſa meritoria illius: ideò nec imperativè eſt de illis; ſicut eſt de effectu imperato, & ſubſtantia prædeſtinati, conducente vt medio, etſi minus proprio, ad gloriam.

39 Arg.4. Voluntas prædeſtinativa ſupponit factam ſubſtantiam prædeſtinati: ergo hæc non eſt effectus imperatus illius, maximè quoad eius fieri. Probat ant. Voluntas efficax conferendi gloriam prædeſtinato, ſupponit

fa-

factam ſubſtantiam prędeſtinati, ſed voluntas prædeſtinativa eſt voluntas efficax conferendi gloriam prædeſtinato: ergo. Prob. mai. Voluntas inefficax ſalvandi omnes, ſupponit factam, vel facit ſubſtantiam prædeſtinati; ſed voluntas efficax conferendi gloriam prædeſtinato, ſupponit talem voluntatem inefficacem: ergo. Mai. patet: Nam talis voluntas reſpicit omnes, non vt purè poſsibiles, ſed vt futuros, & vt ad vniverſum pertinentes: Siquidem hos, & non illos, vult Deus ſalvos fieri: quod eſt ſupponere factam, vel facere ſubſtantiam eorum. Min. conſtat: Nam voluntas ſpecialis, vt eſt efficax, ſupponit generalem; qualis eſt prædicta inefficax.

40 Reſp. diſt. min. Efficax executiva, conc. min. Intentiva, nego min. & conſ. Licèt voluntas efficax executiva conferendi gloriam prædeſtinatis, ſupponat in Deo voluntatem inefficacem conferendi illam omnibus: quia hæc eſt antecedens, illa conſequens: hæc reſpicit gloriam ſecundum ſe, illa cum omnibus circunſtantijs. Intentiva autem non ſupponit eam, ſed præcedit illam: nam in ordine intentivo decretum efficax conferendi gloriam prædeſtinatis eſt prius intentione inefficaci conferendi illam omnibus, tàm reprobis, quàm prædeſtinatis. Quare omnia auxilia ſufficientia, ex vi talis voluntatis generalis præparata, & conceſſa omnibus, ſunt effectus voluntatis efficacis prædictæ, ſive electionis prædeſtinatorum ad gloriam; quę præcedit ea, & illam: nam cauſa præcedit effectum. Cumque hoc ſufficiat, vt voluntas prædeſtinativa non ſupponat factam ſubſtantiam prædeſtinati, ſed cum fit, eam, eiuſque fieri in finem prædeſtinationis ordinet: ideò ita evenit, & eſt effectus imperatus illius.

41 Cont. Voluntas efficax intentiva conferendi gloriam prædeſtinato, ſupponit voluntatem inefficacem conferendi gloriam omnibus: ergo. Prob. antec. Voluntas conſequens ſupponit antecedentem; ſed voluntas efficax intentiva conferendi gloriam prædeſtinato eſt conſequens, & voluntas inefficax conferendi gloriam omnibus eſt antecedens: ergo. Prob. mai. Voluntas de obiecto ornato circunſtantijs, ſupponit voluntatem de obiecto ſecundum ſe; ſed voluntas conſequens eſt de obiecto ornato circunſtantijs, & antecedens de obiecto ſecundum ſe: ergo. Reſp. diſt. mai. Supponit ſemper, nego mai. Aliquando, conc. maior. & min. & nego conſ. Non ſemper volitio obiecti circunſtantiati ſupponit volitionem obiecti ſe-

cundum ſe: præcipue cum eſt omnino libera, & obiectum ſecundum ſe conducit ad volitionem obiecti cum circunſtantijs, imo illud ab hoc pendet, quia ad ipſum ordinatur. Cumque gloria cum circunſtantijs, & vt ita efficaciter intenta non pendeat à ſe ipſa ſecundum ſe: cum hæc non conducat ad volitionem liberam illius, imò pendeat ab ea, eo quod auxilia ſufficientia pro illa præparata, ſunt effectus volitionis efficacis intentivæ illius: ideò volitio conſequens eius non ſupponit in Deo antecedentem, nec efficax intentiva inefficacem prędictam.

42 Cont. Volitio glorię circunſtantiatæ ſemper ſupponit volitionem gloriæ ſecundum ſe: ergo. Prob.ant. Volitio providentiæ ſupernaturalis ſpecialis ſemper ſupponit volitionem providentiæ ſupernaturalis generalis; ſed volitio gloriæ circunſtantiatæ eſt providentiæ ſupernaturalis ſpecialis, & volitio gloriæ ſecundum ſe eſt providentiæ ſupernaturalis generalis: ergo. Prob.mai. Providentia ſupernaturalis ſpecialis ſupponit providentiam ſupernaturalem generalem: ergo. Reſp. diſt. ant. Supponit in executione, conc.ant. In intentione, nego ant. & diſt.conſeq. Volitio executiva, conc.conſ. Intentiva, nego conſ. In executione vtique prior eſt providentia generalis quam ſpecialis: nam prior eſt providentia de omnibus, quam de aliquibus. In intentione autem prior eſt providentia ſpeciali prædeſtinativa: quia propter ſalutem, & gloriam prædeſtinatorum intentam facta ſunt omnia, & præparantur auxilia ſufficientia per providentiam generalem. Cumque volitio gloria circunſtantiatę ſit intentiva providentię ſupernaturalis ſpecialis, & prædeſtinativæ: ideò hæc eſt prior.

43 Arg.5. Peccatum originale ſupponit ſubſtantiam prædeſtinati; ſed prædeſtinatio noſtra ſupponit peccatum originale prædeſtinati: ergo. Prob.minor Prædeſtinatio Chriſti ſupponit peccatum originale prædeſtinatorum; ſed prædeſtinatio noſtra ſupponit prędeſtinationem Chriſti: ergo. Mai. docetur ab Ang. Doct.3.part. quæſt.1.art.3. & 4. Min. patet ex dictis. Reſp. diſt. mai. Supponit intentivè, nego mai. Connexivè, conc.maior. & min.& diſt.conſ. In genere cauſæ materialis, conc.conſ. In omni genere, nego conſ. Licèt prædeſtinatio Chriſti ſit connexa cum peccato originali Adami, & aliorum: nam prædeſtinatus eſt vt Redemptor eorum à peccato illudque ſupponat, ſicut & prædeſtinatio noſtra, in genere cau-

ſæ materialis ſubſtantiam prædeſtinati: non tamen in intentione, nec in ordine decretorum Dei: nam prius intelligitur prædeſtinatus Chriſtus Dominus, propter quem, & ex meritis illius, omnes alij prædeſtinati ſunt, ad quorum gloriam ordinata ſunt reliqua, vt effectus prædeſtinationis, inter quæ ſunt permiſsio peccati, & ſubſtantia prædeſtinati. Unde in intentione, & in genere cauſæ finalis prædeſtinatio Chriſti pręcedit prædeſtinationem noſtram, & hæc peccatum originale, atque ſubſtantiam prædeſtinati, quæ eſt effectus imperatus ſuæ prædeſtinationis.

44 Cont. Prædeſtinatio Chriſti ſupponit intentivè peccatum originale prædeſtinatorum: ergo. Prob. antec. Chriſtus Dominus, vt Redemptor prædeſtinatorum à peccato, ſupponit peccatum originale eorum; ſed prædeſtinatio Chriſti fuit vt Redemptoris prædeſtinatorum, & omnium à peccato: ergo. Mai. patet: Nam redemptio à peccato, ſupponit captivitatem peccati. Min. conſtat: Siquidem eſt intentus vt Redemptor; vt docet Ang. Magiſter. Reſp. diſt. maior. Supponit in omni genere, nego mai. In genere cauſæ materialis, conc. mai. & min. & nego conſeq. Licèt enim Chriſtus Dominus, prędeſtinatus vt Redemptor, ſupponat in genere cauſæ materialis peccatum originale, à quo homines redimat, ſicut & ipſos homines redimendos. Ipſe tamen præcedit in genere cauſæ finalis: nam propter ipſum ſunt facti prædeſtinati, & redempti: cum ſit caput eorum. Cumque hoc ſit præcedere in intentione: ideò præcedit. Deus namque ante omnia voluit Chriſtum, vt Redemptorem à peccato. Deinde per, & propter Chriſtum prædeſtinavit ex hominibus, quos voluit. Exinde produxit ordinem naturæ, quem ordinavit ad gratiam. Poſtea permiſsit peccatum Adæ, & poſterorum: & in remedium illius, & reparationem talis lapſus voluit in executione mittere Chriſtum. Unde conſtat: quod decretum Incarnationis eſt connexum cum peccato originali, quin hoc præcedat in intentione, ſed in executione: Et propterea ſubſtantia prædeſtinati, & Adami, imò & permiſsio peccati, eſt effectus imperatus prædeſtinationis.

45 Arg. 6. Subſtantia Adami non fuit effectus imperatus ſuæ prædeſtinationis: ergo nec eſt ſubſtantia alterius prædeſtinati. Prob. ant. Subſtantia Adami eſt præviſa ante eius prædeſtinationem: ergo. Prob. ant. Prædeſtinatio Adami eſt facta ex meritis Chriſti; ſed ſubſtantia

Adami eſt præviſa ante merita Chriſti, imò & ante prædeſtinationem Chriſti: ergo. Prob.min. Subſtantia Adami præviſa eſt in ſtatu innocentiæ; ſed talis ſtatus eſt præviſus ante merita, & prædeſtinationem Chriſti: ergo. Mai. patet: Cum Adamus fuerit creatus in tali ſtatu. Minor.conſtat: Nam ſi Adamus non peccaſſet, nec cecidiſſet à tali ſtatu, Chriſtus ex vi præſentis decreti non veniſſet, nec fuiſſet prædeſtinatus. Reſp.diſt.mai. Prȩviſa eſt in intentione, & in genere cauſæ finalis, nego mai. In executione, & in genere cauſæ materialis, conc.mai. & ita diſt.minor.nego conſ.

46 Cont. Adamus eſt præviſus in intentione, & in genere cauſæ finalis in ſtatu innocentiæ ante Chriſtum: ergo. Prob.ant. Chriſtus Dominus non eſt præviſus vt Redemptor, in intentione, nec in genere cauſæ finalis ante Adamum in ſtatu innocentiæ: ergo. Prob.ant. Gratia Adami in ſtatu innocentię non fuit redemptiva; ſed gratia illius, ante quem Chriſtus, vt Redemptor, eſt præviſus in intentione, & in genere cauſæ finalis, eſt redemptiva: ergo. Prob.mai. Gratia redemptiva iuſtificat, liberans, & redimens à peccato; ſed gratia iuſtificans Adamum in ſtatu innocentiæ, non liberavit, nec redemit eum à peccato: ergo. Min.conſtat: Nam in tali ſtatu non habebat peccatum.

47 Reſp.diſt.mai. Redemptiva imperativè, nego mai. Elicitivè, conc.mai. & min. & ita diſt. conſ. Gratia redemptiva elicitivè eſt: quæ provenit à Chriſto, vt Redemptore, vt hominem lapſum à peccato liberet, redimat, & ſanet. Gratia redemptiva imperativè: quæ licèt hoc non faciat, provenit ab illo, vt primo præintento, cui eſt ſubiecta, & intuitu ipſius data. Chriſtus etenim præviſus eſt, & intentus, vt Redemptor, ante gratiam elicitivè, & imperativè redemptivam: cum meruerit vtramque. Cum igitur gratia Adami in ſtatu innocentiæ ſit imperativè redemptiva, cum ei propter Chriſtum ita ſit data: ideò ante illam, & Adamum in tali ſtatu eſt præviſus, & præintentus. Hac diſtinctione ſolvitur hæc replica: Gratia redemptiva ſanat hominem à lapſu, quem habuit, vel potuit habere; ſed gratia collata Adamo in ſtatu innocentiæ non ſupponebat eum lapſum, nec potentem in illo ſtatu eſſe ſub lapſu: ergo non erat redemptiva. Reſp. Quod ideò non erat redemptiva elicitivè, ſed imperativè.

48 Cont. Gratia non redimens à peccato, nequaquam eſt redemptiva; ſed gratia non pro-

veniens elicitivè à Chriſto, vt Redemptore, non redimit à peccato: ergo talis in Adamo pro ſtatu innocentiæ non erat redemptiva. Prob.mai. Gratia non proveniens à Chriſto, vt Redemptore, & vt influente in membra Eccleſiæ, nec tiquam eſt redemptiva; ſed gratia non redimens à peccato, non provenit à Chriſto, vt Redemptore, & ita influente: ergo. Prob.min. Chriſtus influit ita in membra Eccleſiæ per redemptionem eorum à peccato: ergo. Reſp.diſt.antec. Influit elicitive, conc.ant. Imperative, nego ant. & ita diſt.conſ. Chriſtus enim Dominus, vt Caput, habet duplicem influxum in membra Eccleſiæ. Unum elicitum à providentia redemptiva. Alium imperatum ab ea, & elicitum à ſopernaturali. Ille eſt per redemptionem à peccato. Hic non, ſed proveniens à voluntate mittendi Chriſtum, vt Redemptorem, & Caput. Ut autem gratia ſit imperativè redemptiva ſufficit, quod proveniat ab hoc influxu. Cumque gratia prædicta Adami proveniat ab illo: ideò eſt ita redemptiva.

49 Cont. Chriſtus Dominus non habet niſi influxum elicitum in membra Eccleſiæ: ergo. Prob. ant. Chriſtus non habet niſi influxum redimẽdi à peccato membra Eccleſiæ; ſed hic influxus eſt elicitus: ergo. Prob.mai. Deus non habuit voluntatem mittendi Chriſtum, niſi vt à peccato redimeret, vel præſervaret; ſed influxus Chriſti in membra Eccleſię oritur ex tali voluntate: ergo. Reſp. diſt.maior. Niſi vt minus principaliter, nego mai. Ut principaliter, conc.mai.& min.& nego conſeq. Finis principalis talis voluntatis, & miſsionis Chriſti fuit, redimere hominem à peccato. Minus principalis fuit, ſubjicere ei, vt Capiti, omnem gratiam hominibus conferendam, ita vt de plenitudine eius omnes accipiant. Cumque in Adamo, vt membro Eccleſiæ, fuerit gratia in ſtatu innocentiæ ita Chriſto ſubiecta, licèt non redimens ipſum à peccato: ideò Chriſtus, ex vi talis voluntatis Dei, miſſus eſt minus principaliter pro tali gratia, cuius influxus eſt imperativè ab ipſo, vt Redemptore: & in tali ſenſu dicitur gratia redemptiva. Sicut namque Chriſtus non redemit Angelos, & tamen fuit conſumator gloriæ eorum; ita etſi non redemerit primos Parentes pro ſtatu innocentiæ, fuit initiator gratiæ illorum. Quare, ſicut conſummatio gratiæ Angelorum fuit imperativè, & finaliter à Chriſto, vt Redemptore, licèt nõ elicitivè, ita gratia primo collata Adę, quatenus per Chriſtũ, & propter Chriſtum, primo iuſtificatus eſt.

Cont.

50 Cont. Gratia primo collata Adamo nec ita fuit redemptiva imperativè: ergo. Prob.ant. Gratia primo collata Angelis non fuit redemptiva imperativè: ergo. Ant.patet: Cum Angeli non ſint redempti à Domino, ſicut homines. Prob.conſ.Eadem ratio eſt, vt gratia primo collata Angelis ſit ita à Chriſto Domino,ac primo collata Adamo; ſed: ergo. Reſp.admiſſa paritate:Nam cum Chriſtus Dominus ſit Caput Angelorum, & hominum, à quo recipiunt influxum; vt docet Div. Thomas 3.part. quæſt.8. artic.8. non eſt inconveniens affirmare: quod etiam Angeli habuerunt gratiam, & gloriã intuitu Chriſti prævifi, & præintenti; nego conſ. Diſcrimen eſt: Nam dicitur ita redemptiva reſpectu ſubiecti redempti; vt ſunt homines, & Adamus, & non Angeli: quia ſubiectum redemptum terminat providentiam elicitivè redemptivam, à qua talis gratia imperatur.

## ARTICULUS II.

*VTRVM GLORIFICATIO ſit effectus elicitus Prædeſtinationis.*

1 CONCLVSIO: Glorificatio eſt effectus elicitus prędeſtinationis. Eſt communis cum D. Thom Etſi aliqui cum Durando ſenti Solam gratiam fore effectum el citum illius. Conſtat ex illo Ror 8. *Quos præſcivit, & prædeſtinavi illos & glorificavit.* Div.Thom lect.6.ait: *Prædeſtinatio import cauſalitatem quamdam reſpectu e rum:: per exaltationem gloriæ.* Nu formatur diſcurſus: Effectus pr ductus ex primaria intentior prædeſtinationis, eſt elicitus i lius; ſed glorificatio eſt effect productus ex primaria intentior prædeſtinationis; vt innuit Sac Textus, & exponit S.Doctor: e go.

2 Patet quoque ex definitic nibus prædeſtinationis: Siquide eſt præparatio gratiæ in præſen ti, & gloriæ in futuro; ſed præ paratio attingit elicitivè effe ctum præparatum: ergo præde ſtinatio attingit elicitivè gloriã & glorificationem. Etiam eſt præ paratio beneficiorum Dei, quibu prædeſtinati certiſsimè liberan tur; ſed hæc libertas eſt in glo ria: ergo attingit elicitivè glo riam. Denique eſt tranſmiſsi creaturę rationalis in vitam æternam, ſeu gloriam; ſed tranſmit tens aliquid in finem, attingi elicitivè finem: ergo prædeſtinatio attingit elicitivè gloriam: Sicque hæc in executione, ſive glorificatio, eſt effectus elicitu illius;

3 Prob. 1. concluſ. ratione: Finis per ſe executus prædeſtinationis, eſt effectus elicitus illius; ſed gloria, qua fit glorificatio, eſt finis per ſe executus prædeſtinationis: ergo. Mai. eſt certa: Nam præcipuus effectus elicitus alicuius actionis eſt finis per ſe executus per talem actionem. Minor. conſtat ex dictis. Dices: Quod finis non eſt ita executus, nec effectus elicitus prædeſtinationis: cum hæc ſit providentia, quæ eſt de medijs. Reſp. quod finis cuius gratia, qualis eſt bonitas divina, non eſt effectus elicitus illius. Bene verò finis *qui*, & finis *effectus*, vt eſt gloria: quia hic intenditur, vt fiat, & conſequatur; ille non, ſed vt manifeſtetur.

4 Deinde: Licèt prædeſtinatio, quia providentia, ſit de medijs, eſt de illis, vt quibus conſequitur finem, qui eſt gloria, inquam per illam tranſmittit prædeſtinatos: ergo per ſe intendit media, & finem; quem in executione quoque elicit. Præterea: Glorificatio eſt actualis conſecutio gloriæ, & beatitudinis; ſed conſecutio actualis termini eſt quaſi medium reſpectu illius: ergo vt tale intenditur, & elicitur glorificatio à prædeſtinatione.

5 Prob. 2. concluſ. ratione: Gloria executa eſt effectus elicitus prædeſtinationis: ergo & glorificatio. Prob. antec. Conſecutio gloriæ eſt effectus elicitus prædeſtinationis: ergo. Conſeq. patet: Nam cum conſecutio termini eſt effectus elicitus alicuius, etiam eſt ipſe terminus, vt executus, ſeu conſecutus. Prob. antec. Media, quibus prædeſtinatus conſequitur gloriam, ſunt effectus elicitus prædeſtinationis: ergo. Probat. conſ. Cum media, prout ab agente, cauſant efficaciter conſecutionem finis, cauſant elicitivè media, cauſat elicitivè finem; ſed media, prout ſunt ex prædeſtinatione, cauſant efficaciter conſecutionem gloriæ, & ſunt effectus elicitus prædeſtinationis: ergo. Min. patet: Nam prædeſtinatio eſt ordinatio efficax mediorum efficacium in vitam æternam.

6 Roboratur: Gloria eſt effectus elicitus gratiæ, & meritorum: ergo etiam prædeſtinationis. Ant. eſt certum: Cum gratia, & merita ita cauſent efficaciter conſecutionem gloriæ. Prob. conſ. Effectus elicitus vnius cauſæ, quæ eſt effectus alterius cauſæ ſemper influentis, & dirigentis omnia vſque ad conſecutionem finis, eſt etiam effectus alterius prioris cauſæ; ſed gratia, & merita, quorum gloria eſt effectus elicitus, ſunt effectus elicitus prędeſtinationis, quæ ſemper influit, & dirigit omnia vſque ad conſecutionem gloriæ: ergo. Mai. fundatur in hoc principio: Quod eſt

cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati: Quod tenet, cum eſt in eodem genere; vt in præſenti. Min.eſt certa: Nam cum prædeſtinatio ſit prouidentia efficax, & perfecta, dirigit cuncta. Corroboratur: Sicut medicina applicat media, & remedia ad conſecutionem ſalutis corporis, ita prædeſtinatio ad conſecutionem ſalutis animæ: imò cauſat gratiam, & merita, quibus conſequitur ipſa, ſiue vita æterna, & gloria; ſed propterea medicina cauſat elicitivè ſalutem corporis: ergo & prædeſtinatio ſalutem animæ.

7 Ex quibus infertur: Quod intenſio, ſiue quantitas gloriæ, eſt effectus elicitus prædeſtinationis. Probatur: Intenſio, & quantitas rei eſt effectus cuius ipſa res eſt effectus; ſed gloria eſt effectus elicitus prædeſtinationis: ergo. Mai.eſt certa: Ideoque Deus infundens fidem, præbet diverſam menſuram fidei: Et infundens charitatem, cauſat intenſionem, & quantitatem illius. Min.patet ex prædictis. Conſeq.eſt optima. Quare 1. Cor.15. v. 41. dicitur: *Stella enim à Stella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum.* D.Thomas lect.6. *Per Stellas Sanctr.* Unde exceſſus beatitudinis eſſentialis cuiuslibet beati, in quo conſiſtit intenſio, & quantitas gloriæ, eſt effectus elicitus prædeſtinationis eius. Similiter & perfectio accidentalis: vt aure la, & gaudium accidentale: na omnis actus meritorius eſt eff ctus elicitus prædeſtinationis; ſ quilibet conſequitur actu merit rio prædictam perfectionem e ſentialem, & accidentalem ſu gloriæ: ergo eſt effectus elicit ſuæ prædeſtinationis. Huius eni eſt effectus, quod ſit Virgo, D ctor, aut Martyr.

8 Arg. Prædeſtinatio e præparatio ſui effectus eliciti; ſ non eſt præparatio gloriæ: erg Prob. min. Solum eſt præparat gratiæ, & auxiliorum Dei: erg Prob. ant. ex definitione tradi à D. Aug. dicente: *Prædeſtinat eſt præparatio beneficiorum Dei, qu bus certiſsimè liberantur, quicumq liberantur*; ſed ſola gratia, & au xilia ſunt beneficia Dei, quib prædeſtinati liberantur: erg Reſp. admitto, & explico defin tionem. Cuius ſenſus eſt: quo prædeſtinatio immediatè eſt pr paratio gratiæ, & auxilioru quibus prædeſtinati liberantu & conſequuntur gloriam. Medi tè autem etiam eſt præparat gloriæ: vt patet ex alia deſcri tione: *Præparatio gratiæ in præſe ti, & gloriæ in futuro.* Ratio e nam præparans, & cauſans m dia, quæ cauſant efficaciter nem, mediatè cauſat quoque nem. Et cum gratia, auxilia, merita cauſent efficaciter conſ

cu-

cutionem gloriæ: ideò prædeſtinatio ea præparans, & cauſans, præparat, & cauſat mediatè ipſam gloriam: Sicque eſt effectus elicitus illius. Poterat etiam dici: Quod gloria eſt quoque beneficium Dei, cum in radice ſit gratia; qua prædeſtinati liberantur, ſive ſalvantur, cum ea conſtituantur in æterna ſalvatione. Quare Ang. Mag. loquitur de illa ſub nomine beneficiorum Dei.

9 Cont. Prædeſtinatio nec mediatè eſt præparatio gloriæ: ergo. Prob. ant. Providentia nec mediatè eſt de fine; ſed prædeſtinatio eſt providentia, & gloria eſt finis: ergo. Mai. patet: Cum ſit de medijs. Reſp. diſt. mai. De fine in executione, nego maior. In intentione, conc. mai. & minor. & ita diſt. conſ. Licet prædeſtinatio, quia providentia, non intendat finem, nec ſit de fine, vt intento, qui ſic præcedit illam, cum ſit de medijs, quibus eſt conſequendus; eſt mediatè de fine, vt exequendo, ſive executo: cum ordinet media pro illius in executione, & aſſecutione. Cumque hoc ſit præparare mediatè finem, & gloriam, dum immediatè præparat auxilia, & gratiam: ideò eſt ita præparatio gloriæ.

10 Cont. Prædeſtinatio nec ita eſt de fine in executione: ergo. Prob. ant. Prædeſtinatio eſt de medijs in executione: ergo. Ant. patet: Cum ordinet, & exequatur media. Prob. conſ. Providentia de medijs, non eſt de fine; ſed: ergo. Reſp. diſt. maior. Non eſt immediatè de fine, conc. mai. Mediatè, nego mai. & diſt. min. Eſt immediatè, conc. min. Mediatè, nego min. & ſimiliter diſt. conſ. Cum enim agens immediatè producit cauſam, mediatè producit effectum eius, qui eſt eiuſdem ordinis. Cumque media prędeſtinationis cauſent efficienter efficaciter gloriam in executione, & vt finem executum: ideò prædeſtinatio, quæ vt providentia, ſic eſt immediatè de medijs, ita eſt mediatè de tali fine.

11 Cont. Media non cauſant gloriam, vt finem: ergo. Probat. ant. Gloria, vt finis, cauſat media: ergo. Prob conſ. Effectus non cauſat ſuam cauſam; ſed: ergo. Reſp. diſt. mai. In eodem genere, conc. mai. In diverſo, nego mai. & diſt. min. In genere cauſæ finalis, conc. min. Efficientis, nego min. & ita diſt. conſ. Ut dicitur in Philoſophia, cauſæ ſunt ad invicem cauſæ; non in eodem genere, ſed in diverſo. Cumque gloria, vt finis intentus, in intentione, & in genere cauſæ finalis cauſet media per prædeſtinationem ordinata: ideò cohæret, quod ipſa media in genere cauſę efficientis, & in executione cauſent gloriam, vt finem executum. Hæc

doctrina eſt Divi Thomæ art. 5. dicentis : *Nihil prohibet aliquem effectum prædeſtinationis eſſe cauſam, & rationem alterius. Poſteriorem quidem prioris ſecundum rationem cauſæ finalis; priorem verò poſterioris ſecundum rationem cauſæ meritoriæ. Sicut ſi dicamus, quod Deus præordinavit ſe daturum alicui gloriam ex meritis; & quod præordinavit ſe daturum alicui gratiam, vt mereretur gloriam.*

12 Cont. Media in nullo genere cauſant gloriam: ergo. Prob. antec. Media ſupponunt gloriam cauſatam in omni genere: ergo. Prob. ant. Media ſupponunt gloriam futuram: ergo. Prob. antec. Gloria conſtituitur futura per decretum intentivum conferendi illam; ſed media ſupponunt tale decretum: ergo. Mai. patet q. 2. art. 1. Min. conſtat: Nam media fiunt per actum ſubſequentem. Reſp. diſt. mai. Gloria in executione, nego mai. In intentione, conc. mai. & min. & ita diſt. conſ. Gloria enim intentivè ſumpta conſtituitur futura tali decreto: itaque non eſt effectus mediorum, nec prædeſtinationis, cum ſic præcedat; ſed executivè conſiderata, & in executione, quomodo in genere aſsignato ſubſequitur media.

13 Cont. Gloria in executione nec ita eſt effectus mediorum, nec prædeſtinationis: ergo. Prob. ant. Si gloria in executione ita eſſet effectus mediorum, & prædeſtinationis, eſſentiam Dei vniri per modum ſpeciei intelligibilis intellectui beati foret ſic effectus prædeſtinationis; ſed non eſt: ergo. Mai. patet: Cum hoc pertineat ad gloriam prædeſtinati in executione. Prob. min. Si hoc eſſet effectus prædeſtinationis, ipſa eſſentia Dei foret effectus prædeſtinationis; ſed non eſt: ergo. Mai. patet: Cum talis vnio importet eſſentiam Dei. Minor. conſtat: Nam effectus prædeſtinationis eſt quid creatum. Reſp. diſt. mai. Eſſet ex parte intellectus, nego mai. Eſſentiæ divinæ, conc. mai. & min. & ita diſt. conſ. Talis vnio eſſentiæ divinæ cum intellectu beati, poteſt ſumi ex parte ipſius Dei, & ex parte intellectus beati. Primo modo eſt divina, & non importat, niſi reſpectum rationis, qui non conducit, vt ita ſit beneficium, & gratia creata: Sicque non eſt effectus prædeſtinationis. Secundo autem modo eſt beneficium gratiæ, volitum ipſi prædeſtinato ex fine gloriæ: cum ſit quid creatum, & gratuitum. Unde talis vnio, & gloria, prout ſic, eſt in executione effectus prædeſtinationis.

14 Ex his colligitur: Non ſolam gloriam eſſe effectum elicitum prædeſtinationis; vt tenuit Gabriel; nam, vt videbimus, gra-

tia, auxilia, & vocationes ſunt effectus elicitus illius. Et ratio eſt: quia providentia, qualis eſt prædeſtinatio, nedum eſt de fine exequendo, ſed potius eſt de medijs pro illius aſſecutione; ſed gratia, auxilia, & vocationes ſunt media pro aſſecutione gloriæ: ergo. Sic manet reiecta opinio aſſerens: Solam gloriam, & gratiam iuſtificantem eſſe effectum elicitum prædeſtinationis. Et S. Bonaventura, pro illa citatus, poteſt exponi de effectibus præcipuis, qui ſunt talis gratia, & gloria: Et præterea ſunt alij minus præcipui.

15 Objicies: Effectus elicitus prædeſtinationis diſcernit prædeſtinatos à reprobis; ſed ſola gloria diſcernit illos: ergo ſola gloria eſt effectus elicitus prædeſtinationis. Prob. min. Gratia iuſtificans, & vocationes efficaces ad pœnitentiam, non diſcernunt illos: ergo. Prob. antec. Commune prædeſtinatis, & reprobis, non diſcernit prædeſtinatos à reprobis; ſed gratia iuſtificans, & tales vocationes ſunt illis communes: ergo. Min. conſtat: Nam reprobi multoties ſunt in gratia, & iuſti, ac vocati efficaciter ad pœnitentiam. Reſp. diſt. minor. Ut coniunctæ cum perſeverantia finali, nego min. Ut non coniunctæ, conc. min. & diſt. conſeq. Ut non coniunctæ, cum perſeverantia finali, conc. conſ. Ut coniunctæ, nego conſ.

## ARTICVLVS III.

### *VTRVM GRATIA SIT effectus elicitus Prædeſtinationis.*

1 PRÆMITTO 1. Quod gratia habitualis iuſtificans, per peccatum non interrupta, & vſque ad mortem continuata, eſt effectus elicitus prædeſtinationis. Conſtat ex illo Rom. 8. *Hos & iuſtificavit.* D. Thomas lect. 6. addit: *Gratiam infundendo.* Quod ſaltim, & potius debet intelligi de prædicta: nam hæc eſt ſpecialis prædeſtinatis, & non communis reprobis: & eſt medium, quo prædeſtinatus infallibiliter conſequitur vitam æternam, quæ eſt finis prædeſtinationis; ſed hic eſt effectus elicitus illius; vt viſum eſt: ergo & gratia non interrupta. Difficultas procedit de gratia peccato interrupta, & iterum recuperata.

2 Præmitto 2. Quod vt per pœnitentiam recuperata, eſt effectus prædeſtinationis. Hæc reſolutio eſt communis. Prob. Gratia conducens cum effectu ad conſecutionem vitæ æternæ, eſt effectus elicitus prædeſtinationis; ſed gratia ita recuperata conducit cum effectu ad illam: ergo.

Mai,

Mai.patet ex dictis. Min.conſtat in multis, qui gratiam per peccatum amiſſam, denuo acquiſierunt per pœnitentiam: nam iuſtificati, ſunt mortui, & gloriam conſecuti. Unde dubium ſpeciale eſt: An talis gratia, vt primo à Deo collata, ſit effectus elicitus prædeſtinationis. Negant Pat. Vazq. Alarcon, Meratius, & alij. Affirmant Thomiſtæ, & communiter Jeſuitæ cum P. Suario; vt referunt PP. Munieſſa, & Ramirez.

3 Concluſio: Gratia peccato interrupta, vt primo à Deo collata, eſt effectus elicitus prædeſtinationis. Videtur expreſſa in Divo Thoma ad Rom. 8. aſſerente: *Hæc autem iuſtificatio etſi in aliquibus fruſtretur, quia non perſeverant vſque in finem: in prædeſtinatis tamen nunquam fruſtratur*; ſed gratia, ſive iuſtificatio non fruſtrata, vt prædicta interrupta, per pœnitentiam in prædeſtinatis recuperata, vt primo collata eſt effectus prædeſtinationis: ergo. Min. patet: Cum ſit collata ob finem prædeſtinationis, ad quem, & gloriam cum effectu conducit, nam manet in propoſito divino, vt remuneretur. Quare Angel. Mag. 3. part. quæſt. 89. art. 2. arg. 1. refert dictum Apoſtoli ad Roman. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Et ad 1. exponit illud: *His tantum, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti*, id eſt, *prædeſtinatis, qui quotieſcumque cadunt, finaliter tamen reſurgunt.* Et ad Rom 8. lect. 6. ait: *Et ideò Deus omnia convertit in bonum his: vt propoſitum referatur ad prædeſtinationem.*

4 Confirmat hoc ipſe Dominus Joelis cap. 2. dicens eis: *Reddam vobis annos, quos comedit locuſta.* Quare S. Paulus ad Heb. 6. aſſerit: *Non enim iniuſtus Deus, vt obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius.* Nunc D. Thomas lect. 3. *Homo qui cadit poſt gratiam dupliciter poteſt ſe habere. Vno modo, quod in malo perſeveret, & tunc Deus omnes iuſtitias eius obliviſcitur. Alio modo, quod pœniteat, & tunc bonorum præcedentium recordatur: quia reputantur ſibi ad meritum. Vnde dicit Gloſſa: quod mortificata reviviſcunt.* Ex quibus conſtat: Gratiam, vt primo collatam, ita conducere ad gloriam, & fore effectum elicitum prędeſtinationis: & ſimiliter merita prædeſtinati peccato mortificata, & recuperata pœnitentia: cum maneant in propoſito Dei, vt gloria remunerentur.

5 Prob. 1. concluſ. ratione: Gratia collata prædeſtinatis ex intentione conferendi eis gloriam, eſt effectus elicitus prædeſtinationis; ſed gratia peccato interrupta, & pœnitentia recupe-

pe-

perata, fuit primo collata prędeſtinatis ex intentione conferendi eis gloriam: ergo. Mai.eſt certa: Nam cum effectu conducit ad conſecutionem gloriæ. Prob.min. Gratia, cui correſpondet vt premium gloria, collata eſt prædeſtinatis ex intentione conferendi eis gloriam; ſed prædictæ gratiæ correſpondet vt premium gloria: ergo. Min.conſtat ex authoritatibus allegatis.

6 Reſpondebis: Quod correſpondet ei, vt per pœnitentiam recuperatæ; non vt primo collatæ. Cont. Ideò gloria correſpondet gratiæ, vt reparatæ, quia Deus ex intentione gloriæ vult prædeſtinatis pœnitentiam finalem, reparativam gratiæ; ſed ex eadem intentione vult illis gratiam reparandam: ergo & gratiam primo collatam, quæ reparanda eſt. Prob.min. Deus ex eadem intentione finis vult medium immediatum, & mediatum; ſed pœnitentia reparans, ſive gratia vt reparata, eſt medium immediatum conſecutionis gloriæ prædeſtinatorum; & vt primo collata, & reparanda eſt mediatum: ergo.

7 Roboratur: Gratia, cui correſpondet aliquis effectus in gloria, eſt gratia, cui correſpondet, vt premium, gloriæ; ſed gratiæ, vt primo collatæ, correſpondet aliquis effectus in gloria: ergo. Prob.min. Gradus determinatus gloriæ eſt effectus correſpondens in gloria; ſed gradus determinatus gloriæ, conferendus prædeſtinato pœnitenti, correſpondet non ſolum gratiæ reparanti, ſed etiam vt primo collatæ: ergo. Mai.patet: Nam electio eſt ad gradum determinatum gloriæ: Cum ſit efficax ad finem determinatum. Prob.min. Gradus determinatus, ei conferendus, coaleſcit ex gradu gloriæ reparato, & reparante; ſed gradus gloriæ reparatus correſpondet gratiæ, vt primo collatæ, & reparans gratiæ, vt reparanti: ergo. Mai.patet: Nam in hoc diſtinguitur à gradu gloriæ, innocentibus conferendo. Min.conſtat quo ad 2.part. Prob quoad 1. Reparatum eſt, quod prius eſt collatum, & poſtea interruptum, recuperatur, vt iterum detur; ſed gradus gloriæ ſic reparatus, erat collatus, ſive deſtinatus gratiæ, vt primo collatæ: ergo.

8 Prob. 2. concluſ. ratione: Gratia, ratione cuius confertur gloria prædeſtinato, eſt effectus elicitus prædeſtinationis; ſed ratione gratiæ, vt primo collatæ, etſi poſtea interruptæ, confertur gloria prædeſtinato: ergo. Mai. eſt certa: Cum de facto ſit medium efficax ad gloriam. Probat. min. Gloria confertur prædeſtinato ratione gratiæ, à qua habet

ius

ius ad gloriam, dum eam recipit; ſed ratione gratiæ, vt primo collatæ, habet tale ius: ergo. Prob. minor. Gratia, vt primo collata, tribuit prædeſtinato ius ad gloriam; ſed hoc ius perſeverat, dum recipit gloriam: ergo. Prob. min. Tale ius non fuit totaliter extinctum per peccatum, ſed interruptum, & mortificatum: manens tamen in propoſito divino; ſed tale ius perſeverat, ablato impedimento, vt aufertur per pœnitentiam: ergo. Quæ doctrina fundatur in allegata: Nam merita mortificata peccato, reviviſcunt pœnitentia: quia ea aufertur impedimentum; illaque à Deo in gloria premiantur; quorum ius interea non erat extinctum, ſed impedimentum; in propoſito autem Dei reſervatum, vt ablato obſtaculo, ratione illius premiarentur.

9 Dices: Quod tale ius reddit per pœnitentiam, & ratione gratiæ recuperatæ. Cont. Nec pœnitentia, nec gratia reparans, ſive recuperata, reddit illud ius gratiæ, vt primo collatæ, ſed aufert impedimentum, vt cum effectu ratione ſui iuris perducat ad gloriam; ergo. Prob ant. Gradus gloriæ correſpondens gratiæ, vt primo collatæ, erat ei debitus ratione ſui valoris intrinſeci, quem habuit ab initio ſuæ infuſionis, vt perduceret ad gloriam; ſed nec pœnitentia, nec gratia reparans præbet ei valorem intrinſecum, ſed aufert impedimentum quo detinebatur, vt perduceret ad gloriam: ergo. Roboratur Gratia amiſſa per peccatum, vt primo collata, habet in prædeſtinato aliquem gradum gloriæ: ergo ratione ſui iuris perducit prædeſtinatum ad illum: Sicque eſt effectus elicitus prædeſtinationis. Prob. ant. Ultra gloriam correſpondentem gratiæ, in qua prædeſtinatus per pœnitentiam reſurgit, confertur ei gloria correſpondens gratiæ amiſſæ: ergo. Ant. docetur à Thomiſtis cum Ang. Pręceptore 3. part. quęſt. 89 art. 5.

10 Reſpondebis: Quod gratia, vt primo collata, non conducit cum effectu ad gloriam, ſed vt reſtaurata: Sicque non conſervat ius ad illam, nec eſt effectus elicitus prædeſtinationis. Cont. Gratia, vt primo collata, conducit cum effectu ad gloriam: ergo. Prob ant. Gratia, vt primo collata, conducit ratione iuris ſui: ergo. Prob. ant. Pœnitentia illam reſtaurans, non præbet gratiæ novum ius, ſed præcisè eſt conditio removens impedimentum, vt ratione primi iuris perducat prædeſtinatos ad gloriam: ergo. Ant. patet ex Divo Thoma loc. cit. Nam pœnitentia non vivificat gratiam, nec merita mortifi-

tificata, præbens eis novam vitam, & valorem intrinſecum; ſed ſolum removet impedimentum, vt eadem vita, & valore ſubſiſtant, & perducant in gloriam. Quare Ang. Doct. ſup. illud Joel. 2. *Reddam, &c.* refert Gloſſam aſſerentem: *Non patiar perire vbertatem, quam cum perturbatione animi amiſsiſtis.* Nunc Div. Thomas: *Sed illa vbertas eſt meritum bonorum operum, quod fuit perditum per peccatum: ergo per pœnitentiam reviviſcunt opera meritoria prius facta.*

11 Dices: Quod gratia manet moraliter. Hoc eſt, ſecundum ius ad gloriam. Non phiſicè: Cum ita ſit interrupta, & deperdita. Quare phiſicè ſumpta non erit effectus elicitus prędeſtinationis. Cont. Eo quod gratia primo collata maneat moraliter, & quoad tale ius in acceptatione divina, exigit ſui reſtitutionem ſecundum quantitatem phiſicam, qua primo fuit collata; ſed hoc ipſo phiſicè ſumpta eſt effectus elicitus prædeſtinationis: ergo. Prob. min. Eo ipſo exigit coniungi cum gloria ſecundum quantitatem phiſicam; ſed quod exigit ita coniungi cũ gloria, eſt effectus elicitus prædeſtinationis: ergo.

12 Ex his infertur: Quod gratia, vt interrupta, interruptione prout à Deo, & non prout à culpa, eſt effectus prædeſtinationis. Ita M. Ferre, cum alijs. Probat. prima pars: Interruptio gratiæ paſsivè ſumpta eſt carentia gratiæ, quæ erat in ſubiecto, pro aliquo tempore; ſed hæc carentia, prout a Deo, in prædeſtinato eſt effectus prædeſtinationis: ergo. Prob. minor. Effectus Dei, procedens ex intentione conferendi gloriam prædeſtinato, eſt effectus prædeſtinationis; ſed talis carentia eſt effectus Dei, procedens ex intentione conferendi gloriam prædeſtinato: ergo. Prob. min. Quidquid Deus facit in prædeſtinato eſt effectus Dei, procedens ex intentione conferendi ei gloriam; ſed Deus facit talem carentiam gloriæ in prædeſtinato: ergo. Mai. patet ex dictis. Min. ſupponitur. Secunda autem pars eſt indubitabilis.

13 Arg. 1. Gratia, vt primo collata Adamo in ſtatu innocentiæ, non fuit effectus prædeſtinationis eius; ſed fuit peccato interrupta, & pœnitentia recuperata: ergo gratia ſic interrupta, & recuperata, vt primo collata prædeſtinatis, non eſt effectus ſuæ prædeſtinationis. Prob. mai. Gratia, quæ non eſt effectus prædeſtinationis Chriſti Domini, non eſt effectus propriæ prędeſtinationis; ſed gratia ita collata Adamo in ſtatu innocentiæ, non fuit effectus prædeſtinationis Chriſti Domini: ergo. Maior eſt

certa: Nam Chriſtus eſt prædeſtinatus vt cauſa noſtræ prædeſtinationis, & omnium effectuum eius. Prob.min. Quod antecedit decretũ Incarnationis Chriſti Domini, nõ eſt effectus prędeſtinationis Chriſti; ſed gratia ita collata Adamo in ſtatu innocentiæ, antecesſit decretum Incarnationis Chriſti: ergo. Mai.patet: Nam effectus non antecedit cauſam. Prob.min. Decretum Incarnationis Chriſti fuit poſt præviſionem gratiæ collatæ Adamo in ſtatu innocentiæ: ergo. Prob.ant. Fuit poſt præviſionem peccati originalis; ſed hæc præviſio fuit poſt præviſionem gratiæ collatæ Adamo in ſtatu innocentiæ: ergo. Mai.patet: Nam Chriſtus decretus, & prædeſtinatus eſt vt Redemptor à tali peccato. Min. conſtat: Quia peccatum originale fuit poſt talem gratiam, quæ fuit amiſſa per illud.

14 Reſp. diſt.maior. Fuit in genere cauſæ finalis, nego. maior. Materialis, conc. maior. & min. & ita diſt. conſeq. Licet enim Adamus in genere cauſæ materialis præintelligeretur gratiæ ei collatæ pro ſtatu innocentiæ; & ſimiliter peccatum originale decreto Incarnationis Chriſti, vt Redemptoris. Hoc fuit præintellectum in genere cauſæ finalis, & in ordine intentivo: nam Chriſtus decretus, & prędeſtinatus eſt Caput omniun per quem, & propter quem or nes gratiæ deſcenderent ad cc teros. Cumque hoc ſufficiat, gratia primo collata Adamo p ſtatu innocentiæ ſit effectus pra deſtinationis Chriſti, & Adam ideò eſt, ſicut & gratia interru ta, & recuperata cuiuslibet pr deſtinati. Iuxta aliam opinione conc.ant.& nego conſ.Ratio ei eſt: Quia gratia, ita collata Ad mo pro ſtatu innocentiæ, n fuit ex meritis Chriſti, ſicut fi primo collata alijs prædeſtinat eo quod fuit ante decretum I carnationis, & prædeſtination Chriſti.

15 Cont. In tali opinion gratia ita collata Adamo, n fuit effectus elicitus ſuæ præd ſtinationis: ergo nec gratia primo collata alteri prædeſtin to, & poſtea interrupta, pot eſſe effectus elicitus ſuæ præd ſtinationis. Prob.conſ. Sicut h præbet ius ad gloriam, ita i præbuit; ſed: ergo. Reſp. ne conſ. Ratio eſt: Quia gratia il non fuit primo collata Adar ex intentione efficaci beatifica di illum: Sicquè non conduceb cum effectu, nec efficaciter gloriam eius: Sicut conducit gr tia, vt primo collata alijs præd ſtinatis, licet poſtea interrupt quæ eis fuit conceſſa ex tali i tentione.

16 Cont. Gratia non fuit primo collata Adamo ex intentione efficaci beatificandi illum: ergo nec gratia interrupta alijs prædeſtinatis. Prob. conſ. Sicut illa gratia Adami fuit peccato deperdita, ita collata alijs interrupta; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia nulla gratia collata eſt hominibus ex intentione efficaci beatificandi illos, nec cum effectu conducit ad gloriam eorum, niſi ex meritis Chriſti Domini: Cum Deus habuerit decretum efficax ſalvandi omnes propter ipſum Chriſtum. Cum igitur gratia, vt primo collata Adamo, non fuerit ex meritis Chriſti; bene verò omnis gratia, vt primo collata alijs prædeſtinatis: ideò hæc, & non illa, eſt ita collata. Gratia autem Adami, per pœnitentiam inſtaurata, iam fuit ex meritis Chriſti, & ex intentione efficaci beatificãdi Adamum: atque effectus prædeſtinationis eius.

17 Arg. 2. Gratia prædeſtinati, interrupta per peccatum, eſt effectus elicitus providentiæ ſupernaturalis generalis: ergo etiam vt primo collata; & non eſt effectus elicitus ſuæ prædeſtinationis. Prob. antec. Gratia non prædeſtinati, interrupta per peccatum, eſt effectus elicitus providentię ſupernaturalis generalis: ergo. Prob. conſ. Utraque gratia eſt effectus Dei; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Nam gratia eſt primo collata prædeſtinato ex intentione efficaci conferendi ei gloriam; & conducit cum effectu ad illam. Sic autem non eſt collata non prædeſtinato, cui gloria non eſt conferenda.

18 Cont. Gratia interrupta non eſt primò collata prædeſtinato ex intentione efficaci conferendi ei gloriam: ergo. Prob. ant. Gratia interrupta non eſt primo collata reprobo ex intentione efficaci conferendi ei gloriam: ergo. Prob conſ. Talis gratia videtur communis prædeſtinatis, & reprobis; ſed: ergo. Reſp. diſt. mai. Communis omnimodè, nego mai. Aliquo modo, conc. mai. & min. & nego conſ. Licèt enim talis gratia in collatione, interruptione, & reſtauratione videatur communis prædeſtinatis, & reprobis; non tamen omnimodè: nam in prædeſtinatis, etiam vt primo collata, conducit cum effectu ad conſecutionem gloriæ: quia etſi peccato ad tempus impediatur, manet in voluntate, & propoſito Dei, vt ſublato per pœnitentiam obſtaculo, efficaciter perducat prædeſtinatos ad gloriam: quod nõ evenit in reprobis. Cumque hoc ſufficiat, vt prædeſtinatis, & non reprobis, ſit primo collata ex intẽtione efficaci conferẽdi eis gloriã: ideò ſic collata eſt.

19 Cont. Gratia interrupta non conducit efficaciter ad gloriam prædeſtinati ex vi primæ intentionis, qua ei conceſſa eſt: ergo nec vt primo collata, ſed eſt omnimodè communis prædeſtinatis, & reprobis. Prob.ant. Solum conducit ex vi alterius intentionis ſupponentis eam reſtauratam, vel qua reſtauranda eſt per pœnitentiam: ergo. Reſp. diſt.ant. Quia ſit ratio removens impedimentum, conc.ant. Ratio formalis conducentiæ, nego ant. & conſ. Sicut enim pœnitentia auferens peccatum, removet impedimentum, vt gratia reparata conducat cum effectu, & in executione ad gloriam, ſive conſequatur illam; non tamen eſt ratio formalis, vt conducat, ſed ipſa ex ſe, & ex vi primæ intentionis conducit: ita & intentio, ſive voluntas Dei, vt per pœnitentiam reparetur. Quare vt primo collata, & ex vi primæ intentionis ita conducit.

20 Cont. Gratia ex vi intentionis, qua reparatur conducit ſolum formaliter ad gloriam: ergo. Prob.ant. Non conducit formaliter ex vi intentionis, qua primo collata eſt: ergo. Prob.ant. Poſt intentionem, qua confertur gratia conducens formaliter ad gloriam, non deſiſtit Deus à voluntate beatificandi prædeſtinatum; ſed poſt intentionem, qua primò confert gratiam inte[r]rumpendam, deſiſtit à volu[n]tate beatificandi prædeſtinatu[m] ergo. Probat. minor. Permitt[e]re alicui peccatum, eſt Deu[m] deſiſtere à voluntate beatifican[di] illum; ſed poſt talem intenti[o]nem, permittit Deus prædeſtin[a]to peccatum, quo gratia inte[r]rumpitur: ergo. Prob.mai. E[ſt] relinquere illum peccatorem; ſe[d] Deus non habet voluntatem be[a]tificandi peccatorem: ergo.

21 Reſp. diſt.min. Ut pe[c]catorem, conc.min. Ut præd[e]ſtinatum, nego min. & conſ. Cu[m] Deus permittit peccatum alicu[i] hic ſua culpa conſtituitur pecc[a]tor; & interea, vt talis, eſt in[n]peditus, vt conſequatur gloria[m] Nec Deus vult beatificare illu[m] vt peccatorem. Veruntame[n] cum eſt prædeſtinatus, gratia primo collata, & peccato inte[r]rupta, manet in propoſito div[i]no, & Deus conſervat propoſitu[m] beatificandi illum, etiam ob pr[æ]dictam gratiam: Cum ipſi corr[eſ]pondeat ſpecialis gradus glori[æ]. Cumque hoc ſit, nos deſiſtere voluntate beatificandi illum: id[eo] non deſiſtit, & gratia prim[o] collata, ex vi primæ intentio[nis] conducit, vt ratio formalis, [ad] gloriam.

22 Cont. Intentio beati[fi]candi peccatorem, vt prædeſ[ti]natum, non eſt, qua primo

confert gratiam, ſed qua reſtaurat illam: ergo. Prob.ant. Permiſsio peccati prædeſtinati non eſt effectus imperatus intentionis, qua primo ei confert gratiam, ſed qua reſtaurat illam: ergo. Prob.ant. Permiſsio peccati reprobi non eſt effectus imperatus intentionis, qua primo ei confert gratiam, ſed qua reſtaurat illam: ergo. Prob.conſ. Tam in prædeſtinatis, quam in reprobis pœnitentibus permiſsio peccati fit ex intentione reſtaurandi gratiam, & dona ſupernaturalia per pœnitentiam; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia Deus ex vi primæ voluntatis, & intentionis conferentis primo gratiam prędeſtinato, ordinat omnia illius in gloriam eius: cum conſervet voluntatem beatificandi illum, & gratiam primo collatam in propoſito eius, vt ablato impedimento peccati, eam remuneret. Quare ex illa oritur, & ab ea imperatur permiſsio peccati, cum conducat ad gloriam prædeſtinati. Quod non evenit in reprobo: cum Deus non habeat ſimilem voluntatem beatificandi illum.

23 Arg 3. Si gratia interrupta, vt primo collata, foret effectus elicitus prædeſtinationis, Deus recordaretur illius, & opera eius premiaret; ſed non recordatur, nec premiat; ergo. Prob. min. ex illo Ezechiel. 18. v. 24. *Si autem averterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem: omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.* Rationem reddit Ang. Doctor Heb. 6. lect. 3 dicens: *Et ibi ſubditur: Quia via Domini æqua eſt*: ergo. Reſp. admitto, & explico Sac. Textum cum D. Thoma ita exponente: *Homo, qui cadit poſt gratiam, dupliciter poteſt ſe habere. Vno modo, quod in malo perſeveret, & tunc Deus omnes iuſtitias eius obliviſcitur. Alio modo, quod pœniteat, & tunc bonorum præcedentium recordatur: quia reputantur ſibi ad meritum. Vnde dicit Gloſſa: Quod mortificata reviviſcunt.* Hoc conſtat loc. cit. v. 22. vbi de prædeſtinato pœnitente dicitur: *In iuſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet.*

24 Cont. Deus non recordatur bonorum præcedentium prædeſtinati pœnitentis: ergo nec gratiæ primo ei collatæ. Probat. ant. Si recordaretur eorum, eſſet, quia Deus eſt iuſtus, & iuſtitia requirit recordationem eorum; ſed titulo iuſtitię non recordatur eorum: ergo. Prob. min. Si titulo iuſtitiæ recordaretur eorum, prædeſtinatus mereretur reſurgere à peccato, & ipſam gratiam; ſed non poteſt hoc mereri: ergo. Maior. patet: Nam titulus iuſtitiæ eſt meritorius. Min. eſt indubitabilis.

Reſp.

25 Reſp.diſt.mai.Mereretur condignè,nego mai. De congruo, conc.mai.& diſt.minor. Mereri condignè,conc.min.De congruo, nego min.& conſ. Inſtantiam, & ſolutionem adducit D. Thomas ad Heb. 6. dicens: *Videtur dubium, quia conſtat, quod iuſtitia reſpicit meritum: Si ergo iuſtitia Domini exigit quod Deus non obliviſcatur, ſi pœniteat, ſicut dicit Gloſſa. Ergo cadit ſub merito quod reſurgat à peccato, & ſic meretur gratiam; quod eſt impoſſibile. Reſpondeo dicendum, quod duplex eſt meritum. Vnum quod innititur iuſtitiæ, & iſtud eſt meritum condigni. Aliud quod ſoli miſericordiæ innititur, quod dicitur meritum congrui. Et de iſto dicitur, quod iuſtum eſt, id eſt, congruum, quod homo, qui multa bona fecit, mereatur. Iſta enim miſericordia eſt adiuncta quodammodo iuſtitiæ pluſquam in illo, qui nunquam aliquid fecit. Et iſto modo non obliviſcitur Deus operis noſtri.*

26 Cont. Prædeſtinatus nec meretur de congruo prædicta: ergo. Prob.ant. Si de congruo mereretur illa, gratia vt primo collata maneret cum gloria; ſed non manet: ergo. Mai.eſt certa: Nam in illa ſic perſeverante fundaretur tale meritum, & recordatio divina. Prob.min. Gratia deperdita in via, non manet cum gloria; ſed gratia primo collata eſt deperdita in via: ergo. Min.patet: Cum ſit interrupta peccato. Reſp.diſt.mai. Non manet moraliter, nec in acceptatione Dei, nego mai. Phiſicè, & in ſe, conc. mai.& min.& ita diſt.conſ.

27 Cont. Nec moraliter manet in gloria: ergo. Prob.antec. Gratiæ moraliter manenti in gloria correſpondet, vt premium, aliquid gloriæ; ſed tali gratiæ nil gloriæ correſpondet vt premium: ergo. Prob min. Totum premium gloriæ correſpondet diſpoſitioni, & actui charitatis, quo peccator reſurgit: ergo. Reſp.diſt.ant. Aliquo titulo, conc.ant. Omni, nego ant.& conſ. Licèt totum premium gloriæ correſpondeat aliquo titulo actui charitatis, quo peccator in gratia reſurgit: quia de novo meretur illo ſuam gloriam; aliquid tamen ſuo titulo correſpondet gratiæ, vt primo collatæ, ita permanenti: ad minus gaudium accidentale de operibus prius factis; vt docet Ang. Mag. 3. part. quæſt. 89. art. 5 ad 3. Imo & gloria eſſentialis; vt dicit M. Joan. à S. Thoma, cum communi Thomiſtarum. Cumque hoc convincat, talem gratiam manere moraliter in gloria: ideò manet.

28 Arg. 4. Effectus elicitus prędeſtinationis coniungitur cum perſeverantia finali; ſed gratia, vt primo collata, poſtea interrupta, non coniungitur cum perſeverantia finali; ergo. Prob. min.

Quod

Quod non manet in prædeſtinato finaliter perſeverante, non coniungitur cum perſeverantia finali; ſed talis gratia non manet ſic in eo: ergo. Reſp. diſt. maior. Quod nullo modo manet, conc. mai. Si maneat aliquo modo, nego mai. & diſt min. Non manet phiſice, conc. min. In iure, & exigentia, nego min. & conſ. Gratia enim primo collata, cum ita interrumpitur, non manet phiſice: cum ſic deficiat. Manet autem ius, & exigentia illius reſpectu gloriæ, modo explicato; & coniungitur cum perſeverantia finali, non ratione ſui, ſed ratione gratiæ, quam exigit reſtitui. Cumque hoc ſufficiat, vt ſit effectus elicitus prędeſtinationis; ideò eſt.

29 Cont. Iuxta hoc, ſola gratia, vt reſtituta, eſt effectus elicitus prædeſtinationis: ergo non vt primo collata. Prob. ant. Gratia reſtituta non eſt eadem numero, ac primo collata; ſed gratia reſtituta eſt, quæ coniungitur cum perſeverantia finali, & ideò eſt effectus elicitus prędeſtinationis: ergo. Reſp. diſt. maior. Nec ratione illius reſtituta, nego mai. Et reſtituta ratione illius, conc. mai. & min. & nego conſeq. Licèt gratia reſtituta non ſit eadem numero phiſicè: cum ſit ita diverſa, & diſtincta actione producta. Moraliter, & æquivalenter eſt eadem, ac primo collata; eamque Deus confert ratione huius, quæ exigit ſui reſtitutionem: Sicque ipſa, vt reſtituta, pertinet ad gratiam, vt primo collatam: Cumque hoc ſufficiat, vt illa ſic coniungatur cum perſeverantia finali, & ſit effectus elicitus prædeſtinationis: ideò coniungitur, & eſt.

30 Cont. Gratia non eſt reſtituta ratione gratiæ, vt primo collatæ: ergo. Prob. ant. Gratia eſt reſtituta ex liberalitate Dei: ergo. Reſp. diſt. conſ. De condigno, conc. conſeq. De congruo, nego conſ. Vid. num. 25. & M. Ferre.

31 Cont. Gratia nec titulo congruitatis eſt reſtituta à Deo ratione gratiæ, vt primo collatæ: ergo. Prob. antec. Deus nec tali titulo reſtituit aliquid ratione illius, quod vult deficere; ſed vult deficere gratiam primo collatam: ergo. Maior. patet: Cum videantur voluntates oppoſitæ: velle deficere aliquid, & velle reſtituere ipſum, vel aliquid ratione ipſius. Min. conſtat: Cum deficiat in caſu præſenti. Reſp. diſt. mai. Deficere omnimodè, conc. mai. Aliquo modo, nego maior. & diſt. min. Phiſicè, conc. minor. In acceptatione divina, nego min. & conſ. Dum enim gratia peccato interrumpitur, deficit phiſicè ob culpam peccantis, ratione incompatibilitatis cum peccato;

Quomodocumque autem ſit voluntas divina, vt deficiat, illam in ſua acceptatione ſervat, vt in prædeſtinato premiet. Cumque hoc ſufficiat, vt ratione ipſius, tali titulo congruitatis gratiam reſtituat: ideò ſic illam reſtituit.

32 Arg.5. Gratia prædeſtinati, vt reparata, eſt effectus elicitus prædeſtinationis: ergo non vt primo collata. Probat.conſeq. Unica gratia eſt effectus elicitus prædeſtinationis; ſed gratia, vt reparata, quæ eſt effectus elicitus prædeſtinationis, non eſt eadem cum gratia primo collata: ergo. Reſp.diſt.mai. Unica phiſicè, & entitativè, nego mai. Moraliter, & æquivalenter, conc.maior. & diſt.min. Eadem phiſicè, & entitativè, conc.min. Moraliter, & æquivalenter, nego min. & conſ. Licèt vnica, & eadem ſpecificè gratia ſit effectus elicitus prædeſtinationis; in prædeſtinato, qui peccavit, non eſt vnica, & phiſicè, ac entitativè eadem numero: Cum ita ſit diverſa, gratia reſtituta à gratia primo collata. Sufficit enim, quod æquivalenter, & moraliter ſit eadem, adveniens ſub ſimili diſpoſitione. Cumque ita ſit, & adveniat reſtituta: ideò ita, & vt primo collata, eſt effectus elicitus prædeſtinationis.

33 Cont. Unica, & eadem gratia phiſicè, & numericè eſt effectus elicitus prædeſtination in prædeſtinato peccante: erg Prob.ant. Unica, & eadem gratia phiſicè, & numericè eſt effectus elicitus prædeſtinationis i prædeſtinato non peccante: erg Prob.conſ. Gratia vtriuſque e ſimilis; ſed: ergo. Reſpond.neg conſ. Ratio eſt: Quia in prædeſtinato non peccante perſevera eadem phiſicè, & numero grati primo collata: cum nunquam ſi amiſſa. In peccante autem non cum amiſſa fuerit, & reſtitut ſit.

34 Cont. Licèt gratia reſtituta ſit ita diverſa, vnica grati phiſicè, & numericè eſt effectu elicitus prædeſtinationis in prædeſtinato peccante: ergo. Prob ant. Effectus elicitus prædeſtinationis etiam in prædeſtinato peccante eſt vnicus: ergo.Prob.conſ Ipſa gratia eſt effectus; ſed: ergo Reſp.diſt.min. Effectus formaliter, conc.min. Materialiter, nego min. & conſ. Effectus gratia in prædeſtinatione hominis peccantis variè poteſt conſiderari. S conſideretur paſsivè, terminativè, & ex parte gratiæ productæ non eſt phiſicè, nec entitativ idem numero: nam ſic grati primo collata, & reſtituta eſt diverſa. Si ex parte ſuæ productionis, idem evenit: cum reſtituti ſit diverſa à prima collatione. S ſumatur pro ordine, reſpectu, & con-

conducentia ad gloriam; ſic videtur idem, ſaltim æquivalenter, moraliter, & formaliter, licèt non materialiter: nam talis ordo, reſpectu, & conducentia incipit in gratia, vt primo collata, & continuatur in gratia reſtituta. Sicut locus dicitur idem, etſi ſuperficies materialiter varientur: quia formaliter non variantur, cum adveniant ſub eadem diſtantia, & ſub eodem ordine. Et ſimiliter vivens: quia ita deperduntur, & ſuccedunt partes ſubſtantiæ. Cum igitur hoc eveniat, quin gratia phiſicè, & entitativè ſit eadem numero, ſed æquivalenter, & moraliter: ideò eſt eadem hoc modo, & non illo.

35 Arg. 6. Gratia ſub ſtatu interruptionis non eſt effectus prædeſtinationis; ſed gratia, vt interrupta, eſt gratia ſub ſtatu interruptionis: ergo vt interrupta non eſt effectus prædeſtinationis. Prob.mai. Gratia ſub ſtatu continuationis eſt effectus prædeſtinationis: ergo. Prob.conſeq. Gratia ſub duplici ſtatu oppoſito non eſt effectus prædeſtinationis; ſed ſtatus continuationis gratiæ, & interruptionis ipſius ſunt oppoſiti: ergo. Reſp.diſt.mai. Effectus diverſo modo, nego mai. Eodem conc.mai.& min.& diſt. conſ. Effectus elicitus, conc.conſ. Imperatus, nego conſeq. Gratia etenim ſub duplici ſtatu prædicto, ita oppoſito, non eſt effectus elicitus prædeſtinationis: cum ſub eo ſic non intendatur: Ut continuata vtique eſt effectus elicitus: cum ita ſit intenta. Ut interrupta verò eſt effectus imperatus: cum ſic imperetur à Deo, qui omnia etiam gratiæ interruptionem, ordinat in bonum prædeſtinati. Et cum hoc non dicat incompatibilitatem: ideò ſic eſt effectus prædeſtinationis.

36 Cont. Gratia, vt interrupta, non eſt effectus elicitus prædeſtinationis: ergo nec imperatus. Prob.conſ. Uterque effectus eſt à Deo; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt inſinuata: Nam effectus elicitus intenditur per ſe; non tamen imperatus. Hic enim eſt quodlibet conducens, & ordinabile ad gloriam, vt finem prædeſtinationis. Cumque gratia, vt interrupta, non intendatur per ſe à Deo, & conducat ad talem finem: cum pro aliquo tempore ſit carentia gratiæ, quæ non intenditur, ſed ita conducit, & ordinatur: ideò eſt effectus elicitus, etſi non imperatus.

37 Cont. Gratia, vt interrupta, non conducit, nec eſt ordinabilis ad finem prędeſtinationis: ergo. Prob.ant. Interruptio gratiæ non conducit, nec eſt ordinabilis ad finem prædeſtinatio-

nis: ergo. Prob. ant. Malum non conducit, nec eſt ordinabile ad finem prædeſtinationis; ſed interruptio gratiæ eſt mala: ergo. Reſp. diſt. min. Interruptio gratiæ prout à culpa, conc. minor. Prout à Deo, nego minor. & conſeq.

38 Cont. Interruptio gratię, prout à Deo, non conducit, nec eſt ordinabilis ad finem prędeſtinationis: ergo. Prob. antec. Sola gratia conducit, & eſt ordinabilis ad finem prædeſtinationis; ſed interruptio gratiæ, prout à Deo, non eſt gratia: ergo. Prob. min. Defectus gratiæ non eſt gratia; ſed interruptio gratiæ, prout à Deo, eſt defectus gratiæ: ergo. Reſp. diſt. min. Gratiæ iuſtificantis, & rigoroſæ, conc. min. Latæ, nego min. & ita diſt. conſ. Gratia rigoroſa, & iuſtificans conſtituit hominem Sanctum. Gratia lata eſt quodlibet ordinatum à Deo in bonum prædeſtinati. Interruptio enim prædicta eſt defectus gratiæ iuſtificantis, & rigoroſæ: Sicquè non eſt ſimilis gratia. Non tamen eſt defectus gratiæ latæ, & ita conſideratæ. Et cum hæc gratia ſufficiat, vt aliquid conducat, & ſit ordinabile à Deo in finem prædeſtinationis: ideò ſic conducit, & eſt ordinabilis talis interruptio.

## ARTICULUS IV.

### *VTRVM VOCATIONES inefficaces ſint effectus Prædeſtinationis.*

1 PRÆMITTO: Quod vocatio efficax eſt: quæ infert infallibiliter effectum: vt vocatio Pauli. Inefficax: quæ eſt ſufficiens inferre, ſed non infert, quia vocatus reſiſtit: Ut exhortatio Prædicatoris non admiſſa. Certum quidem eſt: quod vocationes efficaces ſunt effectus ſpecialis prædeſtinationis: nam ad Rom. 8. vocatio aſsignatur à D. Paulo primus effectus illius, dum ait: *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit*. D. Thomas lect. 6. *Primum autem, in quo incipit prædeſtinatio impleri, eſt vocatio hominis. Et etiam hæc vocatio eſt efficax in prædeſtinatis.*

2 Probatur quoque ratione: Beneficium, quo prædeſtinatus certiſsimè liberatur, & conſequitur gloriam, eſt effectus ſpecialis ſuæ prædeſtinationis; ſed vocationes efficaces ſunt huiuſmodi: ergo. Maior patet ex definitione prædeſtinationis. Minor conſtat: Cum inter præcipua beneficia numeretur vocatio efficax ad fidem, ad gratiam, & ad actus, quibus prædeſtinatus promeretur

glo-

gloriam. Vnde Iſai 41.v.2. dicitur: *Quis ſuſcitavit ab Oriente iuſtum, vocavit eum vt ſequeretur ſe?* Et D. Thomas loc.cit. Rom. addit: *Et hæc vocatio neceſſaria eſt: quia cor noſtrum non ſe ad Deum converteret, niſi ipſe Deus nos ad ſe traheret.* Joan.6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum.* Et loquitur de vocatione interiori efficaci. Præterea: Aliqua vocatio eſt effectus ſpecialis prædeſtinationis; ſed inter omnes maximè debet eſſe efficax: ergo. Mai. conſtat ex allegatis. Prob.min. Vocatio in re,& cum effectu conducens infallibiliter ad conſecutionem gloriæ, eſt maximè effectus ſpecialis prædeſtinationis; ſed vocatio efficax in re, & cum effectu conducit infallibiliter ad conſecutionem gloriæ: ergo.

3 Concluſio: Vocationes inefficaces ſunt effectus ſpecialis prædeſtinationis. Ita communiter Thomiſtæ; & Scotiſtæ, vt refert Bilb.Hernandez; & multi alij: licèt negent P. Vazq. Valentia, Salmeron, & Albiz. Conſtat ex illo Rom. 8. v. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti*; ſed inter *omnia* numerantur vocationes inefficaces ad fidem, pœnitentiam, & ad aliud bonum, factæ prædeſtinatis, qui ita ſunt Sancti: ergo illæ cooperantur ipſis in bonum; in quo ſtat effectus ſpecialis prædeſtinationis. Unde Div. Thomas ait: *Et hoc rationabiliter: quia vt dicitur Prov 8. Ego diligentes me diligo. Diligere eſt bonum velle dilecto. Dei autem velle eſt operari. Omnia quæcumque voluit, fecit, vt in Pſal.dicitur: Et ideò Deus omnia convertit in bonum his, qui eum diligunt.*

4 Illuſtratur: Donum ſupernaturale, conducens ad conſecutionem gloriæ, & proveniens ex propoſito Dei efficaci præbendi illam, eſt effectus ſpecialis prædeſtinationis; ſed vocationes inefficaces ſunt huiuſmodi: ergo. Prob.min. Omne ſupernaturale, cooperans ad bonum prædeſtinatis, conducit ad conſecutionem gloriæ, & provenit ex tali propoſito efficaci præbendi illam; ſed vocationes inefficaces ſunt donum ſupernaturale,in omnibus contentum, ita cooperans: ergo. Mai. patet: Cum tale propoſitum ſit prædeſtinativum.

5 Reſpondebis: Quod intelligitur de vocatione efficaci. Non de inefficaci,quæ non cooperatur in bonum: cum reſiſtatur,& non inferat rectum conſenſum voluntatis, aliunde foret efficax: Sicque non conducit cum effectu ad gloriam, nec eſt effectus prædeſtinationis. Cont. Licèt vocatio inefficax reſiſtatur, cooperatur in bonum prædeſtinatis: ergo.

 Prob.

Prob.ant. Incentivum gratitudinis, humilitatis, aut alterius boni prædeſtinati, cooperatur in bonum prædeſtinato; ſed vocatio inefficax, quæ reſiſtitur, revocata in memoriam prædeſtinati efficaciter vocati, eſt illi huiuſmodi incentivum: ergo. Minor. patet: Cum ſit occaſio, vt ſit gratior Deo, & vt fiat humilior, & melior: vt docet, & in ſe expertus fuit P.M Aug.lib. 6. Confeſſ. cap.11.

6 Probat. concluſ. ratione: Omne bonum, cauſatum à Deo ex fine prædeſtinationis, eſt effectus ſpecialis prædeſtinationis; ſed vocationes inefficaces ſunt bonum, cauſatum in prædeſtinatis à Deo ex fine prędeſtinationis: ergo. Min.quoad 1. & 2. part.eſt certa.Prob.quoad 3. Omne, quod eſt in bonum prædeſtinatorum, cauſatur à Deo ex fine prædeſtinationis; ſed vocationes inefficaces ſunt in bonum prædeſtinatorum: ergo. Mai. patet ex Apoſtolo: Cum ſit ex propoſito, ex quo ſunt prædeſtinati, & Sancti. Min.conſtat: Cum omnia eis cooperentur in bonum. Dices: Omnia efficacia eis cooperari in bonum. Non tamen inefficacia: aliunde forent efficacia, cum haberent infallibiliter talem cooperationem.

7 Cont. Etiam vocatio inefficax cooperatur in bonum prędeſtinatis: ergo. Prob.ant. Licèt vocatio inefficax non convertat prædeſtinatum, emolit cor illius, & paulatim diſponit illud, vt cum auxilio efficaci facilius convertatur; ſed hoc eſt cooperari in bonum prædeſtinatis: ergo. Maior. patet in exhortatione, & correctione. Quare S.Joan. Chriſoſt. Tom 2. Hom. Lazari in fine docet: *Fratrem ſæpe eſſe corrigendum, quia correctio, quæ ſemel non ſortitur effectum, ſortitur ſæpius repetita.* Unde ſequitur: quod talis vocatio eſt inefficax quoad effectum ſpecialem, pro quo eſt; ſive quo ad converſionem: & ſuo modo eſt efficax quoad talē cooperationem.

8 Ex his infertur: Quod omnia conſecuta ad gratiam, & gloriam, ſunt effectus eliciti prædeſtinationis: cum ſic pertineant ad eandem providētiam prædeſtinativam. Hæc reſolutio eſt communis. Similiter ſunt effectus eliciti vocationes efficaces, gratia, iuſtificatio, & merita, etiam interrupta. Prob.ratione: Quod per ſe procedit à prædeſtinatione, eſt effectus elicitus prædeſtinationis; ſed prædicta per ſe procedunt à prædeſtinatione: ergo. Probat. minor. Omnia, vt connexa cum gloria, vt corona, per ſe procedunt à prædeſtinatione; ſed prædicta poſſunt conſiderari vt connexa cum gloria, vt corona: ergo. Mai. patet; Cum prædeſtinatio-

ordinet media pro gloria, vt corona. Min.conſtat art.ant. Cum Deus premiet prædicta in collatione gloriæ, vt coronæ.

9 Arg.1. Si vocatio inefficax foret effectus ſpecialis prædeſtinationis, Deus vocaret inefficaciter prædeſtinatos; ſed non vocat inefficaciter prædeſtinatos: ergo. Prob.min. Deus vocat efficaciter prædeſtinatos: ergo. Ant. patet: Cum efficaciter eligat eos ad gloriam. Reſp.diſt.ant. Omni vocatione, nego antec. Aliqua, conc.ant.& diſt.ſimiliter conſeq. Si prædeſtinatio ſumatur pro vocatione, eſt vocatio efficax, ſicut electio. Preterea Deus vocat efficaciter prædeſtinatos ad fidem; & poſt peccatum, ad pœnitentiam; & infallibiliter vocabit eos ad finalem. Aliquando autem vocat etiam inefficaciter aliquos exhortatione, admonitione, & correctione, cui reſiſtunt. Et cum hæc vocatio ſit quoque effectus ſpecialis prędeſtinationis: ideò eſt.

10 Cont. Deus nulla vocatione inefficaci vocat prędeſtinatos: ergo. Prob.ant. ex D.Aug.lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 16. dicente: *Quod vocat Deus prædeſtinatos multos filios ſuos, vt eos faciat membra prædeſtinati vnici Filij ſui, non ea vocatione, qua vocati ſunt, qui noluerunt venire ad nuptias*; ſed hi ſunt vocati vocatione inefficaci: ergo. Reſp. admitto, & explico author. de vocatione præcipua, per ipſam prædeſtinationem facta; quæ eſt efficax, ſicut & prædeſtinatio; & diverſa ab aſsignata inefficaci. Cui cohæret, vt alijs vocationibus inefficacibus vocet aliquando prædeſtinatos.

11 Cont. Deus nulla vocatione inefficaci vocat prędeſtinatos: ergo. Prob.ant. Deus non vocat prædeſtinatos, niſi vocatione conducente cum effectu ad ſalutem; ſed vocatio conducens cum effectu ad ſalutem, non eſt inefficax, ſed efficax: ergo. Reſpond.diſt.maior. Conducente ſemper phiſicè, & effectivè, nego mai. Sic, vel moraliter, aut occaſionaliter, conc.mai. & diſt. min. Conducens phiſicè, & effectivè, conc.min. Moraliter, vel occaſionaliter, nego min.& conſ. Vocatio conducens phiſicè, & effectivè ad ſalutem, conducit per ſe, ratione ſui, & ex natura ſua ad illam. Conducens moraliter, aut occaſionaliter non, ſed ratione alterius. Illa enim eſt efficax. Hæc autem inefficax. Cumque Deus aliquando vocet ſimili vocatione prædeſtinatos: ideò eos ſic vocat vocatione inefficaci. In reprobis tamen ſimilis vocatio inefficax ita non conducit, adhuc per accidens, nec ratione alterius: nam pro eis non eſt vocatio efficax, ratione cuius conducat; nec propoſitum efficax perducendi

di illos ad gloriam, à quo oriatur, & cuius ſit effectus.

12 Cont. Non ſufficit, quod aliquid conducat occaſionaliter ad ſalutem prædeſtinati, vt ſit vocatio inefficax: ergo nec prædicta eſt. Prob. antec. Peccatum conducit occaſionaliter ad ſalutem prædeſtinati; ſed non eſt vocatio inefficax peccatoris: ergo. Mai. patet: Siquidem conducit vt occaſio, vt prædeſtinatus reſurgat ab illo cum maiori humilitate: quod eſt conducere ita ad eius ſalutem. Reſp. diſt. maior. Conducit ex intentione ſuæ productionis, nego mai. Aliter, conc. mai. & min. & ita diſt. conſeq. Ut aliqua enim ſit vocatio inefficax, debet eſſe effectus Dei, & in prædeſtinato provenire ex intentione divina conferendi ei gloriam, atque ex intentione ſuæ productionis habere conducentiam ad ſalutem. Cumque hoc habeat aſsignata vocatio, & non peccatum: ideò ſola illa eſt vocatio inefficax.

13 Arg. 2. Vocatio inefficax in prædeſtinatis non eſt effectus prædeſtinationis: ergo. Probat. ant. Eſt effectus providentiæ ſupernaturalis generalis: ergo. Prob. ant. In reprobis eſt effectus providentiæ ſupernaturalis generalis: ergo. Prob. conſ. Sicut reſiſtitur à reprobis, ita à prædeſtinatis; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia reſpectu reproborum non eſt alia providentia ſupernaturalis, niſi generalis, à qua poſsit provenire. Reſpectu autem prædeſtinatorum eſt prædeſtinativa, à qua provenit, cum ex ea oriatur.

14 Cont. Licèt ſit providentia prædeſtinativa reſpectu prædeſtinatorum, vocatio inefficax eorum non eſt effectus illius, ſed providentiæ ſupernaturalis generalis: ergo. Prob. antec. Effectus communis aliquibus, provenit à cauſa, & providentia illis communi; ſed vocatio inefficax eſt effectus communis illis, ſicut & providentia ſupernaturalis generalis: ergo. Reſp. diſt. min. Secundum ſe, conc. min. Ut conducens ad gloriam, & vt connexa cum illa, vt corona, nego min. & conſ. Licèt vocatio inefficax ſecundum ſe ſit communis prædeſtinatis, & reprobis; vt conducens tamen ad gloriam, & vt connexa cum illa, vt corona, eſt ſpecialis prædeſtinatis. Cumque vt ſpecialis proveniat à providentia ſpeciali de gloria, quæ eſt prædeſtinativa: ideò provenit ab hac, etſi in reprobis proveniat à ſupernaturali generali.

15 Cont. Vocatio inefficax fit ſecundum ſe in prædeſtinatis, & non vt conducens ad gloriam: ergo vt communis ipſis, & reprobis. Prob. ant. Vocatio ineffi-

cax

cax prædeſtinatorum, ſicut & reproborum, eſt effectus voluntatis antecedentis Dei; ſed ſolum ſecundum ſe, & non vt conducens ad gloriam, eſt effectus talis voluntatis: ergo. Reſp. diſt. mai. Ut coniunctæ cum conſequente, conc. maior. Ut non coniunctæ, nego mai. & diſt. minor. Ut non coniunctæ, conc. min. Ut coniunctæ, nego min. & conſ. Vocatio enim inefficax prædeſtinatorum non eſt effectus ſolius voluntatis antecedentis, qua Deus vult omnes ſalvos fieri; ſed illius, vt coniunctæ cum voluntate conſequente prædeſtinativa, qua vult prædeſtinatos cum effectu ſalvari. Cumque hoc modo conducat ad gloriam, & ſit connexa cum gloria, vt corona: ideò ita ſit, & non vt communis.

16 Cont. Vocatio inefficax prædeſtinatorum eſt effectus ſolius voluntatis antecedentis Dei, & non illius, vt coniunctæ cum conſequente: ergo. Prob. antec. Vocatio inefficax reproborum eſt effectus ſolius voluntatis antecedentis Dei, & non illius, vt coniunctæ cum conſequente: ergo. Prob. conſ. Ex voluntate antecedente Dei, qua vult omnes ſalvos fieri, oriuntur vocationes cunctis communes; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia Deus non habet voluntatem conſequentem, nec efficacem gloriæ reproborum, ſicut habet prædeſtinatorum. Quare vocatio inefficax reproborum eſt effectus ſolius voluntatis antecedentis, & non vt coniunctæ cum conſequente, ſicut in prædeſtinatis.

17 Cont. Licèt Deus habeat voluntatem conſequentem gloriæ prædeſtinatorum, & non reproborum, vocatio inefficax prædeſtinatorum eſt effectus ſolius voluntatis antecedentis, & non ipſius, vt connexæ cum conſequente: ergo. Prob. ant. Aliquis effectus debet aſsignari in prædeſtinatis ſolius voluntatis antecedentis prædictæ; ſed hic eſt vocatio inefficax: ergo. Prob. mai. Aliquis effectus debet aſsignari voluntatis diverſæ; ſed talis voluntas antecedens eſt diverſa à conſequente prædicta: ergo.

18 Reſp. diſt. mai. Effectus materialiter diverſus, nego mai. Formaliter, conc. mai. & min. & nego conſ. Effectus poteſt ſumi formaliter pro formalitate, ſub qua correſpondet cauſæ. Et materialiter pro ſua entitate. Et licèt diverſæ cauſæ, & voluntatis debeat aſsignari effectus formaliter diverſus: cum in effectu debeat eſſe diverſa ratio, & formalitas ei correſpondens; non verò materialiter diverſus: præcipue, cum vna eſt coniuncta cum alia in productione ſui effectus, qui imperatur ab ea, vt principalis;

vt evenit in præſenti. Quare in prædeſtinatis eadem vocatio inefficax eſt effectus talis voluntatis antecedentis, & conſequentis, cum qua, vt præcipua coniungitur, & à qua effectus eius imperatur. Secundum ſe conſiderata eſt effectus antecedentis; & vt conducens ad gloriam, & connexa cum illa, eſt effectus conſequentis. Cumque ita non ſit effectus ſolius voluntatis antecedentis, ſed illius, vt coniunctæ cum conſequente, quomodo iam eſt effectus prædeſtinationis: ideò ita eſt.

19 Cont. Aliquis effectus formaliter, & materialiter diverſus debet aſsignari prædictæ voluntatis antecedentis: ergo Prob. ant. Cauſæ omnino diverſæ debet aſsignari effectus formaliter, & materialiter diverſus; ſed prædicta voluntas antecedens eſt cauſa omnino diverſa à conſequente: ergo. Mai. patet in alijs cauſis. Minor. conſtat: Cum ſit inefficax, & conſequens ſit efficax. Reſp. diſt. maior. Cum ſola producit effectum, conc. maior. Cum non ſola, nego mai. & diſt. min. Non ſola producens, conc. min. Sola, nego min. & conſ. Cum cauſa omnino diverſa ab alia, ſola producit effectum, debet ei aſsignari effectus, etiam materialiter diverſus. Secus cum producit coniuncta cum alia. Et cum in prædeſtinatis ſola prædicta voluntas antecedens, & providenti ſupernaturalis generalis non producat effectum, nec vocationen efficacem, ſed vt coniuncta cun voluntate conſequente, & providentia prædeſtinativa: nam ſpeciali Dei diſpoſitione, eis nullun donum gratiæ eſt conceſſum e: vi ſolius voluntatis antecedentis & providentiæ generalis, ſe omne ſimul eſt collatum ex v conſequentis, & prędeſtinationis ideò prædictæ voluntati, & providentiæ non correſpondet effectus materialiter diverſus.

20 Cont. Talis voluntas antecedens ſola producit effectum: ergo. Prob. antec. Non producit effectum vt coniuncta cum conſequente: ergo. Prob. antec. Si vt coniuncta cum conſequente produceret effectum, non foret voluntas antecedens, ſed conſequens; ſed eſt antecedens, & non conſequens: ergo. Minor. patet: Nam Deus habet hanc voluntatem antecedentem reſpectu omnium, etiam prædeſtinatorum. Prob. mai. Voluntas inferens infallibiliter vltimum effectum, non eſt antecedens, ſed conſequens; ſed vt coniuncta cum voluntate conſequente inferret infallibiliter vltimum effectum: ergo. Prob. min. Inferret infallibiliter ſalutem prædeſtinatorum; ſed hæc ſalus eſt vltimus effectus voluntatis

tis prædictæ: ergo. Reſp. diſt. mai. Inferret ratione ſui, nego mai. Ratione conſequentis, conc. mai. & min. & ita diſt. conſeq. Voluntas enim conſequens ratione ſui infert effectum vltimum: nam reſpicit illum cum circunſtantijs. Cumque prædicta ratione ſui non inferat illum, ſed ratione conſequentis, cui eſt adiuncta: eo quod ratione ſui ſolum reſpiciat eum ſecundum ſe: ideò non eſt conſequens, ſed antecedens.

21 Arg. 3. Effectus prædeſtinationis conducit ad finem prædeſtinationis; ſed vocatio inefficax non conducit ad finem prædeſtinationis: ergo. Prob. minor. Finis prædeſtinationis eſt gloria; ſed vocatio inefficax non conducit ad gloriam: ergo. Prob. min. Conducens ad gloriam, habet aliquem influxum in conſecutionem gloriæ; ſed vocatio inefficax nullum influxum habet in conſecutionem gloriæ: ergo. Prob. min. Habens influxum in conſecutionem gloriæ, non deficit in ſuo effectu; ſed vocatio inefficax deficit in ſuo effectu: ergo. Maior. patet: Nam talis influxus eſt effectus eius. Minor. conſtat: Quia ideò eſt inefficax.

22 Reſp. diſt. maior. Habens ratione alterius, & vt ad memoriam reductum, nego mai. Ratione ſui, & vt exiſtens in ſe, conc. mai. & min. & ita diſt. conſ. Licèt enim habens ratione ſui, & vt in ſe exiſtens, & conſideratum, influxum quaſi immediatum in conſecutionem gloriæ, non deficiat in ſuo effectu, quem ſortitur, cum ſit efficax; deficit in illo habens influxum ratione alterius, & vt in memoriam reductum. Cumque vocatio inefficax habeat talem influxum ratione efficacis, & vt in memoriam reducta, & revocata: ideò poteſt deficere in ſuo effectu, & nihilominus conducere ad gloriam, quæ eſt finis prædeſtinationis: Sicque eſt huius effectus.

23 Cont. Vocatio inefficax nec ratione alterius, nec vt in memoriam revocata, habet influxum in conſecutionem gloriæ: ergo. Prob. ant. Habens ſic talem influxum, non deficit in ſuo effectu; ſed vocatio inefficax deficit in ſuo effectu: ergo. Min. patet: Cum deficiat in tali influxu, & conſecutione. Reſp. diſt. maior. Effectu ſpeciali, nego mai. Vltimo, & communi, conc. maior. & diſt. min. Speciali, conc. minor. Vltimo, & communi, nego min. & conſ. Effectus ſpecialis vocationis inefficacis prædeſtinati eſt particularis, pro quo datur: Vt converſio ad fidem, & reductio ad pœnitentiam. Vltimus, & quaſi communis, eſt gloria conſequenda. Et licèt deficiat in effe-

ctu ſpeciali: nam propterea eſt inefficax, & diſtinguitur à vocatione efficaci: & quia hæc ratione ſui habet talem influxum; non deficit in vltimo, & communi: cum habeat talem influxum, & ordinem ad illum à propoſito, & decreto efficaci prædeſtinationis. Cumque hoc ſit, vocationem inefficacem ita influere: ideò ſic influit.

24 Cont. Vocatio inefficax deficit in effectu vltimo, & communi: ergo. Prob. ant. Deficit in effectu ſpeciali: ergo. Prob. conſ. Deficiens in effectu priori, deficit in ſubſequente; ſed vocatio inefficax deficit in effectu ſpeciali, qui eſt prior, poſt quem ſubſequitur communis, & vltimus: ergo. Reſp. diſt. mai. Deficiens, & aliquo modo permanens, nego mai. Nullatenus, conc. mai. & diſt. minor. Deficit, permanens aliquo modo, conc. min. Nullatenus, nego min. & conſ. Cauſa enim nullatenus permanens, & deficiens in effectu ſpeciali ita priori, ita deficit in ſequenti, & vltimo: nam cauſa, quæ nullatenus eſt, non producit effectum. Si verò permaneat æquivalenter, moraliter, & vt in memoriam revocata; etſi deficiat in effectu ſpeciali, & priori, non deficit in vltimo, & communi: imò in caſu præſenti, propterea influit in hunc: nam prædeſtinatus ex memoria ſuæ reſiſtentiæ vocationi inefficaci Dei, conſurgit humilior, & gratior, dum vocatione efficaci convertitur: Sicque inefficax influit, ſive conducit ad conſecutionem gloriæ, & non deficit in tali effectu.

25 Cont. Poteſt evenire, quod vocatio inefficax, deficiens in effectu ſpeciali, nullatenus permaneat: ergo tunc deficiet in vltimo, & communi. Prob. ant. Poteſt evenire, quod non revocetur in memoriam: ergo. Prob. ant. Poteſt evenire, quod ſæpe inefficaciter vocatus, ſemperque reſiſtens, ſubito convertatur, & ſtatim moriatur: ſive ad martyrium raptus, conſequatur gloriam; ſed tunc non omnes vocationes inefficaces revocarentur in eius memoriam: ergo. Min. patet: Nam videtur impoſsibile in tam brevi morula.

26 Reſp. diſt. min. In particulari, conc. min. In confuſſo, nego min. & ita diſt. conſ. Non enim eſt neceſſe, quod omnes vocationes inefficaces in particulari, & diſtinctè occurrant memorię prędeſtinati in via, vt concurrant ſic ad conſecutionem gloriæ: cum hoc, nedum in tali caſu, verum & in quolibet, poſt longam vitam, videatur difficile. Sufficit vtique, quod occurrant ei in confuſſo, vt memoretur, quod aliquando, vel ſæpe reſtitit eis.

Cum-

Cumque in caſu relato iam occurrant ei in confuſo: ideò ita permanent, & non deficiunt in effectu vltimo, & communi prædeſtinationis. Sic M. Ferre. Et Illuſt. Godoy ait: quod licèt non occurrant diſtinctè in via, occurrent in patria: cum beatus videat eas in Verbo; & exinde excitatur ad reddendas gratias Deo, qui, non obſtanti ſua reſiſtentia, vocavit eum efficaciter, & perduxit in gloriam. Quod ſufficit, vt non deficiant in tali effectu, & ſint effectus prædeſtinationis: nam omnia conſequentia beatitudinem, ſunt effectus illius.

27 Arg. 4. Solum donum perſeverantiæ finalis, & gloria ſunt effectus elicitus prædeſtinationis: ergo alia dona, vocationes efficaces, & gratia interrupta non ſunt effectus eliciti. Prob. ant. Effectus elicitus prædeſtinationis petit per ſe procedere ab illa; ſed ſolum donum perſeverantiæ finalis, & gloria petunt per ſe procedere à prædeſtinatione: ergo. Mai. eſt certa: Nam effectus, & actus elicitus alicuius virtutis, petit per ſe procedere à tali virtute. Prob. min. Alia dona non petunt per ſe procedere à prædeſtinatione: ergo. Prob. ant. Dona communia prædeſtinatis, & reprobis, non petunt per ſe procedere à prædeſtinatione; ſed alia dona ſunt communia illis; ergo. Mai. patet: Nam deberent procedere à cauſa eis communi. Min. conſtat: Cum omnia poſsint eſſe in reprobis, præter perſeverantiam finalem, & gloriam. Reſp. diſt. min. Dona ſecundum ſe, conc. min. Ut connexa cum gloria, nego min. & ita diſt. conſ.

28 Cont. Alia dona, vt connexa cum gloria, non ſunt effectus eliciti prædeſtinationis: ergo. Prob. ant. Ut connexa eſſent effectus eliciti prædeſtinationis, quia ſunt exapta à gloria, vt intenta per prædeſtinationem; ſed licèt ſint ita exapta, non ſunt effectus eliciti prædeſtinationis: ergo. Prob. min. Gloria, vt ita intenta, etiam exigit auxilia ſufficientia ſupernaturalia; ſed hæc non ſunt effectus eliciti prædeſtinationis: ergo. Mai. patet: Cum præbeant poſſe ad ſalutem; quod gloria intenta exigit. Min. conſtat: Cum ſint effectus imperati. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia gloria, vt per prædeſtinationem intenta, habet connexionem proximam cum alijs donis ſupernaturalibus: vt ſunt vocationes efficaces, merita, & gratia interrupta; & ſolam remotam cum auxilijs ſufficientibus. Cumque, ſolum eliciantur à qualibet providentia, connexa proximè cum fine illius: ideò illa dona ſunt effectus eliciti prædeſtinationis, & hæc non, niſi imperati.

Ee 2 Cont.

29 Conr. Alia dona non ſunt proximè connexa cum gloria, vt intenta: ergo. Prob. antec. Inter illa, & gloriam mediat aliud: ergo Prob. ant. Mediat lumen gloriæ, & eſſentia divina per modum ſpeciei: ergo. Reſp. diſt. ant. Mediat phiſicè, conc. ant. Moraliter, nego ant. & ſimiliter diſt. conſeq. Gloria poteſt conſiderari vt effectus phiſicus, & moralis. Inter ipſam, vt effectum phiſicū & merita, ac alia dona media lumen, & eſſentia divina, vt ſpecies: cum ab his immediatè cauſetur; & cum eis connectitur ita proximè. Inter illam autem, vt effectum moralem, & talia dona non mediat: nam prout ſic eſt corona, & premium meritorum, & donorum, cum illiſque proximè connectitur: Sicquè ſunt effectus eliciti prædeſtinationis.

## ARTICVLVS V.

***VTRVM OPERA BONA ſupernaturalia, vt procedunt à libero arbitrio, ſint effectus prædeſtinationis.***

1 NOTO: Quod talia opera procedunt à libero arbitrio, & à gratia: cum ſint libera, & elicita à voluntate creata adiuta gratia divina. Vt procedunt à gratia, ſunt effectus prędeſtinationis, ſicut eſt ipſa gratia: cum ſint media, per quæ prædeſtinatus conſequitur gloriam: Difficultas eſt de illis, vt præcisè procedunt à libero arbitrio. Pat. Molina negat cum Henrico. Affirmant Thomiſtæ; & multi Jeſuitæ; vt refert P. Munieſſa.

2 Concluſio: Actus ſupernaturales, vt procedunt à libero arbitrio, ſunt effectus prædeſtinationis. Conſtat ex Ang. Mag. artic. 5. aſſerente: *Non eſt autem diſtinctum, quod eſt ex libero arbitrio, & ex prædeſtinatione: Sicut nec eſt diſtinctum quod eſt ex cauſa ſecunda, & cauſa prima*; ſed quod eſt ex prædeſtinatione, eſt effectus prædeſtinationis: ergo cum actus ſupernaturales, vt procedunt, & ſunt ex libero arbitrio, ſint etiam ex prædeſtinatione, erunt ſic effectus prædeſtinationis.

3 Nec dicas: Quod eſt ex prædeſtinatione, ſed non vt eſt ex libero arbitrio, ſed vt ex gratia. Nam hęc rejicit D. Thomas, dicens: *Iſti videntur diſtinxiſſe inter id, quod eſt ex gratia, & id quod eſt ex libero arbitrio, quaſi non poſſit eſſe idem ex vtroque. Manifeſtum eſt autem quod id quod eſt gratiæ, eſt prædeſtinationis effectus. Vnde & id quod eſt per liberum arbitrium eſt ex prædeſtinatione*: ſed tale, vt eſt ex gratia, eſt effectus prædeſtinationis: ergo etiam vt eſt ex libero arbitrio. Et ratio eſt: quia

vt tale conducit ad finem prædeſtinationis, & per illud homo eſt ordinabilis in gloriam. Unde S.Doct.cõcludit: *Quia quidquid eſt in homine ordinans ipſum in ſalutem, comprehenditur totum ſub effectu prædeſtinationis.*

4 Prob. 1. concluſ. ratione: Omne conducens ad finem prædeſtinationis, eſt effectus illiu; ſed actus ſupernaturales, vt procedunt à libero arbitrio, conducunt ad finem prædeſtinationis: ergo. Mai.patet art.1. Prob.min. Omne ordinabile in finem prædeſtinationis, conducit ad finem prædeſtinationis; ſed actus ſupernaturales, vt procedunt à libero arbitrio, ſunt ordinabiles in finem prædeſtinationis: ergo. Prob. min. De facto ordinantur media gratia, vt homo eis conſequatur vitam æternam, quæ eſt finis prædeſtinationi: ergo. Ant. eſt certum: Cum enim omnia naturalia prædeſtinati, & etiam ſubſtantia eius, ſint ita ordinabilia; tales actus potius erunt ſic ordinabiles, cum ſint capaces directionis, & ordinationis, atque meriti.

5 Reſpondebis: Quod actus ſupernaturales, procedentes à libero arbitrio, conducunt, & ſunt ordinabiles ad finem prædeſtinationis; non tamen vt procedunt à libero arbitrio, ſed vt à gratia, qua ordinantur. Quare, vt à libero arbitrio, non ſunt effectus prædeſtinationis, ſed vt à gratia. Cont. Actus ſupernaturales, etiam vt procedunt à libero arbitrio, conducunt, & ſunt ordinabiles ad finem prædeſtinationis: ergo. Prob.antec. Quod exigitur pro conſecutione finis prædeſtinationis, conducit, & eſt ordinabile ad finem prædeſtinationis; ſed actus ſupernaturales, vt procedunt à libero arbitrio, exiguntur pro conſecutione finis prædeſtinationis: ergo. Min.patet: Nam ſine illis, prout ſic, non erit meritum reſpectu gloriæ: cum meritum requirat actum liberum, vt ita procedentem. Licèt enim talis ordinatio fiat gratia, ipſi actus, vt procedũt à libero arbitrio, ſunt gratia ordinabiles, & ordinantur in gloriam: Sicque ſunt effectus prædeſtinationis. Hoc ſtatuit Ang. Præceptor art. 5 & quæſt. 6. de Verit. art. 2 ad 1. dicens: *Hoc ipſum quod eſt velle accipere gratiam, eſt in nobis ex prædeſtinatione.*

6 Quod illuſtrat ſuper illud Heb. 12. *Ne quis deſit gratiæ Dei*, dicens lect. 3. *Hoc ipſum quod eſt non ponere obſtaculum gratiæ, ex gratia procedit. Vnde ſi aliquis ponat, & tamen moveatur cor eius ad removendum illud, hoc eſt ex dono gratiæ Dei vocantis per miſericordiam ſuam*; ſed actus ſupernaturales, vt procedunt à libero arbitrio,

trio,ſunt velle accipere gratiam, & non ponere obſtaculum receptioni gratiæ: ergo. Confirmat hoc M. P. S. Aug. lib. 1. retract. cap. 9. inquiens: *Quia omnia dona, ſicut dictum eſt, & magna, & media, & infima ex Deo ſunt, ſequitur vt ex Deo ſit, & bonus vſus liberæ voluntatis, quæ virtus eſt, & in magnis numeratur bonis.* Et Doct. Max. S. Hieron. lib. 1. Dialogi cont. Pelagian. aſſerit: *Velle, & credere meum eſt, ſed ipſum meum ſine Dei auxilio non eſt meum.*

7 Et P. S. Bernardus lib. de Grat. & lib. arb. inquit: *Vt ſimul, non viciſim per ſingulos profectus operentur, non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere individuo peragant, totum quidem hoc, & totum illa, ſed vt totum in illo, ſic totum ex illa.* Cui conſonat illud D. Aug. in Enchyrid. cap. 32. *Si ideo non eſt hominis volentis, quia ſola hominis voluntas non poteſt, niſi etiam adſit miſericordia Dei: ergo etiam non erit miſerentis Dei, quia ſola miſericordia Dei non operatur ſine voluntate noſtra. Quod ſi nullus dicere audebit non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, reſtat vt propterea dictum intelligatur, non volentis eſt hominis, ſed miſerentis Dei, vt totum Deo detur.*

8 Prob. 2. concluſ. ratione: Actus ſupernaturales, vt procedunt à libero arbitrio, ſunt bonus vſus gratiæ, vt eſt à libero arbitrio; ſed bonus vſus gratiæ, vt eſt à libero arbitrio, eſt effectus prædeſtinationis: ergo. Prob. minor. Deus tribuens prædeſtinato per prædeſtinationem gratiam efficacem, vult, & tribuit prædeſtinato bonum vſum gratiæ; ſed quod Deus per prædeſtinationem vult, & tribuit prædeſtinato, eſt effectus prædeſtinationis: ergo. Prob. mai. Deus volens, & tribuens cauſam infallibiliter influentem in effectum, vult, & tribuit effectum; ſed Deus per prædeſtinationem vult, & tribuit prædeſtinato gratiam efficacem, cujus effectus primarius, infallibiliter conſecutus, eſt bonus vſus gratiæ: ergo.

9 Explicatur: Omne præparatum à Deo ex vi prædeſtinationis, eſt effectus prædeſtinationis; ſed bonus vſus gratiæ, & actus ſupernaturalis, vt procedit à libero arbitrio, eſt præparatus à Deo ex vi prædeſtinationis: ergo. Prob. min. Cooperatio liberi arbitrij cum gratia Dei, vt eſt à libero arbitrio, eſt præparata à Deo ex vi prædeſtinationis; ſed talis cooperatio eſt bonus vſus gratiæ, & actus ſupernaturalis, vt procedit à libero arbitrio: ergo. Maior. eſt certa: Siquidem Deus prædeſtinans, non ſolum tribuit prædeſtinato gratiam efficacem, ſed etiam vult coopera-

tio-

tionem ipſius cum illa. Minor. patet: Nam cum gratia cooperatur, dum gratia benè vtens, elicit actum ſupernaturalem, quo meretur gloriam.

10 Roboratur: Bonus vſus gratiæ, & actus ſupernaturalis, etiam vt procedit à libero arbitrio, eſt donum Dei, & effectus gratiæ: ergo etiam prædeſtinationis. Prob.ant.ex illo Ezechiel. 36. v.27. *Faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini*; ſed bonus vſus gratiæ, & actus ſupernaturalis, vt eſt à libero arbitrio, eſt donum, & effectus facientis, vt eliciatur, & vt homines benè vtantur gratia, & operentur: ergo. Hoc vtique fit à Deo, media gratia præveniente, & adiuvante; vt ait D. Thomas art.5. ita concludens: *Neque enim hoc fit niſi per auxilium divinum.*

Corroboratur: Quod conducit ad ſalutem æternam, & premiatur in gloria, eſt effectus prædeſtinationis; ſed bonus vſus gratiæ, & actus ſupernaturalis, vt eſt à libero arbitrio, conducit ad ſalutem æternam, & premiatur in gloria: ergo. Prob.min. Actum meritorium eſſe voluntarium, & liberum conducit maximè ad ſalutem æternam, & vt talis premiatur in gloria; ſed eſt voluntarius, & liber vt procedit à libero arbitrio: ergo. Mai.patet: Nam voluntarietas, & libertas requiritur, vt actus ſit meritorius ſalutis æternæ, & vt premietur gloria: quia licèt valor meriti ſit ex gratia, tamen exigitur, quod actus ſit humanus, liber, & laborioſus, vt premietur. Enim verò, quia hæc veritas propugnatur in Schola Thomiſtica, & Jeſuitica; & in illa gratia, & virtus ſupernaturalis eſt adæquata ratio proxima agendi; in hac autem partialis, ita vt voluntas, ſive potentia concurrat partialiter ad actum ſub ratione vitalis: in principijs vtriuſque ſtabilienda eſt.

12 Probat. igitur in Schola Thomiſtica: Actus ſupernaturalis ſub omni formalitate, qua procedit à gratia, & charitate, vel alia virtute ſupernaturali, eſt effectus prædeſtinationis; ſed vt procedit à libero arbitrio, etiam procedit à gratia, & virtute ſupernaturali: ergo. Prob.minor: Actus ſupernaturalis ſub nulla ſui formalitate procedit proximè à libero arbitrio, vt virtute agendi: ergo. Prob.ant. Gratia, ſeu virtus ſupernaturalis eſt adæquata ratio proxima agendi reſpectu illius: ergo.

13 Prob.quoque in alia Schola: Licèt in ea, voluntas influat immediatè in actum ſupernaturalem, vt vitalem; habitus tamen ſupernaturalis eſt adæquata virtus elevativa, & proportionativa

illius

illius cum actu ſupernaturali; ſed hic non procedit à voluntate, & libero arbitrio, niſi vt elevatis, & proportionatis: ergo vt procedit à libero arbitrio, etiam procedit à gratia, & virtute ſupernaturali ita elevante, & proportionante. Quod ſufficit, vt ſit effectus prædeſtinationis.

14 Dices: Hoc ſolum convincere: Actum ſupernaturalem, vt à gratia procedentem, eſſe effectum prædeſtinationis; non vt ſolum à libero arbitrio. Cont. In prima Sententia, actus ſupernaturalis ſub nulla formalitate poteſt procedere immediatè, & proximè à libero arbitrio, vt virtute agendi, ſed remotè, & vt eliciente: nam ſub omni formalitate procedit ſic à gratia, & & virtute ſupernaturali, vt ratione adæquata agendi. In ſecunda autem procedit ab illo, vt gratia adiuto: ergo etiam ſub formalitate, qua procedit à libero arbitrio, procedit ita à gratia, & eſt effectus prędeſtinationis.

15 Arg. 1. Licèt actus bonus, qui eſt à libero arbitrio creaturę, ſit effectus prædeſtinationis; non tamen vt eſt à libero arbitrio: ergo actus ſupernaturales, vt ſunt à libero arbitrio, non ſunt effectus prædeſtinationis. Prob. ant. ex D. Thoma artic. 5. aſſerente: *Non eſt autem diſtinctum quod eſt ex libero arbitrio, & ex prædeſtinatione*; ſed hoc, & ſupra allegatu ſolum indicat, quod actus bonu qui eſt à libero arbitrio, ſit eff ctus prædeſtinationis; non tame quod prout eſt à libero arbitri ergo.

16 Reſp. admitto, & expli author. In qua Aug. Mag. loqu tur de eo, quod eſt, & prout e à libero arbitrio: cum loquat de illo, vt reduplicativè proc dente à libero arbitrio: Sicq actus ſupernaturalis, vt ab procedens, eſt effectus prædeſt nationis. Hoc patet ex inten D Thomæ. Refert enim errore Pelagianorum aſſerentium: qu initium benefaciendi eſt à nobi & conſummatio à Deo: & propt rea effectus prædeſtinationis a tribuebatur præbenti tale in tium, & non illud non præbent Quem rejicit ex illo 2. Corint. *Non ſumus ſufficientes cogitare al quid à nobis quaſi ex nobis.* Nu D. Thomas: *Nullum autem ant rius principium inveniri poteſt, qu cogitatio. Vnde non poteſt dici q aliquod initium in nobis exiſt quod ſit ratio effectus prædeſtinati nis.* Ex quo conſtat: Quod act bonus, prout à libero arbitri etiam eſt à Deo: ne præcedat nobis tale initium, quod ſit rat effectus prædeſtinationis: Sicq etiam eſt effectus illius. Poſt recenſet opinionem dicentiu quod ideò Deus confert gratia

alicui, & præordinavit, ſe ei daturum, quia præſcivit, eum benè vſurum gratia. Quam etiam refutat doctrina relata pro concluſione. Etſi talis actus, & bonus vſus, vt à libero arbitrio, non eſſet à Deo, nec effectus predeſtinationis, ſed eſſet à ſolo libero arbitrio, eveniret quod prædicta opinio intendit. Quare ad 1. ait: *Vſus gratiæ præſcitus non eſt ratio collationis gratiæ.* Imò indicat S.Doctor: quod gratia eſt ratio talis vſus. Unde hic eſt effectus gratiæ, & prædeſtinationis.

17 Cont. Talis actus, vt eſt ex libero arbitrio, non eſt ex prædeſtinatione: ergo. Prob.ant. Actus, vt eſt à libero arbitrio creaturæ, non eſt à Deo: ergo. Prob.ant. Ut eſt à libero arbitrio creaturæ, eſt à creatura; ſed creatura non eſt Deus: ergo. Reſp. diſt.mai. A creatura, vt cauſa prima, nego mai. Secunda, conc.mai. & minor. & nego conſ. Licèt enim talis actus, vt eſt à libero arbitrio, ſit à creatura; non eſt ab ea, vt à cauſa prima, & independente; ſed vt à cauſa ſecunda ſubordinata, & dependente à prima. Nec eſt à libero arbitrio primo, ſed à ſecundo: quod operatur cum tali ſubordinatione, & dependentia. Cumque hoc requirat, quod actus, qui eſt, & prout eſt ab illo, ſit etiam à Deo: nam ſi non eſſet à Deo, operaretur ita ſine ſubordinatione, & dependentia: ideò ſic eſt à Deo, & ex prædeſtinatione.

18 Cont. Licèt talis actus ſit à libero arbitrio creaturæ, vt cauſæ ſecundæ, prout eſt à libero arbitrio, non eſt à Deo: ergo. Prob.ant. Prout eſt à Deo, non eſt à libero arbitrio creaturæ: ergo. Prob.conſ. Sicut talis actus requirit concurſum cauſæ primæ, ita & ſecundæ; ſed; ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia, cum Deus ſit cauſa prima, & independens à ſecunda, eius concurſus, & ratio formalis, qua producit effectum, eſt independens à creatura. Cum autem creatura ſit cauſa ſecunda, eſt dependens à prima; eiuſque concurſus, & ratio formalis eſt dependens à Deo.

19 Cont. Etſi creatura ſit cauſa ſecunda, & eius concurſus, & ratio formalis producendi effectum, & eliciendi actum, ita dependens à cauſa prima; actus illius, prout eſt à libero arbitrio, non eſt à Deo; ergo. Prob.antec. Si prout eſt à libero arbitrio, eſſet à Deo, prout eſt à Deo, eſſet à creatura; ſed non eſt; ergo. Prob. mai. Prout eſt à libero arbitrio, eſſet à Deo; ſed prout eſt à libero arbitrio, eſt à creatura: ergo. Reſp. diſt.mai. Eſſet ſub eadem ratione, nego mai. Sub diverſa,

conc.mai.& min.& nego conſeq. Licèt enim actus bonus, prout eſt à libero arbitrio creaturæ, ſit à Deo; non eſt ſub eadem ratione, ſed ſub alia ſuperiori, & media gratia. Cumque ſub hac non ſit à creatura: ideò, etſi prout eſt à libero arbitrio, ſit à creatura, non eſt ab ea, prout eſt à Deo. Ab illa namque eſt, quod etiam eſt à Deo, ſed nō prout eſt à Deo. Eſt autem à Deo, quod eſt à libero arbitrio creaturæ, & prout eſt à libero arbitrio: nam quod eſt, & prout eſt ab illo, dependet à Deo, & eſt media gratia.

20 Cont. Actus bonus, qui eſt à libero arbitrio creaturæ, eſt à Deo ſub diverſa ratione: ergo prout eſt à libero arbitrio, non eſt à Deo. Prob.conſ. Quod eſt prout eſt à libero arbitrio, eſt ſub eadem ratione, qua eſt à libero arbitrio; ſed ſi actus bonus eſt à Deo ſub diverſa ratione, non eſt ſub eadem, qua eſt à libero arbitrio: ergo. Mai.patet: Nam ſi non ſit ſub eadem, non eſt prout eſt à libero arbitrio. Min. ex ſe conſtat. Reſp.diſt.mai. Quod eſt ex parte rationis *quæ*, nego mai. Sub *qua*, conc.mai. & min. & ita diſt.conſ. Actus bonus, qui eſt, & prout eſt à libero arbitrio creaturæ, poteſt ſumi ex parte rationis *quæ*, & ex parte rationis, ſub *qua* eſt ab illo. Primo modo dicit illud, quod eſt à libero arbitrio. Secundo modo rationem forn lem ſpecialem, ſub qua eſt ab il Licèt enim ſub hac non ſit à D quia à libero arbitrio creaturę ſub ratione creata inferiori, propria, Deo ſubordinata, à D dependente, & in caſu præſen gratia adiuta: & à Deo ſub rat ne vniverſaliori, ſuperiori, ſub dinante, & gratiam tribuen eſt etiam à Deo, ex parte ratio *quæ*: cum ſit ab illo actus, qui & prout eſt à libero arbitrio: n actus eſt, & ſit à libero arbitr media gratia Dei, & depend ter à Deo. Cumque hoc ſuffici vt actus, prout eſt à libero ar trio, ſit à Deo: ideò eſt.

21 Cont. Licèt prædic actus ita ex parte rationis *quæ* à Deo, non eſt ab illo ex pa rationis ſub *qua*; ſed ex parte tionis ſub *qua* eſt à libero arbit ergo prout eſt à libero arbit non eſt à Deo. Reſp. diſt. mai Materialiter conſideratæ, n mai. Formaliter, conc. maior. min.& nego conſ. Talis ratio *qua* formaliter conſiderata d rationem creatam particulare & ſpecialem, qua actus eſt à bero arbitrio. Sumpta materi ter, ſe ipſam in eſſe entis cre conſideratam. Sub ea primo r do eſt actus à libero arbitrio cr turæ, & non eſt, nec poteſt à Deo: nam ſic eſt à Deo ſub tione ſuperiori. Sub illa ſecur

mo-

modo eſt à Deo: nam omne creatum ita eſt ab illo. Cum igitur ſic eſſe ſufficiat, vt quod eſt, & prout eſt a libero arbitrio, ſit à Deo: ideò eſt. Et licèt ſimili reflexione inſtetur; omni inſtantię ſufficit hæc ſolutio.

22 Arg.2. Actus vitalis, & liber creaturæ, prout eſt à libero arbitrio creaturæ, non eſt à Deo; ſed actus ſupernaturalis eſt vitalis, & liber creaturæ: ergo. Prob. mai. Talis actus eſt à libero arbitrio creaturæ, vt operantis ſua libertate creata; ſed ita non eſt à Deo: ergo. Min. eſt certa: Nam eſt a Deo, vt vtente libertate diuina, & concurrente ita cum ea. Reſp. diſt. maior. Creata, gratia perfecta, conc. mai. Non perfecta, nego mai. & diſt. minor. Eodem modo, conc. min. Ut perficiente, nego min. & conſ. Actus enim vitalis, & liber eſt à creatura operante pro ſua libertate, non ſola, ſed vt gratia Dei adiuta, & perfecta; ſine qua nullus actus, præcipue ſupernaturalis, poteſt elici. Cumque ſufficiat hoc, vt actus ſupernaturalis, prout eſt à libero arbitrio creaturæ, etiam ſit à Deo, & ſit effectus prædeſtinationis: ideò eſt.

23 Cont. Actus ſupernaturalis, vt vitalis, & liber non eſt à libertate creata, vt gratia perfecta: ergo nec media gratia eſt à Deo. Prob. ant. Eſt ab eo, à quo habet, quod ſit vitalis, & liber; ſed hoc non habet à gratia: ergo. Prob. min. Actus ſupernaturalis eſt vitalis, & liber à libero arbitrio: ergo. Reſp. diſt. ant. Gratia adiuto, conc. ant. Non adiuto, nego ant. & conſ. Cum liberum arbitrium creaturæ ex ſe non habeat virtutem proximam, quæ ſit ratio producendi effectum, & eliciendi actum ſupernaturalem; ſed elevabilem media gratia, & virtute ſupernaturali ad illum: non elicit eum, niſi vt motum, perfectum, & adiutum gratia: Sicque actus ſupernaturalis, vt vitalis, & liber procedit à libero arbitrio. Cumque hoc ſit, habere quoque à gratia, quod ſit vitalis, & liber: ideò ab illa hoc habet.

24 Cont. Actus ſupernaturalis eſt vitalis, & liber a ſolo libero arbitrio: ergo. Probat. antec. Nullatenus eſt vitalis, nec liber à gratia: ergo. Prob. ant. Eſt vitalis, & liber à principio intrinſeco proximo vitali, & libero; ſed gratia non eſt principium intrinſecum vitale liberum: ergo. Min. patet: Cum hoc ſit voluntas, cuius eſt liberum arbitrium. Reſp. diſt. min. Principium *quod*, conc. min. *Quo*, nego min. & conſeq. Duplex principium vitale liberum concurrit ad actum ſupernaturalem. Unum *quod*, & elevatum. Aliud *quo*, & elevans. Licèt enim

conc.mai.& min.& nego conſeq. Licèt enim actus bonus, prout eſt à libero arbitrio creaturæ, ſit à Deo; non eſt ſub eadem ratione, ſed ſub alia ſuperiori, & media gratia. Cumque ſub hac non ſit à creatura: ideò, etſi prout eſt à libero arbitrio, ſit à creatura, non eſt ab ea, prout eſt à Deo. Ab illa namque eſt, quod etiam eſt à Deo, ſed nō prout eſt à Deo. Eſt autem à Deo, quod eſt à libero arbitrio creaturæ, & prout eſt à libero arbitrio: nam quod eſt, & prout eſt ab illo, dependet à Deo, & eſt media gratia.

20 Cont. Actus bonus, qui eſt à libero arbitrio creaturæ, eſt à Deo ſub diverſa ratione: ergo prout eſt à libero arbitrio, non eſt à Deo. Prob.conſ. Quod eſt prout eſt à libero arbitrio, eſt ſub eadem ratione, qua eſt à libero arbitrio; ſed ſi actus bonus eſt à Deo ſub diverſa ratione, non eſt ſub eadem, qua eſt à libero arbitrio: ergo. Mai.patet: Nam ſi non ſit ſub eadem, non eſt prout eſt à libero arbitrio. Min. ex ſe conſtat. Reſp.diſt.mai. Quod eſt ex parte rationis *quæ*, nego mai. Sub *qua*, conc.mai. & min. & ita diſt.conſ. Actus bonus, qui eſt, & prout eſt à libero arbitrio creaturæ, poteſt ſumi ex parte rationis *quæ*, & ex parte rationis, ſub *qua* eſt ab illo. Primo modo dicit illud, quod eſt à libero arbitrio. Secundo modo rationem form lem ſpecialem, ſub qua eſt ab ill Licèt enim ſub hac non ſit à De quia à libero arbitrio creaturę ſub ratione creata inferiori, propria, Deo ſubordinata, à D dependente, & in caſu præſen gratia adiuta: & à Deo ſub rati ne vniverſaliori, ſuperiori, ſubo dinante, & gratiam tribuent eſt etiam à Deo ex parte ratio *quæ*: cum ſit ab illo actus, qui e & prout eſt à libero arbitrio: na actus eſt, & fit à libero arbitri media gratia Dei, & depende ter à Deo. Cumque hoc ſufficia vt actus, prout eſt à libero arb trio, ſit à Deo: ideò eſt.

21 Cont. Licèt prædict actus ita ex parte rationis *quæ* à Deo, non eſt ab illo ex pa rationis ſub *qua*; ſed ex parte r tionis ſub *qua* eſt à libero arbitr ergo prout eſt à libero arbitri non eſt à Deo. Reſp. diſt. mai Materialiter conſideratæ, ne mai. Formaliter, conc. maior. min. & nego conſ. Talis ratio *qua* formaliter conſiderata di rationem creatam particulare & ſpecialem, qua actus eſt à bero arbitrio. Sumpta materia ter, ſe ipſam in eſſe entis cre conſideratam. Sub ea primo m do eſt actus à libero arbitrio cr turæ, & non eſt, nec poteſt à Deo: nam ſic eſt à Deo ſub tione ſuperiori. Sub illa ſecun

modo eſt à Deo: nam omne creatum ita eſt ab illo. Cum igitur ſic eſſe ſufficiat, vt quod eſt, & prout eſt a libero arbitrio, ſit à Deo: ideò eſt. Et licèt ſimili reflexione inſtetur; omni inſtantiæ ſufficit hæc ſolutio.

22 Arg.2. Actus vitalis, & liber creaturæ, prout eſt à libero arbitrio creaturæ, non eſt à Deo; ſed actus ſupernaturalis eſt vitalis, & liber creaturæ: ergo. Prob. mai. Talis actus eſt à libero arbitrio creaturæ, vt operantis ſua libertate creata; ſed ita non eſt à Deo: ergo. Min. eſt certa: Nam eſt a Deo, vt vtente libertate diuina, & concurrente ita cum ea. Reſp. diſt. maior. Creata, gratia perfecta, conc. mai. Non perfecta, nego mai. & diſt. minor. Eodem modo, conc. min. Ut perficiente, nego min. & conſ. Actus enim vitalis, & liber eſt à creatura operante pro ſua libertate, non ſola, ſed vt gratia Dei adiuta, & perfecta; ſine qua nullus actus, præcipue ſupernaturalis, poteſt elici. Cumque ſufficiat hoc, vt actus ſupernaturalis, prout eſt à libero arbitrio creaturæ, etiam ſit à Deo, & ſit effectus prædeſtinationis: ideò eſt.

23 Cont. Actus ſupernaturalis, vt vitalis, & liber non eſt à libertate creata, vt gratia perfecta: ergo nec media gratia eſt à Deo. Prob. ant. Eſt ab eo, à quo habet, quod ſit vitalis, & liber; ſed hoc non habet à gratia: ergo. Prob. min. Actus ſupernaturalis eſt vitalis, & liber à libero arbitrio: ergo. Reſp. diſt. ant. Gratia adiuto, conc. ant. Non adiuto, nego ant. & conſ. Cum liberum arbitrium creaturæ ex ſe non habeat virtutem proximam, quæ ſit ratio producendi effectum, & eliciendi actum ſupernaturalem; ſed elevabilem media gratia, & virtute ſupernaturali ad illum: non elicit eum, niſi vt motum, perfectum, & adiutum gratia: Sicque actus ſupernaturalis, vt vitalis, & liber procedit à libero arbitrio. Cumque hoc ſit, habere quoque à gratia, quod ſit vitalis, & liber: ideò ab illa hoc habet.

24 Cont. Actus ſupernaturalis eſt vitalis, & liber a ſolo libero arbitrio: ergo. Probat. antec. Nullatenus eſt vitalis, nec liber à gratia: ergo. Prob. ant. Eſt vitalis, & liber à principio intrinſeco proximo vitali, & libero; ſed gratia non eſt principium intrinſecum vitale liberum: ergo. Min. patet: Cum hoc ſit voluntas, cuius eſt liberum arbitrium. Reſp. diſt. min. Principium *quod*, conc. min. *Quo*, nego min. & conſeq. Duplex principium vitale liberum concurrit ad actum ſupernaturalem. Unum *quod*, & elevatum. Aliud *quo*, & elevans. Licèt

enim gratia non ſit principium intrinſecum *quod* vitale liberum actus ſupernaturalis: Cum hoc ſit anima, & voluntas; eſt tamen principium *quo* elevans: Cum elevet animam, & media virtute ſupernaturali, quæ eſt tota ratio agendi, elevet potentiam ad elicientiam illius. Cumque hoc ſufficiat, vt actus ſit vitalis, & liber à gratia: ideò eſt.

25 Cont. Talis actus nequit eſſe liber à gratia, vt â principio intrinſeco *quo*: ergo. Prob antec. Talis actus eſt liber, vt à principio intrinſeco *quo*, à principio libero; ſed gratia non eſt principium liberum: ergo. Mai. patet: Nam libertas actus ſumitur à principio eius. Min. conſtat: Siquidem non concurrit cum indifferentia, nec pro ſui libertate ad actum. Reſp. diſt. mai. Solum, nego mai. Et à perfectivo illius, conc. mai. & diſt. min. Et eſt perfectivum illius, conc. min. Nec perfectivum illius, nego min. & conſ. Actus enim ſupernaturalis eſt liber à principio libero eliciente, & à perficiente, & ſuaviter inclinante illud, ita vt eo libere vtatur. Cumque gratia, & virtus ſupernaturalis ita perficiat liberum arbitrium, & principium liberum: ideò etiam eſt liber ab ea, vt à principio intrinſeco libero.

26 Cont. Talis actus non eſt liber à gratia, vt perficiente liberum arbitrium: ergo. Probat. antec. Non eſt liber ab influente neceſſario in illum; ſed gratia influit neceſſario in illum: ergo. Mai. patet: Cum ſit liber ab influente liberè. Minor. conſtat: Præcipue cum efficax ſit. Reſp. diſt mai. Iuxta modum libertatis creatæ, nego mai. Contra, conc. mai. & diſt. min. Iuxta modum libertatis creatæ, conc. minor. Contra, nego min. & conſeq. Licèt enim gratia, cum eſt efficax, influat infallibiliter, & quaſi neceſſario in actum, ad quem datur. Non tamen contra, ſed iuxta modum libertatis voluntatis creatæ, & liberi arbitrij. Quod perficit, & ſuaviter inclinat, vt iuxta modum ſuæ libertatis operetur: nam ſicut gratia non deſtruit, ſed perficit naturam; ita non deſtruit, ſed perficit liberum arbitrium. Cumque modus eius ſit, quod actus liberè fiat, & à principio influente liberè procedat: ideò ita fit; & à gratia procedit.

## ARTICVLVS VI.

### *VTRVM PERMISSIO PECcati ſit effectus prædeſtinationis.*

1 SVPPONO 1. Quod non loquimur de permiſſione active ſumpta: cum

iſta ſit actus voluntatis divinæ, qui non eſt effectus, ſed cauſa prædeſtinationis. Loquimur enim de illa paſsivè, & terminativè conſiderata, pro negatione, & carentia gratiæ efficacis, & auxilij pro peccato vitando, ad quod ſequitur infallibiliter logicè peccatum. Qui effectus eſt privativus. Quare M. P. S. Auguſt. Epiſt. 105. ad Sixtum ait: *Deus non obdurat inpartiendo malitiam, ſed non largiendo gratiam.* Difficultas autem poteſt procedere de illa abſolutè accepta; & ex motivo ſpeciali humilitatis, aut pœnitentiæ præintentę conſiderata. In primo ſenſu affirmant aliqui extranei; qui negant in ſecundo.

2 Suppono 2. Quod non eſt effectus elicitus prædeſtinationis: nam hic entitativè, & quoad ſubſtantiam debet eſſe ſupernaturalis; qualis non eſt talis permiſsio. Veruntamen non repugnat, quod ſit effectus imperatus illius, quoad ordinationem: Cum Deus, poſt prævifionem peccati, poſsit ordinare eius permiſsionem ad finem prædeſtinationis. Dubium eſt: An ſit effectus imperatus quoad exiſtentiam, ita vt Deus permittat peccatum ex fine prædeſtinationis.

3 Concluſio: Permiſsio peccati in electis eſt effectus imperatus prædeſtinationis. Ita Thomiſtæ cum Ang. Mag. Multi Scotiſtæ, & Jeſuitæ cum P. Suar. Conſtat concluſ. ex illo ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Nunc D. Aug. cum Gloſſa: *Vſque adeo talibus Deus omnia cooperatur in bonum, vt ſiqui eorum deviant, & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonum.* Hæc refert D. Thomas lect. 6. addens: *Vnde & in Pſal. dicitur: Cum ceciderit iuſtus, non collidetur: quia Dominus ſupponit manum ſuam;* ſed quod ita ordinatur à Deo in bonum electorum, eſt effectus imperatus prædeſtinationis eorum: cum illud ordinet ad gloriam, quæ eſt finis prædeſtinationis: ergo. Quare adducens illud Pſal. *Oculi Domini ſuper iuſtos,* ſuperaddit: *In quantum ſcilicet ſic de eis curat, quod nihil mali circa eos permittit, quod non in eorum bonum convertat.*

4 Reſpondebis: Quod loquitur de malo pœnæ; non de malo culpæ: nam in infirmitate exercetur humilitas, in afflictione patientia, & in contradictione ſapientia: quæ non exercentur ex peccato, nec ex malo culpæ. Hæc reſponſio præventa, & ſatisfacta eſt ab Ang. Mag. ita proſequente: *Nunquid etiam eis peccata cooperantur in bonum? Quidam dicunt, quod peccata non continentur ſub hoc quod dicit, omnia: quia ſecundum Aug. peccatum nihil eſt, & ni-*

*nihil fiunt homines cum peccant. Sed contra eſt quod in Gloſa ſequitur*: Et propoſitionis relata ex D. Auguſtino, oſtendit bonum ſecutum, dicens: *Ex hoc autem quod iuſtus cadit, reſurgit cautior, & humilior.* Et 1 2 quæſt. 79. art. 4. inquirit: *Vtrum excæcatio, & obduratio ſemper ordinetur ad ſalutem?* Et reſpondet: *Excæcatio ex ſui natura ordinatur ad damnationem eius, qui excæcatur, propter quod ponitur reprobationis effectus, ſed ex divina miſericordia excæcatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad ſalutem eorum, qui excæcantur. Sed hæc miſericordia non omnibus impenditur excæcatis, ſed prædeſtinatis ſolum, in quibus omnia cooperantur in bonum.*

5 Prob. 1. concluſ. ratione Divi Thomæ: Quod fit ex intentione conferendi electis perſeverantiam in gratia, & ipſam gloriam, eſt effectus imperatus prædeſtinationis; ſed permiſſio peccati fit à Deo ex tali intẽtione: ergo. Prob. min. Deus ex intentione conferendi electis perſeverantiam in gratia, & ipſam gloriam, vult illis humilitatem, & cautelam pro evitandis peccatis; ſed ex voluntate conferendi electis humilitatem, & cautelam iſtam, permittit illis peccatum: ergo. Præmiſſæ patent ex allegatis Divi Thomæ. Mai. videtur quoque certa: Cum ex tali intentione velit illis omnes virtutes: quod declinent à malo, & faciant bonum; & declinatio à malo, requirit talem cautelam: Sicut facere bonum, humilitatem, quæ eſt fundamentum ędificij virtuoſi. Prob. min. Electus cadens in peccatum, in ſe rediens, cognoſcit propriam fragilitatem, & miſeriam, qua cecidit; & miſericordiam Dei, qua reſurgit: in hac, & non in illa, nec in ſe fidens, vt permaneat; & exinde humiliatur. Ut patet in Davide peccante cum Berſabee, & in Petro Chriſtum negante; ſed deinde diſcit, ſe cuſtodire cautela magna, vitans pericula, ne cadat in alia peccata: ergo. Min. patet ex Divo Thoma loc. cit. Rom. dicente: ***Humiliores redeunt, atque doctiores. Diſcunt enim cum tremore ſe exultare debere: non quaſi arrogando ſibi tanquam de ſua virtute fiduciam permanendi.***

6 Roboratur: Quod conducit ad finem prædeſtinationis, eſt effectus imperatus prædeſtinationis; ſed permiſſio peccati quoad exiſtentiam conducit ad finem prædeſtinationis: ergo. Probat. min. Finis prædeſtinationis eſt gloria, ſive conſecutio gloriæ; ſed permiſſio peccati quoad exiſtentiam conducit ad conſecutionem gloriæ: ergo. Prob miner. Quod conducit ad exercitium virtutum, conducit ad conſecutionem glo-

gloriæ; ſed talis permiſsio peccati conducit ad exercitium virtutum: ergo. Mai.eſt certa:Cum tale exercitium ſit medium ad conſequendam gloriam. Probat. minor. Conducit ad exercitium humilitatis, & cautelæ vitandi omnia peccata,in qua plures virtutes exercentur: ergo. Hæc confirmat D. Thomas 1.2. quæſt.48. art.2.ad 3. aſſerens ex D. Auguſtino: *Deus eſt adeò potens, quod etiam bona poteſt facere de malis. Vnde multa bona tollerentur,ſi Deus nullum malum permitteret eſſe. Non enim generaretur ignis, niſi corrumperetur aer: Neque etiam laudaretur iuſtitia vindicans, & patientia ſufferens, ſi non eſſet iniquitas.*

7 Dices: Quod ad humilitatem, & prædicta conducit permiſsio peccati; non immediatè, ſed mediatè, ſeu medio peccato. Et cum Deus non velit peccatum: ideò non poteſt ex intentione humilitatis præparare permiſsionem. Cont. Licèt permiſsio peccati non conducat ad humilitatem, niſi medio peccato, ſeu ſuppoſito peccato; poteſt præparari à Deo ex intentione humilitatis, quin velit peccatum: ergo. Prob. ant. Intendens finem, non vult neceſſariò omnia media conducentia ad finem; ſi aliquod eorum, vt ponatur, non requirit volitionem intendentis finem; ſed licèt peccatum conducat ad humilitatem, vt ponatur, non requirit volitionem Dei: ergo. Maior. patet in Deo permittente peccata tiranorum, ob gloriam fidei, & Martyrum; quam vult, quin velit peccata, ſine quibus non eſſet: quia peccata, vt exiſtant, non requirunt volitionem Dei.

8 Præterea: Deus permittit peccata reproborum ex intentione oſtendendi divitias glorię ſuę; ſed ad talem oſtenſionem conducit permiſsio,medijs, ſeu præſuppoſitis peccatis, quæ Deus non vult: ergo licèt in prædeſtinatis permiſsio peccati conducat ad humilitatem, medio,ſeu præſuppoſito peccato, Deus ex intentione humilitatis permittit peccatum, quin velit illud. Mai.patet ex illo Rom 9. v.23. *Suſtinuit in multa pacientia vaſa iræ, apta in interitum, vt oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ.* Divus Thomas lect.4. *Permittit agere quæ concupierunt.* Min.conſtat: Nam prædeſtinati, qui ſunt vaſa miſericordiæ, quibus fit oſtenſio gloriæ divinæ, non cognoſcunt permiſsionem peccati reproborum, niſi cognito peccato eorum. Conſ. videtur optima ratione, & paritate.

9 Hæc roborant teſtimonia varia. Nam David.poſt commiſſum peccatum, dicebat Pſal 118. *Bonum mihi, quia humiliaſti me.*

*Prius*

*Prius quam humiliarer, ego deliqui.* Nunc S. Auguſt. *Ipſo quippè fructu oſtendit, quod bonum illi fuerat humiliari.* Et S. Ambroſ. *Ita dictum, eo quod peccato videatur humiliari. Hic ergo oſtendit humilitatem ortam eſſe de culpa, & quia culpa præceſſit, ideò humiliatum eſſe oſtendit.* Et Pſal. 29. aiebat Pœnitens Rex: *Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Sup. quod ait M.P.S. Auguſt. cap. 24. de Nat. & Grat. *Dixerat enim in abundantia; non movebor in æternum, & ſibi tribuebat, quod à Deo habebat: quare oſtendendum ei fuerat, vnde haberet, & reciperet humilis, quod ſuperbus amiſerat.* Et lib. 14. de Civ. Dei cap. 13. aſſerit: *Audeo dicere ſuperbis eſſe vtile cadere in aliquod apertum, manifeſtumque peccatum; vnde ſibi diſpliceant, qui iam ſibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus ſibi diſplicuit, quando præſumpſit.*

10 Et P.M.D. Gregor. 2. Moral. cap. 26. ita ediſſerit: *Fit, vt aliquando ſe hac gratia ſubtiliter ſubtrahat, & præſumenti quantum in ſe infirmetur, oſtendat. Tunc enim verè cognoſcimus bona noſtra vnde ſint, quando hæc quaſi amittendo ſentimus, quia à nobis ſervari non poſſunt.* Et S. Joan. Damaſc. lib. 2. Fidei inquit: *Permittitur quis quandoque in turpe incidere peccatum ad emendationem deterioris affectus: Verbi cauſa, qui eſt elatus in virtutibus, & rectè factis ſuis: tunc ſinit Deus in adulterium prolabi, vt per caſum in cognitionem propriæ infirmitatis veniens, humiliatus confiteatur Domino.*

11 Hinc aſſerimus: Quod permiſſio peccati ex præintenta pœnitentia, eſt effectus prædeſtinationis. Ita Thomiſtæ; & M. Hernandez cum Scotiſtis; atque P. Herrera, Munieſſa, & Ramirez cum multis Jeſuitis. Videtur reſolutio conformis menti SS.PP. Conſtat ex illo M.P. Auguſtini: *Salubrius enim Petrus ſibi diſplicuit, quando flevit.* Quod pœnitentiam deſignat. Et ex Divo Thoma 3 part. 89. art. 2. ad 1. aſſerente de prædeſtinatis pœnitentibus: *Quamvis cadunt, finaliter tamen reſurgunt: Cedit ergo eis in bonum hoc, quod cadunt, non quia ſemper in maiori gratia reſurgant, ſed quia reſurgunt in permanentiori gratia*; ſed hęc reſurrectio eſt per pœnitentiam: ergo cum præintentum ex tali bono ſit effectus prædeſtinationis, permiſſio peccati ita præintenta erit effectus illius. Quare quæſt. 5. de Verit. art. 5. objiciens ſibi: Bonum eſt potentius, quam malum: ergo magis ex bono poteſt elici bonum, quam ex malo: non ergo eſt neceſſe, quod mala permittat fieri, vt eis eliceat bona. Reſpondet, dicens: *Aliquod bonum eſt, quod non poteſt elici, niſi ex malo, ſicut,*

bo-

*bonum pacientiæ, non niſi ex malo perſecutionis elicitur, & bonum pœnitentiæ ex malo culpæ. Nec hoc impedit infirmitas mali reſpectu boni, quia huiuſmodi non eliciuntur ex malo, quaſi ex cauſa per ſe, ſed quaſi per accidens.*

12 Prob.ratione: Permiſsio peccati ex prǽintenta humilitate, eſt effectus prædeſtinationis: ergo etiam ex præintenta pœnitentia. Prob.conſ. Ideo permiſsio peccati ex præintenta humilitate, eſt effectus prǽdeſtinationis, quia humilitas in prædeſtinatis conducit ad conſecutionem gloriæ, & permiſsio peccati ad humilitatem; ſed pœnitentia in prædeſtinatis conducit ad conſecutionem gloriæ, & permiſsio peccati ad pœnitentiam: ergo.

13 Roboratur: Pœnitentia conducit immediatius ad finem prædeſtinationis, quam permiſsio peccati: ergo Deus poteſt præintendere pœnitentiam, & ex intentione illius velle permiſsionem peccati: quæ ſic erit effectus prædeſtinationis. Ant.patet: Nam permiſsio peccati eſt medium remotum, & pœnitentia medium proximum pro conſequenda gloria, quæ eſt finis prædeſtinationis. Prob.conſ. Medium remotum reſpectu alicuius finis eligitur ex præintentione, & voluntate medij proximi, & immediatius conducentis ad finem, ſi hoc ſit amabile ab intendente finem; ſed pœnitentia, quæ eſt amabilis à Deo prædeſtinante, cum ſit bona, eo quod conducat immediatius ad finem prædeſtinationis, eſt medium proximum reſpectu illius, & permiſsio peccati remotum: ergo. Minor. patet: Nam permiſsio peccati eſt prior, & pœnitentia poſterior: cum ſit de peccato permiſſo, & commiſſo.

14 Reſpondebis: Eſſe verum de medio proximo, per ſe amabili; non de amabili ſolum occaſionaliter, quomodo pœnitentia eſt amabilis à Deo: Cum ſit amabilis occaſione peccati; quod Deus non amat; & amaret, ſi occaſione illius vellet pœnitentiam: cum hæc connectatur neceſſario cum peccato. Cont. Licèt pœnitentia neceſſario ſupponat peccatum, & connectatur cum illo, poteſt Deus velle, & præintendere pœnitentiam, & ex tali intentione permittere peccatum, quin amet peccatum: ergo. Prob. antec. In Schola Scientiæ Mediǽ, ſuppoſita præviſione conditionata peccati futuri ſub auxilio *A*, auxilium *A* eſt neceſſario connexum cum peccato futuro; ſed Deus vult conferre auxilium *A* ante præviſionem abſolutam peccati, ex tali præviſione conditionata futuri, quin amet peccatum futurum abſolutè, nec condi-

tionatè: ergo. Maior. eſt certa: Aliàs Scientia Media, in ea fundata, non eſſet infallibilis. Min. conceditur in tali Sententia.

15 Roboratur: Intentio efficax pœnitentiæ ante præviſum peccatum, non eſt amor virtualis peccati, nec infert illum: ergo pœnitentia eſt ita amabilis à Deo, quin amet peccatum. Prob. ant. Intentio efficax pœnitentiæ ſolum infert, quæ requiruntur ad exiſtentiam pœnitentiæ; ſed ad exiſtentiam pœnitentiæ non requiritur in Deo amor peccati: ergo. Prob. minor. Ad exiſtentiam pœnitentiæ ſolum requiritur exiſtentia peccati; ſed ad exiſtentiam peccati non requiritur in Deo amor peccati: ergo. Min. patet: Cum ſufficiat permiſsio illius. Corroboratur: Inefficacia auxilij, præviſa Scientia media, connectitur neceſſario cum peccato, in tali Sententia; ſed Deus vult talem inefficaciam, quin velit peccatum: ergo eſto pœnitentia ita connectatur cum illo, Deus amat pœnitentiam, quin amet peccatum.

16 Dices: Ex hoc ſequi: quod Deus poſsit amare pœnitentiam, quin amet peccatum. Non verò, quod poſsit permittere peccatum ex motivo pœnitentiæ præintentæ: nam peccatum debet neceſſario præviderì ante intentionem pœnitentię, cui non cohæret permitti ex motivo pœnitentiæ: quia quod eſt ante pœnitentiam, nec fit, nec permittitur ex motivo illius. Cont. Finis non intenditur efficaciter ante præviſionem mediorum; ſed media eliguntur ex motivo, & intentione finis: ergo licèt pœnitentia non poſſet intendi ante abſolutam præviſionem peccati, (quod ita non eſt) poſſet permitti ex motivo, & præintentione pœnitentiæ. Mai. eſt certa: Cum de ratione finis ſit connotatio mediorum: nam finis eſt, cuius gratia aliquid fit, ſive media fiunt, & eliguntur. Min. conſtat. Conſ. patet. Et ratio eſt: quia ad hoc ſufficit mutua prioritas, & poſterioritas in diverſo genere cauſæ. Deinde: Pœnitentia poteſt præintendi ad præviſionem abſolutam peccati: ergo. Prob. ant. Si non poſſet ita præintendi, eſſet, quia neceſſario connotat peccatum, vt materiam deſtruendam; ſed hæc ratio eſt nulla: ergo. Prob. minor. In Sententia oppoſita, auxilium inefficax cõnotat neceſſario diſſenſum, imò conſtituitur formaliter per diſſenſum; ſed Deus decernit conferre auxiliũ inefficax ante prçviſionem abſolutam diſſenſus, per Scientiam mediam illius: ergo.

17 Arg. 1. Effectus prædeſtinationis debet conducere ad finem prædeſtinationis; ſed permiſsio peccati in electis non poteſt

teſt conducere ad finem prędeſtinationis: ergo. Prob.minor. Suſpenſio, aut negatio actionis collativæ gratiæ non poteſt conducere ad finem prædeſtinationis; ſed permiſsio peccati eſt ſuſpenſio, aut negatio actionis collativæ gratiæ: ergo. Prob.mai. Non poteſt conducere ad manifeſtationem bonitatis divinæ: ergo. Prob. ant. ex Ang. Doct. 1. part. quæſt. 104. art. 4. ita aſſeˀnte: *Redigere etiam aliqua in nihilum, non pertinet ad gratiæ manifeſtationem, cum magis per hoc divina potentia, & bonitas oſtendatur, quod res in eſſe conſervat. Vnde ſimpliciter dicendum eſt, quod nihil omninò in nihilum redigetur*; ſed hoc eſt, quia anihilatio eſt ſuſpenſio, ſeu negatio actionis: ergo.

18 Reſp.admitto, & explico author. Cuius ſenſus eſt: quod ratione ſui non pertinet; poteſt tamen pertinere ratione alterius ad manifeſtationem gloriæ, cum poſsit Deus velle annihilationem alicuius ad terrorem aliorum. In quo oſtenderetur etiam potentia, & bonitas Dei; licèt magis oſtendatur in conſervatione rerum. Propter quod S. Doctor reſolvit, quod producta à Deo, non rediguntur in nihilum; poſſunt tamen redigi. Similiter ergo permiſsio peccati conducit ratione alterius ad oſtenſionem potentię, & bonitatis divinæ, licèt magis conducat conſervatio gratiæ. Et cum hoc ſufficiat, vt conducat ad finem prædeſtinationis, & ſit effectus illius: ideò eſt. Argumentum autem nimis probat: nam Deus de facto non annihilat, nec eſt annihilaturus quæ producit, vt inſinuat D. Thom. ergo nec permittit, nec eſt permiſſurus peccatum? Mala conſequentia.

19 Cont. Licèt permiſsio peccati conducat ratione alterius ad manifeſtationem potentiæ, & bonitatis divinæ, non eſt effectus prædeſtinationis: ergo. Prob.ant. Peccatum conducit ratione alterius ad manifeſtationem potentiæ, & bonitatis divinæ; ſed non eſt effectus prædeſtinationis: ergo. Mai. patet ex dictis, cũ etiam cooperetur prædeſtinatis in bonum, ſaltim occaſionaliter. Min. conſtat: Nam effectus prædeſtinationis eſt quid bonum; & peccatum eſt malum. Reſp. Nego cõſeq. Ratio eſt, quia effectus prædeſtinationis debet eſſe quid bonum, & à Deo. Et cum permiſſio peccati ita ſit, non tamen peccatum, quod eſt malum, & non factum à Deo: ideò permiſſio, & non peccatum, eſt proptereà effectus prædeſtinationis.

20 Cont. Permiſsio peccati non eſt ſufficienter à Deo, vt ſit effectus prædeſtinationis: ergo. Prob.ant. Effectus prædeſtinationis eſt gratia, & beneficium Dei;

ſed permiſsio peccati non eſt ſufficienter à Deo, vt ſit gratia, & beneficium Dei: ergo. Probat. minor. Carentia gratiæ non eſt gratia, nec beneficium Dei; ſed permiſsio peccati eſt carentia gratiæ: ergo. Reſp. diſt. maior. Non eſt ex ordinatione divina, & ab extrinſeco, nego mai. Per ſe, & ab intrinſeco, conc. mai. & min. & ita diſt. conſ. Cum permiſsio peccati ſit effectus privativus prædeſtinationis, per ſe, & ab intrinſeco non eſt gratia, ſed carentia gratiæ, ſeu inferens carentiam gratiæ. Ex ordinatione autem divina, & ab extrinſeco poteſt eſſe gratia: cum illam ordinet Deus ad bonum, & ad maius bonum; nempe, ad maiorem humilitatem, & vberiorem gratiam. Cumque hoc ſufficiat, vt ſit effectus imperatus prædeſtinationis, etſi nō vt ſit elicitus: ideò eſt.

21 Cont. Permiſsio peccati nec ex ordinatione divina, nec ab extrinſeco poteſt eſſe gratia: ergo. Prob. ant. Peccatum nec ex ordinatione divina, nec ab extrinſeco poteſt eſſe gratia: ergo. Prob conſeq. Sicut peccatum per ſe, & ab intrinſeco eſt carentia gratiæ, ita permiſsio; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia quod in ſe eſt poſitivè malum, ſicut peccatum, nequit ordinari à Deo vt gratia, nec vt beneficium Dei in bonum, licèt occaſionaliter ex eo inferat bonum. Quod autem non eſt poſitivè malum, ſed præcisè non bonum, quia in ſe non eſt poſitivè bonum, cum non ſit poſitivè ens, ſicut permiſsio peccati, poteſt ſic ordinari. Et cum ita ordinatum dicatur gratia ex ordinatione divina, & ab extrinſeco: ideò permiſsio peccati ita eſt gratia.

22 Cont. Permiſsio peccati, etſi poſitivè non ſit mala, non poteſt ex ordinatione divina, nec ab extrinſeco eſſe gratia: ergo. Prob. antec. Prædeſtinatus poteſt petere à Deo quod eſt gratia, & ei gratias reddere pro illa; ſed non poteſt petere â Deo permiſsionem peccati, nec ei gratias reddere pro illa: ergo. Reſp. diſt. mai. Quod eſt gratia, & connexum cum peccato, nego mai. Et non connexum, conc. maior. & min. & nego conſeq. Licèt poſsimus, & debeamus petere à Deo quod eſt gratia, ſi non connectatur cum peccato. Secùs ſi connectatur cum eo, & infallibiliter inferat illud: nam eſſet petere peccatum: cum petens, ſive volens connexum cum peccato, petat, & velit peccatum, ſi hoc ſit contentum intra eius ſphæram; vt eſt intra ſphæram prædeſtinati, etſi non Dei; vt replicæ occurrenti ſatisfiat. Cumque permiſsio peccati ſit connexa cum peccato, & infallibiliter inferat illud: ideò

licèt ex ordinatione divina, & ab extrinſeco ſit gratia, non poteſt prædeſtinatus petere illam, nec reddere gratias pro ea. Imò in Oratione dominica oppoſitum petimus, cum dicimus: *Et ne nos inducas in tentationem, &c.* Ex ſuppoſitione autem, quod prædeſtinatus peccaverit, & pœnituerit, poteſt reddere gratias Deo, quia permiſsionem ſui peccati ad maius bonum humilitatis, vel ad aliud ordinaverit: nam hoc iam non infert peccatum, ſed ſupponit deſtructum.

23 Cont. Si permiſsio peccati ſit ita gratia, licèt peccatum inferat, poteſt prædeſtinatus petere illam, & agere Deo gratias pro ea: ergo. Prob. ant. Prædeſtinatus poteſt petere à Deo illud, quod Chriſtus poſtulavit à Patre; ſed ſi permiſsio peccati ſit ita gratia, licèt peccatum inferat, Chriſtus poſtulaſſet eam à Patre: ergo. Maior. patet: Cum oratio prædeſtinati debeat conformari Orationi Chriſti. Min. conſtat: Siquidem poſtulavit à Patre omnem gratiam prædeſtinatorum, & meruit omnes effectus prædeſtinationis, & omne premium ſuorum meritorum.

24 Reſp. diſt. maior. Omne illud inferens peccatum, nego mai. Non inferens, conc. mai. & min. & nego conſ. Non enim omne, quod Chriſtus Dominus poſtulavit à Patre, poteſt prædeſtinatus petere à Deo; niſi illud, quod non infert infallibiliter peccatum. Cumque permiſsio peccati ita inferat illud: ideò, etſi Chriſtus eam poſtulaverit in ſenſu, in quo eſt gratia, prædeſtinatus non poteſt petere illam. Et ratio eſt: nam permiſsio peccati poteſt à Chriſto Domino poſtulari ex fine, & motivo maioris boni aſsignati, quin amet peccatum connexum: quia non cadit ſub obiecto ſuæ voluntatis, cum nec vt homo poſsit peccare. A cœteris autem hominibus nequit ita peti, quin amarent peccatum connexum: cum cadat ſub obiecto voluntatis ſuæ. Sicut propterea permiſsio peccati terminat amorem Dei, quin peccatum terminet illum: & nequit terminare amorem prædeſtinati, quin peccatum terminet amorem eius. Et Deus amat entitatem peccati, quin amet malitiam: & homo amans entitatem peccati, amaret quoque malitiam illius. Oratio igitur prædeſtinati debet conformari Orationi, & poſtulationi Chriſti in his, quæ poſſunt fieri ab homine ſine peccato; ſine quo non poteſt fieri oratio prædicta: cum nequeat præſcindere à peccato connexo. Sicut voluntas hominis debet ſimiliter conformari voluntati Dei; & nequit velle ita entitatem, ſicut Deus, quę etiã eſt

effec-

effectus imperatus prædeſtinationis: quia nõ preſcinderet, ſicut ipſe, à malitia, ſed hanc amaret, & peccaret.

25 Arg. 2. Et poteſt eſſe replica: Omnis effectus prædeſtinationis confertur prædeſtinatis ex meritis Chriſti; ſed permiſsio peccati non confertur prædeſtinatis ex meritis Chriſti: ergo. Mai. eſt manifeſta. Minor. patet: Nam Chriſtus non meruit prædeſtinatis permiſsionem peccati, ſive negationem gratiæ, ſed collationem. Reſp. diſt. min. Permiſsio ſecundùm ſe, conc. minor. Ut ordinata ad maius bonum, nego min. & conſ. Cum permiſsio peccati ſecundùm ſe non ſit gratia, ſed negatio gratiæ; bene verò vt ordinata ad maius bonum humilitatis, & virtutum: ideò vt ita ordinata confertur prædeſtinatis ex meritis Chriſti Domini, & eſt effectus prædeſtinationis.

26 Cont. Permiſsio peccati nec vt ita ordinata confertur prædeſtinatis ex meritis Chriſti: ergo. Prob. ant. Chriſtus mortuus eſt, vt Deus conferat prædeſtinatis quæ eis meruit; ſed non eſt mortuus, vt eis permittat peccatum: ergo. Min. patet: Cum mortuus ſit, vt præſervet eos à peccato. Quare Joan. 15. v. 15. ſic orabat, dicens: *Non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerves eos à malo.* Reſp. diſt. min. Et vt ordinet permiſsionem ad maius bonum, conc. min. Nec vt ordinet, nego min. & conſ. Chriſtus enim Dominus non eſt mortuus, vt Deus abſolutè permittat prædeſtinatis peccatum; nec ita poſtulavit, nec meruit permiſsionem; ſed vt permiſsionem illius ordinaret ad maius bonum. Cumque hoc ſufficiat, vt permiſsio ita ordinata eis conferatur ex meritis Chriſti: ideò confertur. Nec permiſsio opponitur ſic prædeſtinationi: cum ſit ad tempus, & vt ex ea prædeſtinatus reſurgat humilior, & firmior, & finaliter præſervetur à peccato, & perſeveret in gratia. Ita M. Carraſco. Pro alia ſolutione vid. Illuſt. Godoy.

27 Cont. Permiſsio peccati nec prout ſic eſt effectus, quem meruerit Chriſtus Dominus, & pro quo mortuus ſit: ergo. Prob. ant. Talis effectus non præcedit prædeſtinationem Chriſti; ſed permiſsio peccati præcedit prædeſtinationem Chriſti: ergo. Mai. eſt certa: Cum ſit effectus prædeſtinationis Chriſti; & effectus non præcedit ſuam cauſam. Prob. min. Infirmitas præcedit remedium; ſed permiſsio peccati eſt infirmitatis, in cuius remedium eſt prædeſtinatio Chriſti: ergo. Reſp. diſt. mai. In genere cauſæ finalis, nego maior. Materialis, conc. mai. & min. & nego conſeq. Ut enim ſupradictum eſt, omnia

de-

decreta, & prædicta fuerunt in eodem inſtanti reali, cum diverſa prioritate, & poſterioritate in ſuo genere. Peccatum, eiuſque permiſsio præceſsit in genere cauſę materialis ad decretum prędeſtinativum Chriſti Domini. Hoc autem fuit prius in genere cauſæ finalis: cum Chriſtus fuerit prædeſtinatus, vt caput omnium, & propter quem omnia fierent. Cumque hæc præcedentia ſufficiat, vt permiſsio peccati ita ſit effectus imperatus prædeſtinationis Chriſti, pro quo ſit mortuus, & quem ſic meruerit: ideò eſt.

28 Hęc doctrina videtur clara. Volens namque ordinatè, prius vult finem, & ex eo propinquiora fini. Finis autem præcipuus voluntatis divinæ, & decretorum eius eſt bonitas divina, huiuſque, & divinorum attributorum manifeſtatio. Cui propinquior eſt Humanitas Chriſti Domini: quia eſt perfectior, & intimior ratione Unionis hypoſtaticæ cum Verbo divino. Unde Chriſtus Dominus eſt à Deo volitus, intentus, & prædeſtinatus pro priori ad omnia creata. Et exinde, propter ipſum, reliqua ſunt volita, intenta, & prædeſtinata. Quare ipſe ita præceſsit prædeſtinatos, & permiſsionem peccati eorum, cuius ordinationem in bonum prædictum meruit, & pro qua ita eſt mortuus. Cum verò in Symbolo dicitur: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis*; particula *propter* non denotat finem cuius gratia: alioquin, cum hic finis ametur plus ab intendente, quam res amata propter illum, Deus magis dilexiſſet homines, & libertatem eorum à peccato, quam Chriſtum. Significat enim homines, vt finem *cui*, atque vtilitatis, & eorum ſalutem, vt finem *effectum*. Propterea Div. Thomas 3. part. quæſt. 1. art. 3. ad 3. ait: *Deus enim permittit mala fieri, vt inde aliquid melius eliciat. Unde dicitur Roman. 4.* Ubi abundavit delictum, ſuper abundavit & gratia. *Unde & in benedictione Cerei Paſchalis dicitur*: O fœlix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.

29 Arg. 3. Permiſsio peccati non poteſt in Deo eſſe ex motivo pœnitentiæ: ergo ex tali motivo non eſt effectus prædeſtinationis. Prob ant. In Deo non eſt aliquid imprudens; ſed permiſsio peccati ex motivo pœnitentię eſſet imprudens: ergo. Prob. minor. Permittere mala, vt eveniant bona, eſt imprudentia; ſed permiſsio peccati ex motivo pœnitentiæ, eſſet permittere mala, vt eveniant bona: ergo. Prob. mai. Facere mala, vt eveniant bona, eſt imprudentia; ergo. Ant. eſt certum;

tum;

tum: Quare exiſtit in proverbium: *Non ſunt facienda mala, vt eveniant bona*. Prob. conſ. Sicut ex permiſſione mali poteſt ſequi bonum, ita ex efficientia eius; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia facere malum, eſt ſemper malum; non tamen permittere illud. Unde, cum nunquam ſit licitum facere malum, non eſt faciendum, vt eveniat bonum; eſſetque imprudentia facere illud: Cum ſit imprudentia facere illicitum. Poteſt tamen permitti: cum tale non eveniat in permiſsione. Nunc inſto argumentum: Deus nunquam facit, nec poteſt facere malum: ergo nec permittit, nec poteſt permittere? Antecedens eſt de fide. Conſequentia autem heretica.

30 Cont. Permittere malum, eſt ſemper malum: ergo. Probat. ant. Facere malum, eſt ſemper malum: ergo. Prob. conſ. Sicut talis efficientia eſt à voluntate, ita permiſsio; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia faciens, & exequens malum, non præſcindit à malitia: cum operans ſit ſemper obligatus non exequi malum. Permittens autem malum, poteſt præſcindere à malitia, cum non eſt obligatus vitare ipſum malum. Et cum Deus obligatus non ſit: ideò in ipſo, permittere malum, non eſt malum. Hoc patet in Principe; in quo facere malum, eſt ſemper malum; non tamen aliquando permittere illud, ſeu non auferre illud: præcipuè cum permittit, vt evitetur maius malum, vel vt ſequatur maius bonum. Quod fundatur in hoc principio: Quia non facere malum cadit ſub præcepto negativo: quod obligat ſemper, & pro ſemper. Facere autem hoc, vel illud bonum, ſive facere bonum, cadit ſub affirmativo; quod obligat ſemper, ſed non pro ſemper: Sicque non facere aliquando bonum, ſed modo dicto permittere malum, non eſt præceptum frangere, nec deficere, nec malum facere.

31 Cont. Permittens malum peccati ex motivo pœnitentiæ, non præſcindit à malitia, & imprudentia: ergo. Prob. ant. Permittens maius malum ob minus bonum, non præſcindit à malitia, & imprudentia; ſed permittens malum peccati ex motivo pœnitentiæ, permittit maius malum ob minus bonum: ergo. Probat. min. Malum peccati eſt maius, quam bonum pœnitentiæ: ergo. Prob. ant. Quod eſt offenſa Dei ſimpliciter infinita, eſt maius malum, quam ſit bonum, quod eſt obſequium Dei non ita infinitum; ſed peccatum mortale eſt offenſa Dei ſimpliciter infinita, & pœnitentia eſt obſequium eius non ita infinitum: ergo.

32 Reſp. diſt.mai. Reſpectu hominis, nego maior. Dei, conc. mai.& min. & ita diſt.conſ. Peccatum mortale poteſt conſiderari reſpectu hominis: quomodo dicit rationem malitiæ. Et reſpectu Dei; quomodo rationem offenſæ. Sub hoc ſolo reſpectu eſt ſimpliciter infinitum; vt docent communiter Thomiſtæ. Non ſub illo, ſub quo eſt ſimpliciter finitum,& eatenus malum, quatenus importat privationem gratiæ, quæ reſtauratur per pœnitentiam: Sicque bonum penitentię eſt maius, quam malum peccati. Et cum hoc permittatur à Deo ob tale bonum: ideò præſcindit à malitia, & imprudentia.

33 Cont. Peccatum reſpectu hominis non eſt minus malum, quam bonum pœnitentiæ: ergo. Prob.antec. Bonum pœnitentiæ non eſt maius,quam peccatum ſit malum reſpectu hominis: ergo. Prob.antec. Remiſsivum peccati non eſt maius bonum, quam ſit malum peccati; ſed pœnitentia eſt remiſsiva peccati: ergo. Mai. patet: Nam ad ſummum poteſt eſſe æque bonum: cum ſufficiat hoc ad remittendum,& deſtruendum æque malum. Min.conſtat ex definitione pœnitentiæ. Reſp. diſt.mai. Sub formalitate remiſſivi, conc.mai. Sub alia, nego mai.& diſt.min. Et manifeſtativa divinæ bonitatis, conc.minor. Remiſsiva ſolùm, nego minor. & conſ. Pœnitentia enim eſt remiſſiva peccati, & præſervativa ab alijs peccatis, atque manifeſtativa bonitatis,& attributorum Dei. Ut præcisè remiſsiva non eſt maius bonum, quàm peccatum malum, ob allegata. Sub alia tamen formalitate eſt: cum ſolo ea etiam liberet hominem ab alijs malis maioribus, ei afferat maxima dona gratiæ, ſit connexa cum beatitudine, & oſtenſiva bonitatis, & attributorum Dei. Cum igitur Deus etiam intendat pœnitentiam prout ſic præſervativam, & manifeſtativam: ideò ex tali maiori bono præintento poteſt permittere peccatum, quod eſt minus malum.

34 Cont. Licet pœnitentia, vt præſervativa, & ita manifeſtativa, afferat maius bonum; quam malum peccatum, hoc non permittitur prudenter ob illud maius bonum: ergo. Prob.antec. Non eſt prudentia permittere malum ob maius bonum, conſequibile ſine malo; ſed tale maius bonum eſt conſequibile ſine prædicto malo: ergo. Maior patet in ſuperiore ita procedente. Probat. min. Præſervatio à peccato, & manifeſtatio bonitatis, & attributorum Dei poteſt conſequi ad impletione præceptorum, potius quam tranſgreſsione eorum; & multis alijs modis cognitis Sa-

 piens

pientia divina, ſed hoc eſt tale bonum maius: ergo.

35 Reſp.diſt.mai. Conſequi abſolutè, conc.mai. Vt ex pœnitentia, nego mai.& diſt.min. Vt ex pœnitentia, conc.min. Abſolutè, nego min.& conſ. Licèt bonum præſervationis, & manifeſtationis conſideratum abſolutè, & ſub alia formalitate, ſit prædictis medijs, & alijs conſequibile, & à Deo intendibile; non verò ſub formalitate, qua procedit à pœnitentia, & eſt bonum pœnitentis, qui ea liberatur à peccatis præteritis, præſervatur à futuris, & poſsibilibus, cognoſcenſque ſuam miſeriam, & fragilitatem, humiliatur, & exercet alias virtutes, recognoſcens in ſe oſtenſionem bonitatis, clementiæ, miſericordiæ, & aliorum attributorum Dei. Cum igitur Deus permittat peccatum propter hoc bonum: ideò prudenter permittit illud, propter bonum aliter ſic non conſequibile. Sicut prudenter permittit ſevitiã tirani propter bonum pacientiæ, & gloriæ Martyris: quod, licèt abſolutè foret aliter conſequibile, non tamen vt tale, nec ſub hac formalitate: in quo modo ſpeciali manifeſtantur attributa divina.

36 Arg.4. Si Deus ex præintenta pœnitentia permitteret peccatum, permiſsio peccati ſupponeret intentionem, & amorem pœnitentiæ; ſed non ſupponit: ergo. Probat.minor. Intentio, & amor efficax pœnitentiæ ſupponit neceſſariò permiſsionem peccati: ergo. Prob.antec. Supponit neceſſariò deteſtationem peccati; ſed hæc ſupponit neceſſariò permiſsionem peccati: ergo. Minor patet: Cum ſupponat peccatum deteſtandum. Prob.mai. Intentio, & amor efficax virtutis ſupponit neceſſariò actum ipſius virtutis; ſed pœnitentia eſt virtus, cuius actus eſt deteſtatio peccati: ergo. Mai.patet: Nam eſt propter illum, cum ſit propter ſuam operationem: & amor eius ſupponat neceſſariò illud, propter quod eſt.

37 Reſp. diſt.mai. Supponit in omni genere, nego mai. In aliquo, conc.mai.& min.& diſting. conſ. In genere cauſæ materialis, & vt finem effectum, conc.conſ. Finalis cuius gratia, nego conſeq. Deus etenim intendit pœnitentiam, non ſolùm vt deteſtativam, & deſtructivam peccati, ſed etiam vt præſervativam ab alijs maioribus peccatis, & vt reparativam gratiæ amiſſæ, cauſativam gratiæ ſtabilioris, atque vt ſpeciali modo manifeſtativam attributorum Dei. Sub prima conſideratione eſt bonum occaſionatum ex peccato, videturque ſupponere ipſum, & permiſsionem ipſius, cum ſupponat ſui occaſionem. Non

autem ſub alijs, ſub quibus poteſt præintendi, & amari. Cum autem à Deo ſimul intendatur, & ametur ſub omnibus formalitatibus, & omnes conſequantur primam, ſuoque modo ſupponant peccatum in caſu præſenti: quia non intenduntur abſolutè, ſed vt in ipſa pœnitentia, & vt inferunt bonum pœnitentis; dicimus: quod pœnitentia ſupponit peccatum, eiuſque permiſsionem, in genere cauſæ materialis: cum ſit materia per ipſam deteſtanda, & deſtruenda; deteſtationem verò, & deſtructionem eius, vt finem effectum, quomodo virtus, & habitus eſt propter actum, & ſupponit illum; non tamen vt finem cuius gratia: Sic enim pœnitentia eſt prior, cum ſit perfectior. Cumque finis cuius gratia, & quod ita eſt prius, præintendatur, & ametur efficaciter, & reliqua ſint ex præintentione, & amore eius: ideò intentio, & amor efficax pœnitentiæ eſt prior, & Deus ex præintenta pœnitentia permittit peccatum.

38 Hæc doctrina patet in prædeſtinatione Chriſti. Nam ipſe, vt Redemptor, eſt bonum occaſionatum ex peccato, ſicut pœnitentia; & ſuo modo poteſt conſiderari ſub ſimilibus formalitatibus. Eſt tamen, licèt in genere cauſæ materialis, & modo prædicto, ſupponeret præviſum peccatum deſtruendum; ipſe eſt prædilectus in genere cauſæ finalis, & vt finis cuius gratia præintentus: quia eſt perfectior omnibus, & propter ipſum ſunt omnia.

39 Cont. Pœnitentia ſupponit in genere cauſæ finalis cuius gratia deteſtationem peccati: ergo. Prob. ant. Pœnitentia, vt præſervativa, & ita manifeſtativa, non eſt finis cuius gratia præintentus: ergo. Prob. antec. Pœnitentia, vt præſervativa, & ita manifeſtativa, eſt medium electum; ſed medium electum non eſt finis cuius gratia præintentus: ergo. Prob. mai. Pœnitentia, vt præſervativa, & ita manifeſtativa eſt volita vt conducens, & vtilis ad vitandum maius malum, & conſequendum maius bonum; ſed ita volitum eſt medium electum: ergo.

40 Reſp. diſt. maior. Eſt ſub omni formalitate, nego mai. Sub aliqua, conc. mai. & diſt. min. ſub aliqua formalitate, conc. minor. Sub omni, nego minor. & conſeq. Ratio enim finis intenti, & medij electi nequit compati in eadem re, quæ eſt finis vltimus. Compatitur autem in ea, quæ eſt finis intermedius. Non ſub eadé, ſed ſub diverſa formalitate: nam ſub ratione, qua eſt bonum honeſtum, & propter ſe appetibile, habet rationem finis cuius gratia, & poteſt eſſe intentus. Sub ratio-

ne autem, qua eſt bonum vtile,& conducens ad aliud, eſt appetibile propter illud, & habet rationem medij eligibilis. Cum ergo pœnitentia ſit huiuſmodi: nam in ſe eſt bona, honeſta, & propter ſe appetibilis; & deinde eſt vtilis, & conducens ad tale bonum: ideò ſub hac formalitate, & reſpectu ad illud eſt medium electum; ſub prima autem eſt finis cuius gratia,& per ſe intenta, ex cuius præintentione permittitur peccatum, cuius permiſsio,& deteſtatio in tali genere non ſupponitur, ſed ita ſupponit pœnitentiam.

41 Arg.5. Si permiſsio peccati ex præintenta pœnitentia eſſet effectus prædeſtinationis, in Deo eſſet intentio pœnitentiæ ante præviſionem peccati; ſed non eſt: ergo nec eſt ita effectus. Prob.min. In Deo non eſt amor virtualis, nec aliquid inferens amorem formalem peccati; ſed intentio pœnitentiæ ante præviſionem peccati,eſſet amor virtualis, & inferret amorem formalem peccati: ergo. Mai.eſt certa:Cum repugnet Deo. Prob.min. Intentio finis eſt amor virtualis,& infert amorem formalem eorum, quæ requiruntur ad conſecutionem finis; ſed peccatum requiritur ad conſecutionem pœnitentiæ: ergo. Maior. eſt communis. Minor patet: Cum eſſentialiter ſit dolor de peccatis.

42 Reſp. diſt. mai. Quæ vt amata, & poſita per voluntatem intendentis, conc.mai. Solum vt permiſſa, poſita tamen, & amata per voluntatem alterius, nego mai.& diſt.min. Ut amatum, & poſitum à voluntate creata, & permiſſum à Deo, conc.min. Ut amatum, & poſitum à Deo, nego min.& conſ. Pœnitentia vtique eſt dolor de peccatis, vt commiſſis à pœnitente, non à Deo, ſed permiſsis ab ipſo. Unde peccatum eſt pro illa requiſitum, à Deo permiſſum,& ſolum à voluntate creata amatum, & poſitum. Cumque intentio finis ſit amor virtualis, & inferat amorem formalem eorum, quæ requiruntur vt amata, & poſita ab intendente finem: ideò intentio pœnitentiæ in Deo non eſt virtualis amor, nec infert amorem formalem peccati. Solum enim ſequitur, quod ſit virtualis amor permiſsionis, quæ eſt à Deo.

43 Cont. Intentio pœnitentiæ eſt virtualis amor permiſsionis peccati: ergo & ipſius peccati. Prob conſ. Intentio finis prius terminatur ad medium proximum, & conducens immediatè ad finem, quam ad remotum, & conducens medio alio; ſed peccatum eſt medium proximum, & conducens immediatè ad pœnitentiam; permiſsio autem eſt medium remotum, & conducens me-

medio peccato: ergo. Min.patet: Nam pœnitentia non eſt dolor de permiſsione peccati, ſed de peccato permiſſo, & comiſſo.

44 Reſp.diſt.mai.Proximum influens, conc.mai. Vt deſtruendum, nego mai. & diſt.min. Vt deſtruendum,conc.min. Influens, nego min.& conſ. Cum medium proximum influit in conſecutionem finis,& præſtat aliquam vtilitatem, intentio finis prius terminatur ad illud,quam ad remotum: Sicque eſt virtualis amor illius,& infert formalem amorem eius. Secùs cum non, ſed præcisè concurrit vt deſtruendum. Cumque peccatum requiratur, & concurrat ad pœnitentiam,vt materia deſtruenda per illam: ideò intentio pœnitentiæ, quæ in Deo eſt virtualis amor permiſsionis, non eſt virtualis amor peccati.Ex quo ſolum ſequitur: quod Deus intendens pœnitentiam, velit ita deſtructionem peccati; non tamen ipſum peccatum. Quod vellit, peccatum deſtrui; non exiſtere; nam deſtructio influit, & cócurrit,vt vtilis, ad pœnitentiã.

45 Cont. Licèt peccatum ſit medium requiſitum, vt materia deſtruenda per pœnitentiam, intentio pœnitentiæ in Deo prius terminatur ad peccatum: ergo. Prob.ant. In Deo prærequiritur volitio peccati quoad deſtructionem, & exiſtentiam: ergo. Prob. antec. Etiam panis concurrit vt materia deſtruenda per Euchariſticã converſionem ſui in corpus Chriſti;ſed in Deo intendẽte talẽ converſionẽ prærequiritur volitio panis,nedũ quoad deſtructionem, verũ & quoad exiſtentiam: ergo.

46 Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia panis requiritur vt materia deſtruenda, & convertenda; non tamen vt deteſtanda. Vt deſtruenda per converſionem; non per deteſtationem. Hæc enim deſtructa, nullatenus manet. Illa autem, licèt non maneat in ſe, aliquo modo manet in termino: Siquidem manet converſa:cum non ſit anihilata, nec in nihilum, ſed in aliquid redacta. Quare Deus, intendens talem converſionem panis, ſuo modo vult ipſum panem, ſive talem exiſtentiam panis: vſque ad inſtans converſionis, in ſe; & poſt converſionem, in termino huius,modo prædicto. Intendens verò pœnitentiam,non vult ita peccatum, nec exiſtentiam peccati: cum non velit deteſtandum, ſeu quod reſpicit vt deteſtandum. Et ratio eſt: quia hoc eſt malum; convertendum bonum: quod, & non illud, eſt amabile à Deo. Et quia ad talem deſtructionem panis prærequiritur exiſtentia panis,ad quam non ſufficit voluntas Dei permiſsiva, ſed exigitur poſitiva, & approbativa: cum ſit quid bonum, &

crea-

creatum à Deo. Quare in Deo, intendente converſionem panis, prærequiritur volitio panis quoad exiſtentiam; non tamen volitio peccati: nam ad huius exiſtentiam, cum ſit defectus, & quid malum, ſufficit voluntas permiſſiva Dei.

47 Si inſtes: Intentio efficax pœnitentiæ eſt virtuale odium negationis peccati: cum ſit ad deſtruendum illud; ſed tale odium ſupponit amorem virtualē peccati: nam odium negativi oritur ex amore poſitivi, & affirmativi: Sicut cœcitas odio habetur, quia viſus amatur: ergo in Deo foret amor virtualis peccati. Reſpond. Quod pœnitentia eſt virtuale odium negationis peccati, vt materiæ deſtruendæ per ipſam: Sicque erit virtualis amor deſtructionis peccati; non tamen ipſius peccati quoad exiſtentiam.

48 Inſtabis: Deſtructio peccati ſupponit exiſtentiam peccati: ergo amor virtualis deſtructionis peccati eſt etiam amor peccati quoad exiſtentiam. Reſp. diſt. ant. Exiſtentiam peccati per voluntatem creaturæ, conc. antec. Per voluntatem Dei, nego antec. & conſ. Deus enim, intendens pœnitentiam, vult deſtruere peccatum, non voluntate Dei, ſed voluntate creaturæ factum, commiſſum, & exiſtens. Quare in Deo virtualis amor deſtructionis peccati non eſt amor virtualis exiſtentiæ peccati. Sicut in Superiore Reipublicæ amor, & voluntas vitandi, & deſtruendi peccata aliorum, propterea non eſt amor exiſtentiæ peccati.

49 Inſtabis: Ex prædicta intentione pœnitentiæ peccatum conſtituitur futurum, ſaltim remotè; nam finis, qualis eſt pœnitentia, non eſt futurus ſine futuritione, ſaltim radicali, & remota eorum, quæ exiguntur ad exiſtentiam ipſius; vt exigitur peccatum ad exiſtentiam pœnitentiæ, quæ eſt futura ex vi prædictæ intentionis; ſed actus, quo aliquid conſtituitur ita futurum, eſt amor, ſaltim virtualis, illius quoad exiſtentiam: cum futuritio ſit ordo ad exiſtentiam: ergo. Reſp. Quod peccatum ex vi talis intentionis conſtituitur futurum logicè; quia ea ſuppoſita, ſequitur infallibiliter, quod erit, & infertur exiſtentia eius. Non tamen phiſicè: nam iſtam futuritionem habet per determinationem liberi arbitrij creati ad peccatum: cum ſit à principio defectivo, quia eſt defectus. Cumque ſolus actus, conſtituens peccatum phiſicè futurum, ſit amor virtualis peccati quoad exiſtentiam: cum ſolus ille influat, & determinet ad peccatum: ideò in Deo, intendente pœnitentiam, non eſt talis amor. Sicut nec eſt in Deo

ex alio motivo permittente, etſi ex permiſsione peccati maneat peccatum logicè futurum.

50 Arg. 6. Ideò permiſsio peccati, ex præintenta pœnitentia, eſſet effectus prædeſtinationis, quia media illa conducit ad finem prædeſtinationis; ſed licèt ita conducat, non eſt effectus: ergo. Prob.min. Ipſum peccatum media pœnitentia conducit ad finem prædeſtinationis; ſed non eſt effectus prædeſtinationis: ergo. Mai.patet: Cum ex cognitione peccati, habita per pœnitentiam, fiat ſæpè pœnitentia maior, & vberius exercitium virtutum: quod maximè conducit ad gloriam. Reſp.diſt.mai. Ex ordinatione Dei, nego mai. Peccatoris pœnitentis, conc.mai.& min. & nego conſ. Licèt homo pœnitens ordinet ita peccatum, & exequatur ſic conducentia ad gloriam, quæ eſt finis prædeſtinationis; non tamen Deus, qui non ordinat quæ non cauſat. Ordinat autem pœnitentiam, & peccati permiſsionem, cum eam cauſet. Cumque effectus prædeſtinationis conducat ex ordinatione Dei ad finem illius, nam prædeſtinatio eſt ordinatio ipſius Dei: ideò permiſsio peccati, & non ipſum peccatum, eſt effectus prædeſtinationis.

51 Cont. Peccatum ex ordinatione Dei conducit ad finem prædeſtinationis; ſed non eſt effectus illius: ergo nec permiſsio, licèt ita conducat. Prob.maior. Licèt peccatum non ſit à Deo, conducētia peccati ad finem prædeſtinationis eſt à Deo: ergo. Prob.ant. Licèt peccatum in ſe ſit malum, eius conducentia ad finem prædeſtinationis eſt bona; ſed licèt malum non ſit à Deo, bonum eſt à Deo: ergo. Reſpond. diſt.mai. Conducentia ex parte materiæ, nego mai. Formæ, conc. mai.& diſt min. Bonum etiam ex parte materiæ, conc.min. Solius formæ, nego min.& conſ. In peccato etenim conducente ad finem prædeſtinationis, ipſum peccatum eſt materia, & eius conducentia eſt forma. Illud in ſe eſt malum. Hæc autem ſuo modo eſt bona, cum ſit ad bonum. Et licèt aliqualiter, qua bona, ſit à Deo, à quo eſt omne bonum; hoc non ſufficit, vt peccatum ex ordinatione divina conducat, nec vt ſit effectus prędeſtinationis: nam hic etiam ex parte materiæ debet eſſe à Deo, cum ſit id, quod conducit ad talem finem, licèt ratione cōducentiæ: & non ſufficit, quod ſit ab illo ipſa conducentia. Cum igitur peccatum, ita conducens, non ſit à Deo: ideò ex ordinatione divina non eſt ſic conducens, nec effectus prædeſtinationis.

52 Cont. Conducentia peccati, etiam ex parte materiæ, eſt

à

à Deo: ergo. Prob.ant.Licèt peccatum ſecundùm ſe non ſit à Deo, peccatum vt cõducens eſt à Deo; ſed talis cõducentia ex parte materiæ non dicit peccatum ſecundùm ſe, ſed peccatum vt conducens: ergo. Prob. mai. Licèt peccatum ſecundùm ſe ſit malum, vt conducens non eſt malum: ergo. Reſp.diſt.ant.Non eſt malum extrinſecè,conc. ant.intrinſecè,nego ant. & conſ.Peccatum vt conducens, & eſt peccatum, & eſt conducens. Ut conducens reduplicativè, non eſt malum: nam malitia non competit ei ex tali conducentia. Ut peccatum, & ſpecificativè ſumptũ, eſt malum: nam licèt ſit ita conducens, eſt peccatum, & ex ratione peccati habet intrinſecam malitiã. Cum igitur ita intrinſecè malum, etſi extrinſecè non ſit malum, non ſit à Deo, cum non poſsit honeſtari, nec eſſe bonum: ideò peccatum, vt ſic conducens, non eſt ab illo. Hæc ſatisfiunt,dicendo,quod cõducentia peccati ad finem prędeſtinationis,eſt conducentia occaſionata mali; non poſitiva boni. Illa quidem non eſt à Deo, cum non ſit intrinſecè bona, nec rei à Deo cauſatæ, vt eſt hæc. Sicut propterea, nec ita eſt à Deo conducentia peccati tiranni ad patientiam, & gloriam Martyris.

53 Ex quibus ſequitur, quod permiſsio peccati aliorum, etiam reproborum,eſt effectus prædeſtinationis electorum. Conſtat ex dictis:nam his omnia,etiam aliorum,cooperantur in bonum. Reſolutio eſt communis cum Divo Thoma loco cit. Ratio eſt, quia omne conducens ad finem prędeſtinationis, ſi à Deo ſit, eſt effectus prædeſtinationis,ſed permiſſio peccati aliorum conducit ad finem prædeſtinationis electorũ: ergo.Prob.min.conducit vt electi cognoſcant magnam miſericordiam Dei erga ipſos,cum eos pręſervet à talibus peccatis. Aut ſi ea commiſſerunt,advertant,quod alios propter illa damnaverit, & non ipſos,ſed priùs indulſerit. Ex qua cognitione fiunt humiliores, pluresque exercent virtutes; ſed hoc eſt permiſsionem peccati eorum conducere ad finem prædeſtinationis electorum: ergo.

## QVÆSTIO IV.

### *DE CERTITVDINE PRÆdeſtinationis.*

CErtitudo prædeſtinationis ſatis ex antecedẽtibus conſtat. Hanc autẽ præbebimus notitiam, pro pleniori eius intelligentia.

* * *

AR-

## ARTICULUS PRIMUS.

### *VTRVM PRÆDESTINATIO ſit certa.*

1 NOto: quod cum prædeſtinatio dicat præcognitionem, & præcauſalitatem ſuorum effectuum, poteſt dubitari: An ſit certa quoad vtramque? An habeat cognitionem certam de omnibus illis: & cauſalitas omnium ſit infallibilis, ita vt ſit ordo certus ad eventus illorum? Certum enim eſt, quod prædeſtinatio quoad talem præcognitionem eſt certiſsima, & infallibilis, cum talis præcognitio ſit ſcientia Dei, quæ eſt omninò indefectibilis. Quare difficultas eſt de certitudine cauſalitatis.

2 Concluſio: Prædeſtinatio eſt certa, & infallibilis quoad cauſalitatem. Eſt communis cum Divo Thoma art. 6. & B. Alb. q. 63. Eam fundat Angel. Mag. in illo Rom. 8. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit.* Et refert Gloſſam dicentem: *Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio Dei, qua certiſsimè liberantur quicumque liberantur*; ſed cauſalitas prædeſtinationis eſt circa liberationem, ſive ſalvationem prædeſtinatorum: ergo eſt certiſsima. Explicatur: Sicut prędeſtinatio importat præſciētiam, ita præcauſalitatem, ſive ordinem, & præparationem cauſalitatis; ſed prædeſtinatio eſt omninò certa quoad præcognitionem: ergo etiam quoad præcauſalitatem.

3 Prob. concluſio ratione Divi Thomæ: Providentia Dei eſt omninò certa quoad cauſalitatem; ſed prædeſtinatio eſt quædam providentia Dei: ergo Confirmatur: Providentia includens voluntatem Dei, quæ ſemper impletur, eſt omninò certa quoad cauſalitatem; ſed prædeſtinatio eſt providentia Dei, includens voluntatem Dei, quæ ſemper impletur: ergo. Prob. min. Voluntas Dei efficax, ſemper impletur; ſed prædeſtinatio eſt providētia Dei, includens voluntatem abſolutam efficacem ipſius erga ſuos effectus: ergo. Maior eſt reſolutio Ang. Mag. art. 6. & conſtat ex illo Pſal. 113 *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Et Iſai. 46. v. 10. *Omnis voluntas mea fiet.* Min. patet q. 1. art. 1. & 2. ex definitione ipſius.

4 Ex quibus ſequitur quod etiam eſt certa quoad perſonas ſalvandas. Conſtat ex illo Joann. 10. v. 28 *Et non rapiet eas quiſquam de manu mea* v. 29. *Et nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* Eſt quoque certa quoad gratiam, merita, & media, quibus ſalvandæ ſunt, cum ſupponat electionem mediorum, & omnium, quibus prædeſtinati ſunt ſalvandi.

Et tandem quoad finem, qui eſt gloria, cum ſit tranſmiſsio efficax prædeſtinatorum in vitam æternam.

5 Inquires: An prædeſtinati liberè ſalventur, cum prædeſtinatio ſit ita certa? Reſp. quod liberè ſalvantur. Hæc veritas eſt de fide, & ſtabilita à D. Thoma art. 6. Prob. ratione ipſius: Licèt prędeſtinatio ſit ita certa, & infallibilis, non imponit neceſsitatem, nec tollit libertatem à prædeſtinatis, vt ſalventur: ergo. Prob. ant. Providentia eſt omninò certa, & infallibilis, quin imponat neceſsitatem effectibus contingẽtibus, nec auferat libertatem à liberis; ſed prædeſtinatio eſt pars providentiæ: ergo. Conſtat etiam ex Ang. Doct. quæſt. 19. art. 8. vbi reſolvit: quod voluntas Dei non imponit neceſsitatem in rebus: quia vult, quod liberè fiant, quæ petunt fieri liberè. Similiter nec prędeſtinatio: quia Deus vult, quod prædeſtinati liberè ſalvẽtur. Quomodo huic certitudini, & efficaciæ cohæreat talis libertas; conſtat tract. 4. quæſt. 4. art. 2. Ratio præcipua eſt, quia Deus decreto efficaci, etiam prædeſtinativo, cauſat actum quoad ſubſtantiam, & modum libertatis eius, cum vtroque modo contineat illum; & vult quod fiat, & quod liberè fiat; & quod homo ſalvetur, & liberè ſalvetur: ergo liberè ſalvatur: cum Deus velit ita, quod liberè ſalvetur.

6 Arg. 1. Prædeſtinatio non eſt infallibilis quoad cauſalitatem: ergo nec omninò certa. Probatur ant. ſi foret infallibilis quoad cauſalitatem, eſſet infallibilis quoad effectum ſalutis conſequẽdæ; ſed non eſt: ergo. Prob. min. Si foret infallibilis quoad effectum ſalutis conſequendę, prædeſtinatus conſequeretur infallibiliter eam, & non poſſet amittere illam, ſed non conſequitur infallibiliter eam, & poteſt ammittere illam: ergo. Prob. min. ex illo Apoc. 3. v. 11. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Nunc S. Aug. cit. arg. 1. à Divo Thoma: *Alius non eſt accepturus, niſi iſte perdiderit*: ergo. Reſp. admitto, & explico Sacrum Textum cum D. Thoma ad 1. ita exponente, & aſſante: *Corona dicitur eſſe alicuius dupliciter, &c.* vt quæſt. 2. art. 2. num. 31.

7 Cont. Prædeſtinatus poteſt ammittere ſuam coronam: ergo poteſt ammittere eam, vt ex prædeſtinatione divina. Prob. ant. Si non poſſet, foret in hominibus occaſio negligentiæ, & deſperationis; ſed ex prædeſtinatione nequit eſſe talis occaſio: ergo. Prob. mai. Poſſet vnus dicere: Si ſum prędeſtinatus, quomodocumque nunc procedam, tandem ſalvabor. Alius autem: ſi non ſum

præ-

prædeſtinatus, quid mihi proderit rectè operari, ſi non ſalvabor? Sed primum eſt occaſio negligentiæ, & ſecundum deſperationis, cum ibi negligat, hic ceſſet operari, aut non fidat in recta operatione: ergo.

8 Reſp. diſt. mai. Dicere prudenter, nego mai. imprudenter, conc. mai. & min. & nego conſeq. Diſcurrens etenim ſic proccederet imprudenter: ſiquidem diſcurſus prudens eſt hic: ſi ſum prędeſtinatus, ſalvabor; non ſine bonis operibus, ſed cum illis: nam prædeſtinatio eſt ordinatio creaturæ ad gloriam per bona opera: Vnde hæc debeo, & volo ſolicitus exequi, vt conſequar illam, & Deo ſerviam, eiuſque præcepta impleam, quæ præcipiunt operationes ſanctas. Exemplum de agricultura ſumptum eſt. Agricola enim imprudenter procederet, ſi ita diſcurreret: Si Deus habeat decretum de fructibus colligendis, quomodocumque laborem, colligam: exindeque negligeret laborare. Diſcurſus ſiquidem eſt hic: Decretum de fructibus colligendis eſt, per media proportionata: ſicque recurro ad labores. Similiter alius diſcurſus foret imprudens: ſicut eſſet in agricola, ſi exinde ceſſaret laborare: nã cum nemo ſciat, ſe eſſe præſcitum, nequiquam poteſt, nec debet ſic procedere. Imò cum ſciat, neminem damnari, niſi propter peccata libera; & neminem ſeu per rectè operantem condemnari, debet ſẽper benè operari, & omnia peccata vitare, ne damnetur.

9 Vnde prædictus imprudens diſcurſus foret cauſa negligentię, & deſperationis, non verò prædeſtinatio, nec eius infallibilitas, certitudo, nec impotentia amittendi ex illa coronam: quæ potiùs retrahit à malo, & excitat ad bonum. Pro quo, præ oculis habendũ eſt illud Apoſtoli ad Philipp. 2. v. 12. *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini*. Vbi D. Thomas refert, & addit illud 1. Corint. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*. Et illud Matth. 10. & 24. *Qui autem perſeveraverit vſque in finem, hic ſalvus erit*. Quin, & quilibet debebat non peccare, nec ceſſare à recta operatione, ſed honeſtè operari rectè, propter Deum, cui placere debet, & non offendere ipſum.

10 Nec ex certitudine prædeſtinationis redditur inutilis admonitio, prædicatio, & oratio: cum prædeſtinatio ſit de ſalute, medijs illis, & bonis operibus conſequenda; & debeant apponi media, vt finis conſequatur. Quare prævenit S. Aug. lib. 2 de dono perſeverantię cap. 14. quod Chriſtus, qui oſtendit certitudinem prædeſtinationis, dicens Ioann. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater,* qui

*qui miſit me, traxerit eum*, prædicabat, admonebat, & hortabatur homines, vt crederent, & venirent per bona opera, inter quæ proponebat orationem, vid. q. 1. art. 2. num 11.

11 Arg. 2. Si prædeſtinatio eſſet omninò certa, prædeſtinatum non ſaluari, foret impoſsibile; ſed non eſt impoſsibile: ergo. Prob. min. Aliquem prædeſtinatum non ſaluari eſt poſsibile: ergo. Prob. ant. Aliquem prædeſtinatum mori in peccato mortali, eſt poſsibile; ſed mortuus in peccato mortali, non ſaluatur: ergo. Prob. mai. Prædeſtinatum peccare mortaliter, & ſtatim occidi, eſt poſsibile; ſed tunc moreretur in peccato mortali: ergo.

12 Reſp. diſt. mai. Eſt ex ſuppoſitione, nego mai. Abſolutè, conc. mai. & min. & nego conſ. Ita D. Thomas art. 2. inquiens: *Licet ſit poſsibile eum, qui eſt prædeſtinatus, mori in peccato mortali ſecundum ſe conſideratum, tamen hoc eſt incompoſsibile poſito, prout ſcilicet, ponitur eum eſſe prædeſtinatum. Vnde non ſequitur, quod prædeſtinatio falli poſsit.* Similiter ſi objicias: Quidquid Deus potuit, poteſt; ſed potuit non prædeſtinare quem prædeſtinauit: ergo & nunc poteſt: ſicque prædeſtinatio non erit certa. Reſp. quod poteſt abſolutè, ſiue in ſenſu diuiſo. Non ex ſuppoſitione, nec in ſenſu compoſito prædeſtinationis, quæ includit voluntatem diuinam immutabilem.

## ARTICVLVS II.

### *VTRVM NVMERVS PRÆdeſtinatorum ſit certus.*

1. NOto 1. cum D. Thoma art. 7. quod numerus poteſt ſumi formaliter, & vt præſcindit à determinata materia numerata, vt ſenarius, vel ſex homines. Et materialiter, vt dicit materiam determinatam in indiuiduo, vt hi, vel illi ſex homines. Numerus enim prædeſtinatorum formaliter ſumptus eſt certus. Sic D. Thomas cum M. P. Aug. in ſed cont. aſſerente: *Certus eſt prædeſtinatorum numerus, qui neque augeri poteſt, neque minui*, in quo conueniunt omnes. Aliqui autem dixerunt, non eſſe certum materialiter conſideratum, quorum aſſertum rejicit Aug Mag. dicens: *Hoc tollit certitudinem prædeſtinationis. Et ideò oportet dicere, quod numerus prædeſtinatorum ſit certus Deo, non ſolum formaliter, ſed etiam materialiter.*

2 Noto 2. cum D. Thoma: quod non loquimur de certitudine reſpectu noſtri, qui neſcimus talem numerum; ſed reſpectu Dei. Reſpectu autem Dei poteſt ſumi in ratione cognitionis; & ſic eſt

certus, cum Deus ſciat, quot ſint prædeſtinati, & ſalvandi. Sicut ita ſcit, & Deo eſt certus numerus gutarum pluviæ, & arenæ maris. Et poteſt conſiderari in ratione electionis, & definitionis: quomodo etiam eſt certus Deo numerus prædeſtinatorum. Conſtat in D. Thoma loc. cit. & in Beato Alb. quæſt. 63.

3 Prob. ratione D. Thomæ: Numerus prędeſtinatorum, & individuorum, quæ per ſe, & principaliter intenduntur, & præordinantur à Deo in bonum vniverſi, eſt Deo certus certitudine electionis, & definitionis; ſed inter creaturas rationales, & inter has prædeſtinatæ ſunt per ſe, & principaliter ita à Deo intentæ, & præordinatę: ergo. Mai. quoad 1. part. patet etiam in agente creato: nam intendens producere, & efficere aliquod totum finitum, intendit, & præordinat numerum determinatum partium, quæ per ſe, & principaliter exiguntur pro illo, quarum numerus ita eſt illi certus. Sicut ædificator intēdens conſtruere domum, pręintendit, & pręordinat ſic numerum manſionum, ita ei certum. Quoad 2. part. etiam conſtat: nam numerus ita præintentus, & præordinatus eſt certus certitudine electionis, & definitionis. Prob. min. Cæteræ creaturæ ſunt corruptibiles; rationales autem, vt tales, ſunt incorruptibiles, & potiſsimè prędeſtinatæ: ergo. Probatur conſ. Deus producit creaturas, vt ordinatas ad bonum vniverſi; ſed individua corruptibilia creaturarum non ordinantur per ſe, nec principaliter ad bonum vniverſi, ſed ſecundario, & ratione ſpeciei, quæ conſervatur in eis; individua autem incorruptibilia, vt ſunt creaturæ rationales, ordinantur per ſe, & principaliter: cum ipſæ in individuo vniverſum ornent; & præcipuè conſequētes beatitudinem, quæ perveniunt ad vltimum finem: ergo.

4 Roboratur ex Ang. Doct. Agens, intendens aliquam menſuram in effectu, excogitat, & præordinat certum numerū partium eſſentialium, & præcipuarum, quæ requiruntur ad perfectionem totius effectus; ſed Deus eſt agens, intendens aliquam mēſuram in productione vniverſi: ergo excogitavit, & præordinavit numerum certum partium eſſentialium, ſive præcipuarum, quæ requirebantur ad perfectionem vniverſi. Cum igitur inter has, creaturæ rationales, potiſsimè prædeſtinatæ, ſint præcipuæ, cum magis conducant ad perpetuitatem, & perfectionem vniverſi, quam Deus intendit: ideò præordinavit numerum certum prædeſtinatorum.

Min. conſtat ex illo Sap 11. v. 21. *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti.*

5 Inquires: Quis ſit iſte numerus prædeſtinatorum? Reſpódet D. Thomas in corp. ſic: *Dicunt quidam, quod tot ex hominibus ſalvabuntur, quot Angeli remanſerunt. Quidam verò, quod tot ex hominibus ſalvabuntur, quot Angeli ceciderunt: Et inſuper tot, quot fuerunt Angeli creati. Sed melius dicitur, quod ſoli Deo eſt cognitus numerus electorum in ſuperna fœlicitate locandus.* Hæc D. Thomas. Dubium ſpeciale eſt: An numerus prædeſtinatorum ſit maior numero reproborum?

6 Præmitto: quod numerus prædeſtinatorum eſt magnus. Cóſtat ex illo Apoc. 7. v. 4. *Audivi numerum ſignatorum centum quadraginta quatuor millia ſignati* Et poſt eorum relationem, ſuperaddit B. Joannes v. 9. *Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Et Pſal. 138. cecinit Pſalmiſta Regius: *Nimis honorati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum. Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.* Quod exponunt Sancti Patres, & Catholici Interpretes de prædeſtinatis.

7 Veruntamen, ſi omnes homines vniverſi computentur, minor eſt numerus hominum prædeſtinatorum, quàm reproborum. Conſtat ex illo Matth. 20. v. 16 *Multi ſunt vocati, pauci verò electi* Et cap. 7. v. 13. *Lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam!* Nunc Divus Thomas ait: *Tangit numerum.* Et B. Albertus legit: *Pauci ſunt, qui quærunt: pauciores qui inveniunt paucissimi, qui inventam perficiant, quia multi, ſicut ſuprà diximus, revertuntur retrorſum.* Et Lucæ 12 v. 32. dicitur: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Venerab. Beda lib 4. in Luc. tom. 4. *Puſillum gregem electorum, vel ob comparationem maioris numeri reproborum: nominat.* & S. Vincent. Ferr. ſer. 2 Dom. 5. poſt Feſt. Trinit. aſſerit: *Pro vna anima, quæ vadit ad Purgatorium, vadunt mille ad infernum.*

8 Et perdoctus M. Fr. Joannes Granatenſis, Civitatis, & noſtri Convētus Calataiuvij Filius, & Cæſarauguſtanæ Academiæ Sacræ Paginæ Interpres, tom. 2 Parab. fol. 243. dici: *Fidelium numerus, ſi cum infidelium multitudine conferatur, quaſi centum reſpectu mille eſſe videtur.* Sup. Amos 5 *Vrbs, de qua egrediebantur mille, relinquetur in centum.* Hic enim eſt ſenſus communis, & expreſſus in Divo Thoma art. 7. ad 3. qui ſatis pa-

tet, nam ante, & poſt promulgationem Sancti Evangelij, numerus fidelium eſt exiguus reſpectu numeri infidelium, Barbarorum, Atheiſtarum, Gentilium, Judæorum, Sarracenorum, & Hæreticorum; ſed ſoli fideles ſunt prædeſtinati, & ſalvandi: ergo.

9 Prob. ratione D. Thomæ ad 3. licèt bonum proportionatum communi ſtatui naturæ, vt in pluribus eveniat, & in paucioribus deficiat: Bonum tamen excedens invenitur vt in paucioribus, & deficit in pluribus; ſed bonum prædeſtinationis, quod eſt æterna beatitudo, conſiſtens in viſione Dei, excedit communem ſtatum naturæ, præcipuè vt gratiæ deſtitutæ per corruptionem peccati originalis: ergo in paucioribus invenitur: ſicque numerus prædeſtinatorum, in quibus eſt, erit minor reſpectu numeri reproborum. Maiorem explicat S. Doctor, dicens: *Sicut patet, quod plures homines ſunt, qui habent ſufficientem ſcientiam ad regimen vitæ ſuæ; pauciores autem qui hac ſcientia carent, qui moriones, vel ſtulti dicuntur; ſed pauciſſimi ſunt reſpectu aliorum, qui attingunt ad habendam profundam ſcientiam intelligibilium rerum.* Min. eſt manifeſta, conſ. patet. Et ſic cõcludit: *Et in hoc etiam maximè miſericordia Dei apparet, quod aliquos in illam ſalutem erigit, à qua plurimi deficiunt, ſecundum communem curſum, & inclinationem naturæ.*

10 Reſtat dubium: An numerus fidelium prædeſtinatorum ſit maior numero reproborum? Si enim numerētur infantes baptizati, & pueri ſine dolo decedentes, videtur maior numerus fidelium prædeſtinatorum: ſiquidem multitudo eorum adæquat multitudinem fidelium adultorum, aut parum exceditur ab illa. Cum igitur illi ſint prædeſtinati, & ſalventur; & præterea plurimi fideles adulti, qui ſanctè vivunt, & moriuntur, numerus eorum erit maior numero reproborum. In quo multi conveniunt.

11 Difficultas reducitur ad fideles adultos. Prima ſententia affirmat, numerum fidelium prædeſtinatorum eſſe minorem numero reproborum, ita Emin. Caiet. Matth. 15. in Parab. Virgin. Cartuſian. Matth. 20. & 22. Lira Matth. 20. & alij Commentatores. Mag. Alvarez tract. de auxil. Gonet, Molina, Vazq. & alij. Secunda tenet, fore maiorem, ita Mag. Silveſt. in Roſa Aur. ſup. Evang. Dom. Septuag. Cardinalis Pallavicinus, M. Serra, Pater Suarez, Granadus, Ruiz, & relati à Mag. Gonet. Enim verò videntur loqui de cœtu omnium fidelium, & non de ſolo numero adultorum.

Mag.

12 Concluſio: Probabile eſt, quod ex fidelibus adultis, numerus prædeſtinatorum eſt maior numero reprobornm: Et probabile eſt, quod eſt minor. Hoc patet ex relatis Divi Thomæ. Quod fatentur Caiet. Serra, & Genet. Reſolutio prima conſolatur puſillanimes, dilatat animum timentium, & erigit ſpem agonizantium. Conſtat ex Matthæi 22. Ubi ex multitudine vocatorum ad nuptias, ſolus vnus eſt eiectus, quia non habebat veſtem nuptialem; ſed illa vocatio, ſeu invitatio, ſignificat vocationem ad gloriam, & prædicta eiectio reprobationem, & eiectionem in infernum: ergo ex vocatis, qui ſunt fideles, præcipuè adulti, plures videntur electi ad gloriam, & pauciores damnandi pœna æterna: Sicque erit maior numerus prædeſtinatorum. Min. eſt communis quoad 1 part. Nam illud: *Quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Exponunt Sacri Interpretes: *Non habens charitatem.* Quo ad 2. partem conſtat ex contextu: *Mittite eum in tenebras exteriores.*

13 Confirmatur ex illo Deuteron. 32. v. 8. *Conſtitui terminos populorum iuxta numerum filiorum Iſrael.* Ubi ſeptuaginta Interpretes legunt: *Statuit terminos gentium ſecundum numerum Angelorum.* Sanctus Gregorius hom. 34. *Tanta aſcenſura creditur multitudo hominum quanta multitudo remanſit Angelorum.* Idem affirmat S. Anſelm lib 1. cur Deus homo cap. 18 & Mag ſent. in 2. diſt. 9. cap penult. & ſatis patet ex opinionibus relatis cum Divo Thoma. Sed Angeli, qui remanſerunt, ſunt in magno numero, ſicut & qui ceciderunt, & omnes Angeli creati ſunt in numero maximo, quorum multitudo excedit numerum hominum fidelium, & ſine dubio medietatem eorum: ergo numerus aſsignatus prædeſtinatorum eam excedit. Quare D. Gregorius lib 31. Moral. cap. 19. & 35. affirmat: *Plures homines eſſe prædeſtinatos, quàm Angelos electos*: ergo & quàm homines reprobos.

14 Roboratur: Numerus creaturarum ſuperiorum, præcipuè immaterialium, & Angelorum, excedit nimis numerum inferiorum, vt docet Ang. Mag. 1. part. quæſt. 50. art. 3. ergo ſive homines prædeſtinati ſint tot, quot Angeli electi, ſive quot Angeli remanentes, numerus eorum erit ita magnus, vt excedat numerum fidelium damnatorum. Et ratio pia eſt, nam ſunt plures fideles iuſti, qui cavent à peccatis. Alij, qui etſi peccent, pœnitent citò. Et ſunt plurima remedia, vt ſanentur, vt Sacramenta, & alia.

Et in hora mortis ferè omnes dolent de peccatis: ergo videtur pium, & Clementiæ Dei conſonum, quod plures fideles adulti ſalventur; & quod in eis ſit maior numerus prædeſtinatorum.

15 Prob. ratione: Cum Deus prædeſtinaverit homines ante præviſa merita, non eſt motus ab eorum meritis, ſed à divina bonitate, vt prædeſtinaret, & oſtenderet divina attributa, præcipue liberalitatem, miſericordiam, clementiam, & omnipotentiam; ſed hæc potius manifeſtat prædeſtinando plures fidelium adultorum, quam pauciores: ergo. Mai. patet quæſt. 2. art 1. Minor. conſtat: Nam Omnipotentiam ſuam parcendo maxime, & miſerando manifeſtat: quod fit præcipue in prædeſtinatis, & in electione plurium fidelium. Deinde: Vt Deus manifeſtaret iuſtitiam divinam, maiorem numerum hominum reprobavit: ergo vt oſtenderet miſericordiam divinam, maiorem numerum fidelium adultorum prædeſtinavit. Ant. conſtat ex dictis. Conſ. patet: Nam Deus multum miſericors eſt; & neminem vult perire, ſed quod homo, præcipue fidelis, convertatur, & vivat.

16 Reſolutio ſecunda fulcitur multis authoritatibus. Nam Amos 5. v. 3. dicitur: *Vrbs:: de qua egrediebantur centum, relinquentur in decem.* Nunc N. Granatenſis citatum 8. *Si eos, qui exterius benè operari videntur, eis, qui pravè exterius operantur, comparaveris, quaſi decem reſpectu centum iudicandi ſunt. Sed quis non ibi dubius, quam quod iſti decem diu non examine excribrati ad quinque reducantur!* Sed prædeſtinati, & ſalvandi deſignantur in adultis fidelibus ita benè, & exaptè operantibus: ergo videntur reducti ad numerum exiguum, & minorem numero reproborum.

17 Et Exodi 12. v. 37. refertur multitudo Iſrael, quæ profecta eſt de Ægipto in terram promiſsionis, & dicitur: *Sexcenta fere millia peditum virorum, abſque parvulis. Sed & vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis.* Et tamen ex eis duo ſoli, nempe Caleph, & Joſue ingreſſi ſunt in terram promiſsionis, quæ ſignificat beatitudinem, vt SS. exponunt; ſicut & Iſrael populum fidelium; & numerus virorum denotat fideles adultos: ergo numerus fidelium adultorum prædeſtinatorũ, qui conſequentur gloriam, videtur minor numero reproborum. Hanc hiſtoriam memorans Apoſtolus 1. Cor. 10. v 1. ait: *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt:: Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo:* Divus Thomas lect. 1. legit: *Pa-*

*tres noſtri inſtitutores fidei noſtræ, &c. Non in pluribus*, ſuperaddit: *Sed tantum in duobus, ſcilicet Caleph, & Joſue: quibus ſolis conceſſum eſt terram promiſsionis obtinere.*

18 Confirmatur ex parabola Mat.25 *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* Ubi Emin. Caietanus inſinuat: Quod ex fidelibus ſalutem ſuam procurantibus medietas, deſignata in fatuis, perit. Cum ergo ſint multi de illa non curantes, hi peribunt, & numerus ſalvandorum, & prædeſtinatorum erit minor. Præterea: 1 Pet 3. v.20. dicitur de Arca Noe: *In qua pauci, id eſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam. Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma.* Ex quo D. Aug. lib. 5. de Baptiſmo cont. Donatiſtas cap. 18. docet: Quod ex his, qui ſunt intra Eccleſiam per fidem, quod ſignificatur per eſſe in Arca Noe, plures pereunt, & pauciores ſalvantur. Cum igitur hoc non videatur intelligendum de cumulo omnium fideliũ, loquetur de numero adultorum.

19 SS. Patres plura de hoc inquiunt. S. Hieron. Tom. vlt. in Epiſt. ad Damaſum ait: *Vix de centum millibus hominum, quorum mala fuit ſemper vita, meretur habere indulgentiam vnus.* Et D. Joan. Chriſoſt. ſup. Act. Apoſt. cap. 1. Hom. 3. dicit: *Non arbitror inter Sacerdotes, qui ſalvi fiant, ſed multo plures, qui pereant.* Et Hom. 40. prædicans Populo Antiocheno, ex ducentis millibus hominibus compoſito, dixit: *Quot eſſe putatis in Civitate noſtra, qui ſalvi fiant? Infauſtum eſt, quod dicturus ſum. Dicam tamen. Non poſſet in tot millibus centum inveniri: quin & de his dubito. Quanta enim in iuvenibus quæſo malitia, &c.* Deinde diſcurrit in omni ſtatu. Et Hom. 43. ad Heb. dicit: *Miror, ſi poteſt ſalvari aliquis rectorum.*

20 M. Gonet refert plures ſimiles authoritates; & Eremitam mortuum, qui apparens Epiſcopo Lingonenſi, dixit ei: Ea hora, in qua ego de corpore migravi, triginta hominum millia ab hac luce tranſierunt. E quibus Bernardus, Clarevallenſis Abbas, qui eadem hora obijt, vna mecum ad Cœlos evolavit: duo alij ad Purgatorium miſsi ſunt: Cœteri omnes, per Sententiam Summi Judicis condemnati, ad infernum perpetuò cruciandi deſcenderunt.

21 Suadetur hoc diſcurſu probabili: Moriens ſine vera pœnitentia, non eſt prædeſtinatus, ſed præſcitus; ſed ex fidelibus plures moriuntur ſine vera pœnitentia: ergo. Prob. min. Experientia docet: quod rarus conſervet innocentiam, nec gratiam baptiſmalem; Paucos eſſe, qui non ad-

hæreant peccatis mortalibus, frequenter reincidentes in illa; qui licet aliquando confiteantur, non emendantur, nec occaſiones peccati fugiunt. Multos oprimit ſubita, & inopinata mors, ob morbum occultum, aut nocivum propinatum, vel acceptum: Ob naufragium in mari, & ſubmerſionem in flumine. Magna multitudo perit terræmotibus, & maxima in bello, vt nunc conſpicimus. Ex quibus pauci videntur ſalvari: cum deſit tempus pœnitentiæ in ſubitaneo, & inſperato caſu: Et in alijs non videatur vera: nam ſuperſtites, ſtatim multi in crimina atrociora labuntur. Præterea, ex moribundis Sacramenta recipientibus, aliqui deficient in pœnitentia: nam infirmitate, dolore, & debilitate capitis preſsi, non poſſunt contritioni, dilectioni, nec alijs actibus ſupernaturalibus eſſe intenti. Quare aliqui habentes peccatum lethale, poſſunt perire: ergo poteſt præſumi, quod ex fidelibus plures moriantur ſine vera pœnitentia, & quod numerus prædeſtinatórum ſit minor.


22 Veruntamen hęc Sententia, etſi propter dicta ſit veneranda, ideoque in cura noſtræ ſalutis cum timore, & tremore ſolicitè procedendum, & in nullam viam pravam declinandum, ſed per viam Dei incedendum: Prima multum placet pro conſolatione noſtra, & clementia, atque miſericordia divina. Quare ex allegatis pro illa, ſatisfit obiectis pro alia.

23 Dubiolum autem occurrit: An in Cœtu prædeſtinatorum ſit maior numerus mulierum, quam hominum? Ang. Doctor Quodlibeto 3. quęſt. 11. art. 25. ait: *Cum ſoli Deo ſit certus numerus electorum, incertum eſt, vtrum inæquales ſalventur mares, vel fœminæ, vel æqualiter tot mares, quot fœminæ.* Hunc igitur ſenſum ſequimur. P. Ruiz diſp. 54 affirmat: Plures fœminas eſſe prædeſtinatas, quàm viros. M. Gonet hoc referens, neutrum reſolvit.

24 Pro maiori numero fœminarum eſt fundamentum: Quia plures fœminæ, quàm viri, frequentant Sacramenta, & cum vtilitate audiunt Miſſas, & Conciones. Sunt propenſiores ad eleemoſynas, ieiunia, pias devotiones, & preces. Poſt peccatum quoque, dolent facilius, & excitantur, vt timeant pœnas inferni: Sicut in infirmitatibus, vt Sacramenta recipiant. Præterea, poteſtas virorum in eas, comprimit illarum vitia, ne efrenatè creſcant, ſicut vitia eorum. Corripiuntur etiam, & detinentur propter famam, & honorem à parentibus, maritis, & conſanguineis. Congenitus earum pudor,

ſervat plures fœminas, quàm viros. Peccatum earum regulariter minus demeretur veniam, propter ſui ignorantiam, & fragilitatem. Et quia miſerabiliores, magis provocant miſericordiam divinam. Quare, & ob ſui pietatem, videtur maior numerus earum in Cœtu prædeſtinatorum. Vnde repetit Eccleſia: *Intercede pro devoto fœmineo ſexu.*

25 Pro maiori numero hominum, adeſt hoc fundamentum: Nam plures ſunt docti, vt diſcant declinare à malo, & facere bonum. Sunt magis conſtantes: ideoque & in bono perſeverantes. Cœtus Eremitarum, Anacoretarum, Religioſorum, Sacerdotum, & Martyrum, ſine comparatione eſt maior. Ex quibus, Martyres coronantur gloria; & ex alijs piè credimus, quod plurimi ſalventur; præcipuè, cum ipſi ſint deſignati, vt alios, & fœminas ad ſalutem dirigant. Nec in eis deeſt pia devotio: Et ideo repetit pia Mater Eccleſia: *Funde preces pro devoto tibi nunc Collegio.* Deus pius vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem ſuam venire. Cognoſcamus ipſum, & diligamus eum: vt inter electos eius computemur. Sic fiat. Sic eveniat. Amen. Et hæc de Tractatu quinto.



# TRACTATVS SEXTVS

## DE ANGELIS.

POSTQVAM Angelicus Doctor in hac 1. part. egit de Deo, & de diſtinctione creaturarum in communi; agit de creaturis in particulari. Et quia inter eas, purè ſpiritualis, qualis eſt Angelus, eſt nobilior; prius inſtituit à quæſt. 50. Tractatum de Angelis, in cuius limine ait: *Et primo de creatura purè ſpirituali, quæ in Sacra Scriptura Angelus nominatur.* Ipſum per 24. quæſtiones diffundit. Quem in duos Tractatus diſtribuam. In hoc primo peragam de ſubſtantia, loco, motu, & cognitione Angelorum.

### QUÆSTIO PRIMA.

*DE SVBSTANTIÆ ANGElorum.*

CUM in qualibet re ſubſtantia, eſſentia, & natura eius ſit prior: hæc præſcienda eſt nunc de Angelis.

### ARTICULUS PRIMVS.

*VTRVM ANGELI SINT omnino incorporei, & immateriales.*

1 EXISTENTIA Angelorum conſtat ex Sacra Pagina; eamque ex illa ſupponit Ang. Magiſter. Aliqui

sui-

autem ignorantes vim intellectiuam, non diſtinguebant ſenſum, & intellectum, & exinde exiſtimabant: Omne ens eſſe corpus: cum ſolum corpus cadat ſub imaginatione, & ſenſu. Quare Sadducæi erraverunt, negantes ſpiritum: vt ait D. Thomas art. 1. Et præterea, non admittentes reſurrectionem. Alij antiqui adſtruebant in Angelis corpora aerea, ſubtilia, & tenuia.

2 Prima concluſio: Angeli ſunt omnino incorporei. Ita Div. Thomas art. 1. Et cum eo Theologi. Et eſt communis inter PP. Latinos. Illam docet B. Albert. Magn. 2. part. quæſt. 5. ad 1. & 1. part. quæſt. 75 ad 1. Eam fundat Ang. Doct. in illo Pſal. 103. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus.* Conſtat ex Concil. Lateranenſi cap. Firmiter de Sum. Trin. in quo dicitur: *Firmiter credimus, quod vnus eſt ſolus verus Deus, qui ex nihilo condidit vtramque naturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & humanam, & deinde humanam quaſi communem ex corpore, & ſpiritu conſtitutam.* Ex quibus hi formantur diſcurſus. 1. Sac. Concilium contraponit, & diſtinguit naturam Angelicam ab omni natura corporali; ſed ſub hac ſunt aliqua corporea tenuia, ſubtilia, & aerea: ergo Angeli ſub illa ſunt omnino incorporei, ita vt careant tali corporeitate. 2. Concilium conſtituit naturam humanam, vt mediam inter omnimodè corporalem, & Angelicam; quia illa componitur ex corpore, & ſpiritu: ergo ſentit, quod Angeli habentes naturam Angelicam, non ſunt ita compoſiti, ſed omninò incorporei, & ſpiritus: Sicut alia entia corporalia, habentia naturam corporalem, ſunt omninò corporea, & nullatenus ſpiritus. 3. Conc. inſinuat: Angelos eſſe ſpiritus, ſicut anima hominis eſt ſpiritus; ſed anima hominis eſt omninò incorporea, & ſpiritualis: ergo.

3 Ex quo patet: Quod Angeli non habent corpora ſibi naturaliter vnita: Nam Angeli dicuntur abſolutè ſpiritus; ſed non poſſent dici abſolutè ſpiritus, ſi eſſent naturaliter vniti corpori: ergo. Mai. patet num. ant. Prob. min. Quia homo conſtat anima ſpirituali, & corpore, cui eſt vnita, non dicitur abſolutè ſpiritus: ergo. Dices: Anima rationalis eſt, & dicitur abſolutè ſpiritus; ſed naturaliter eſt vnita corpori: ergo. Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia anima rationalis, etſi ſpiritualis, eſt forma incompleta, imperfecta, & in potentia exiſtens: & propterea ſe habet vt compars, conſtituens hominem cum materia prima, & corpore, cui naturaliter vnitur. Angeli autem non ſic ſe habent, ſed ſunt

formæ ſpirituales completæ, perfectæ, per ſe ſubſiſtentes, & nō vt compartes, cum alio aliquid componentes: Sicque non ſunt naturaliter vniti corpori, ſed formæ ſeparatæ. Ita D. Thomas quęſt. 51. artic. 1. Cuius ratio eſt: nam in quocumque genere invenitur aliquid imperfectum, oportet quid perfectum præexiſtere. Et cum in genere ſubſtantiæ ſpiritualis, & intellectualis inveniatur anima rationalis, ita imperfecta, & vnibilis, vel vnita naturaliter corpori: ideò debet eſſe in illo alia forma perfecta, per ſe ſubſiſtens, & ſeparata: qualis eſt Angelus.

4 Angeli autem interdum aſſumunt corpora, in quibus apparent hominibus. Sic apparuerunt Abrahæ, & viſi ſunt ab eo, ab eius familia, à Loth, & Ciuibus Sodomæ. Et ſimiliter Angelus apparuit Tobiæ, viſus ab eo, & ab alijs. Quæ refert, & docet Divus Thomas art. 2. Et Archangelus Gabriel apparuit ſic B. Virgini Mariæ. De quo idem dicit loc. cit. B. Alb. Propterea depinguntur in forma humana; vt approbavit Concilium 2. Nizenum. Prædicta tamen aſſumptio eſt quaſi per adhæſionem, & vnionem motoris ad mobile. Non per intimam vnionem formæ cum materia, nec naturæ cum ſuppoſito, trahente illam ad idem eſſe. Sicut Verbum divinum aſſumpſit naturam humanam, ita vt ex vi talis aſſumptionis Deus, & homo vnus ſit Chriſtus. Angelus enim, & corpus prædicta aſſumpta, aut alia, nequeunt ita facere vnum. Ratio ſæpè tradita eſt ab Angel. Magiſtro: Nam ſuppoſitum creatum, vt eſt Angelus, quia finitum, nequit ita aſſumere alienam naturam.

5 Nec ipſi indigent corpore ſic aſſumpto, ſed illud aſſumunt propter nos, vt cum hominibus familiarius converſentur. Nec in corporibus aſſumptis exercent opera vitæ; vt reſolvit Ang. Doct. art. 3. Nam actio vitalis eſt, cuius eſt potentia; & cum talia corpora non habeant potentiam vitalem Angelorum, nec Angeli potentiam vitalē corporum aſſumptorum, cum hæc ſunt viventia: ideò in eis non exercent opera vitæ, nec eliciunt actionem vitalem. Si verò talia corpora ſint aerea, & non viventia, nectiquam eliciunt illam, ſed aliquid ei commune: vt ſonitum locutionis, & apparientiam comeſtionis. Quare Angelus dixit Tobiæ cap. 12. *Cum eſſem vobiſcum, videbar quidem manducare, & bibere.* D. Thomas ad 5. *Non fuit vera comeſtio.*

6 Prob. concluſ. ratione Divi Thomæ quæſt. 50. art. 1. Perfectio vniverſi requirit, quod in eo ſint aliquæ creaturæ intellectuales; ſed hæ ſunt omninò incorporeæ;

ergo cum ſint Angeli, ſeu Intelligentiæ Angelicæ, erunt omninò incorporei. Min. conſtat: Nam intelligere nequit eſſe actus corporis, nec virtutis corporeæ: quia omne corpus eſt determinatum ad vnum, & ad hic, & nunc: & intelligere non, ſed extenditur ad omnia. Prob. mai. Perfectio vniverſi præcipuè conſiſtit in aſsimilatione cum Deo, non vnivoca, ſed analoga, quæ ſola eſt poſsibilis creaturis; ſed ad hanc aſsimilationem requiritur, quod ſint aliquæ creaturæ intellectuales: ergo. Mai. eſt certa. Prob. min. Perfecta aſsimilatio effectus cum cauſa eſt in eo, per quod cauſa producit effectum; ſed Deus producit per intellectum, & voluntatem creaturas vniverſi: ergo. Mai patet in calido: quod aſsimilatur cauſæ in calore: quia ipſum producit per virtutem calefactivam. Min. conſtat: Siquidem Deus, directus intellectu, omnia quæcumque voluit, fecit; & omnia fecit in ſapientia. Conſeq. eſt optima: Nam ſolæ creaturæ intellectuales ſunt præditæ intellectu, & voluntate.

7 Illuſtratur ex Angel. Doct. quæſt. de ſpirit. creat. Pulchritudo, & perfectio vniverſi requirit, vt in eo ſint aliquæ ſubſtãtiæ purè intellectuales, ſed creaturæ, & ſubſtantię purè intellectuales ſunt omninò incorporeæ: ergo. Mai. eſt etiam Divi Thomæ 2. cont. Gent. cap. 93. aſſerentis: *Perfectio autem vniverſi maximè conſiſtit in ſubſtantijs ſeparatis*; quæ ſunt purè intellectuales. Prob. min. Immaterialitas, ſive incorporeitas, eſt radix intellectualitatis: ergo. Ant. docetur Tract. 3. quæſt. 1. artic. 2. Siquidem corpus impedit intellectionem, & ſcientiam: nam aggravat animam, & terrena inhabitatio ſenſuum deprimit multa cogitantem, vt ait Apoſtolus.

8 Dices: Quod iam eſt in vniverſo anima rationalis purè intellectualis, incorporea, & immaterialis: non ergo exigitur, vt ſint Angeli. Reſp. vt in num. 3. cum Ang. Mag. Quod in quocumque genere eſt aliquid imperfectum, oportet præexiſtere aliquid perfectum. Et cum anima rationalis in linea ſubſtantiæ intellectualis ſit imperfecta, cum in ſe nõ habeat plenitudinem ſcientiæ, ſed illam acquirat per ſenſus à rebus ſenſibilibus: ideò reſtat, vt ſit in tali linea ſubſtantia perfecta, hoc non indigens; quæ ſit forma completa, per ſe ſubſiſtens, à corpore ſeparata, & purè intellectualis, & incorporea; vt ſunt Angeli.

9 Secunda concluſio: Angeli ſunt omninò immateriales. Ita Thomiſtæ, & communiter Theologi cum Ang. Mag. S. Dioni-

niſio, & B. Albert. Quos ſequitur M. Hernandez cum alijs Scotiſtis; etſi alij cum Alenſi, & Ricardo adſtruant in Angelis compoſitionem ex materia ſpirituali, & forma. Alij antiqui, cum Avicebron, aſſerebant: Angelos eſſe compoſitos ex materia, & forma. Quod refert, & rejicit Div. Thomas art. 2. Ubi fundat concluſionem cum S. Dion. aſſerente: *Quod primæ creaturæ ſunt incorporales, ita & immateriales intelliguntur*; ſed Angeli ſunt primæ creaturæ, quia perfectiores, & nobiliores: ergo ſicut ſunt omninò incorporei, ita ſunt omninò immateriales.

10 Conſtat ſatis ex illo Mat. 24. v. 29. *Virtutes cœlorum commovebuntur.* Ubi Angeli appellantur virtutes, iuxta communem intelligentiam; ſed ſi haberent materiam, non appellarentur virtutes, ſed dicerentur habentes virtutem: ergo non habent materiam, ſed ſunt omninò immateriales. Prob. min. Virtus non dicit materiam, ſed formam operativam; ſed compoſitum ex virtute, & ex alio, non appellatur virtus, ſed dicitur habens virtutem: ergo. Min. conſtat: Sicut compoſitum ex materia, & forma, non appellatur forma, ſed dicitur habens formam.

11 Prob. concluſ. ratione Angel. Mag. Subſtantia purè intellectualis eſt omninò immaterialis; ſed Angeli ſunt ſubſtantiæ purè intellectuales: ergo. Prob. maior. Intellectio, quæ eſt prima, & præcipua operatio illius, eſt omninò immaterialis: ergo. Ant. eſt certum: Nam intellectio, ſicut quælibet operatio, ſumit ſpeciem ab obiecto; & obiectum intellectionis eſt omninò immateriale: nam vnumquodque intelligitur, vt à materia abſtractum. Conſ. patet: Quia operari ſequitur ad eſſe: & operatio cuiuslibet eſt ſecundum modum ſubſtantiæ eius.

12 Reſpondebis: Quod Angeli propterea non conſtant materia corporea, ſed ſpirituali: & in hoc ſenſu non ſunt omninò immateriales. Cont. Quælibet materia impedit intellectionem: ergo in ſubſtantia purè intellectuali repugnat etiam materia ſpiritualis. Prob. ant. Quælibet materia dicit limitationem, & individuationem formæ; ſed intellectio requirit illimitationem, extenſionem, & amplitudinem: ergo. Minor. patet: Cum reſpiciat obiectum ſine limitatione, & individuatione prædicta. Roboratur: Materia ſpiritualis repugnat: ergo. Prob. ant. Repugnat materia importans actum; ſed materia ſpiritualis importaret actum: ergo. Maior. eſt certa: Quia non eſſet pura potentia: nec ex illa, & forma fieret vnum ens per ſe. Prob. min. à Divo Thoma opuſc. 5.

cap 7. Materia ſpiritualis eſſet perfectior corporali; ſed perfectio ſumitur ab actu: ergo.

13 Reſpondebis: Quod ſumitur ab actu, vel ab ordine ad actum. Et cum materia ſpiritualis Angelorum dicat ordinem ad actum perfectiorem, nempe, ad formam Angelicam: ideò eſt perfectior materia corporali, quæ dicit ordinem ad actum imperfectiorem. Sicut materia Cœli, propterea, eſt perfectior materia elementali. Cont. Perfectio, & exceſſus perfectionis materiæ Cęli non transfert eam ad gradum ſuperiorem intellectivi, nec intelligibilitatis: Sicut eveniret in materia Angelorum; ſed perfectio, & exceſſus perfectionis in linea intellectivi, & intelligibilitatis ſumitur ab actu, & non ab ordine ad actum, licèt in linea entis, & in alia poſsit ſumi à tali ordine: ergo. Minor. eſt certa: Quare Angel. Doct. docet cum Ariſt. 8. Meth. text. 3. Materiam primam per ſe non eſſe intelligibilem, cum careat actu: ſed ratione formæ, quæ eſt actus eius.

14 Arg 1. cont. 1. concluſ. ex illo Geneſ 6 v 4. *Ingreſsi ſunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt.* Ubi Septuaginta Interpretes legunt: *Ingreſsi ſunt Angeli Dei*; ſed ſi Angeli eſſent omninò incorporei, non poſſent ingredi ad filias hominum, nec iſtæ ex eis generare: ergo. Reſp. cum Ang. Mag. quæſt. 51. art. 3. ad 6. Sic exponente Sac. locum: *Per filios Dei intelliguntur filij Seth, qui boni erant. Filias autem hominum nominat Scriptura eas, quæ natæ erat de ſtirpe Cain. Neque mirandum eſt quod de eis gigantes naſci potuerunt.* Filij autem Seth appellantur Angeli à Septuaginta, quia erant iuſti, & cultores veri Dei; qui propterea, etiam nominantur gigantes, potentes, & viri famoſi. Filiæ verò Cain dicuntur filiæ hominum, quia parentis mores imitatæ, rebus terrenis erant addictæ. Quæ poſtea ipſos viros, Angelos, & Filios Dei nuncupatos, prævaricaverunt. Unde veri Angeli non ſunt ingreſsi ad illas, nec ſunt corporei, ſed omninò incorporei.

15 Cont. S. Joan. Damaſcen. lib. 2 ait: *Quod Angelus incorporeus, & immaterialis dicitur quantum ad nos*: ſed comparatus ad Deum corporeus, & materialis invenitur; ſed Angeli ita corporei, & materiales potuerunt ingredi ad filias hominum, & non ſunt omninò incorporei: ergo. Reſp. admitto, & explico author. cum Ang. Doct. quæſt. 50. artic. 1. ad 1. aſſerente: *Subſtantiæ incorporeæ medium ſunt inter Deum, & creaturas corporeas. Medium autem comparatum ad vnum extremum, videtur alterum extremum. Sicut tepidum*

*dum comparatum calido, videtur frigidum: Et hac ratione dicitur, quod Angeli Deo comparati, ſunt materiales, & corporei: non quod in eis ſit aliquid de natura corporea.*

16 Arg. 2. Res corporea non poteſt agere in omninò incorpoream; ſed poteſt agere in Angelos: ergo. Prob. min. Ignis inferni agit in Dœmones, qui ſunt Angeli; ſed eſt corporeus: ergo. Reſp. diſt. mai. Vt cauſa principalis, nego mai. Vt inſtrumentum Dei, conc. mai. & minor. & ſimiliter diſt. conſ. Cauſa principalis agit propria virtute. Inſtrumentalis non, ſed virtute cauſæ principalis. Et licèt res corporea, vt cauſa principalis, non poſsit agere in omninò incorpoream, nec in ſpiritum: cum eius virtus ſit corporea, qua nequit attingi incorporeum, & ſpirituale; poteſt tamen, vt inſtrumentum cauſæ ſpiritualis, præcipuè ſuperioris, & infinitæ, cuius virtus eſt ſpiritualis, ſuperior, & infinita. Cumque ignis inferni agat vt inſtrumentum divinæ iuſtitiæ, quæ eſt cauſa principalis ſpiritualis, ſuperior, & infinita, dum Angelos torquet: ideò, licèt ſit corporeus, poteſt ſic agere in illos, quin ſint corporei, ſed omnino incorporei.

17 Cont. Ignis corporeus, nec vt inſtrumentum, poteſt agere in Angelos omninò incorporeos; ſed agit in illos: ergo non ſunt omninò incorporei. Probat. mai. Si ageret vt inſtrumentum in eos, eſſet media virtute cauſæ principalis, in igne recepta; ſed media ea non poteſt agere in Angelos omninò incorporeos: ergo. Mai. conſtat 2. Phyſ. quaſt. 2. artic. 6. Prob. min. Virtus recepta in igne corporeo, debet eſſe corporea; ſed media virtute corporea nequit agere in Angelos omninò incorporeos: ergo. Mai. patet: Cum debeat eſſe proportionata cum illo. Min. conſtat: Quia non proportionatur cum illis.

18 Reſp. diſt mai. Virtus elevativa, & tranſeunter recepta, nego mai. Non elevativa, & recepta permanenter, conc mai. & min. & nego conſ. Etſi inſtes paritate. Ratio diſcriminis eſt: Quia illa non advenit ſubiecto, vt ſit in eo, ſed vt elevet illud, & elevatum cum ipſa producat effectum. Hæc autem advenit ſubiecto, vt ſit in illo. Quare proportionatur cum ipſo. Cum igitur virtus ignis inferni ſit elevativa ipſius, & ſit tranſeunter in eo: quia eſt à Deo, & advenit igni, non vt ſit in igne, ſed vt elevet ignem, & vt ignis operetur, & Dœmones torqueat: ideò non proportionatur cum igne, ſed cum Angelis: Sicque non eſt corporea, ſed incorporea, & ſpiritualis; & ignis, media illa, agit in Angelos omninò incorporeos. Idem dicitur

tur de igne torquente animas in inferno, & in purgatorio. Poterat quoque dici: Quod etſi talis virtus ſit formaliter corporea, eſt virtualiter ſpiritualis. Quod ſufficit, vt in virtute cauſæ principalis agat in ſpiritum. Sicut potentia proxima operativa eſt formaliter accidens, & quia eſt virtualiter ſubſtantia, eo quod dimanat ab illa, vt virtus eius producit ſubſtantiam. Vid. Tract. 7. queſt. 2. art. 4. num. 14. & loc. cit. 2. Phyſicor.

19 Arg 3. Angeli non ſunt omninò intellectuales: ergo nec omninò incorporei. Prob. antec. Etſi gradus intellectivi ſit in Deo, non ſequitur, quod eum ita creaturis communicaverit: ergo. Probat. ant. In Deo ſunt ratio actus puriſsimi, infinitas, & alia prædicata; ſed ea non communicavit ita creaturis: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia ſolum communicavit creaturis, quæ non repugnant illis: Et eis prædicta repugnant; non verò omnimoda intellectualitas, incorporeitas, & ſpiritualitas.

20 Cont. Deus nec communicavit, nec produxit omnia non repugnantia creaturis: ergo licèt omnimoda intellectualitas non repugnet illis, eam non communicavit Angelis. Prob. ant. Omnia poſsibilia ſunt non repugnantia creaturis; ſed non communicavit, nec produxit omnia poſsibilia: ergo. Reſp. diſt. min. Nec produxit quoad gradum, nego min. Quoad individuum, & modum, conc. min. & ita diſt. conſ. Deus enim communicavit creaturis, & produxit quę conſtituunt perfectionem vniverſi. Et cum illam conſtituant gradus eſſendi, & non modi participandi illos, qui pertinent ad actiones particulares, & ad individua: ideò non omnia produxit quoad hæc, ſed quoad gradus. Cumque inter hos, gradus intelligendi ſit perfectior, per quem ipſe Deus conſtituitur, & eſt cauſa creaturarum: adeò communicavit, & produxit illum, vt creaturæ modo perfectiori poſsibili aſsimilarentur Deo. Propterea communicavit gradum intelligendi, & non produxit omnes creaturas intellectivas poſsibiles. Quem produxit perfectè in Angelis; in anima autem rationali minùs perfectè: vt præocupetur replica ſoluta num. 8.

21 Arg 4. cont. 2. concluſ. Solus Deus eſt omnino immaterialis: ergo Angeli non ſunt omnino immateriales. Antec. docetur à S. Joan. Damaſc. lib. 2. de Fide cap 3. Reſp. diſt. ant. Per excluſionem omnis materiæ, & ſubiecti, conc. ant. Solius materiæ primæ, nego ant. & ſimiliter diſt. conſ. Materia prima eſt receptiva

for-

formæ ſubſtantialis. Subiectum autem eſt receptivum accidentium. Et cum Deus nec recipiat formam, nec accidentia; per excluſionem vtriuſque eſt omnino immaterialis: vt ait S. Damaſc. Angeli autem, licèt non recipiant formam ſubſtantialem, cum ſint formæ completæ ſeparatæ, recipiunt accidentia, & ſunt ſubiectum ſuſceptivum accidentium: idcoque, in hoc ſenſu, non ſunt tam immateriales, ſicut Deus. Veruntamen, cum non ſuſcipiant accidentia corporea, ſed ſpiritualia, non ſunt ſubiectum corporeum, nec materiale, ſed ſpirituale; & carent omni materia rigoroſa: Sicque ſunt omnino immateriales.

22 Cont. Angeli non ſunt immateriales per excluſionem materiæ primæ: ergo non carent omni materia rigoroſa. Prob. ant. Angeli ſunt compoſiti ex materia prima, & forma: ergo. Prob. ant. Angeli ſunt compoſiti ex genere, & differentia: ergo. Prob. conſ. Compoſitio ex genere, & differentia fundatur in compoſitione ex materia, & forma; ſed: ergo. Reſp. diſt. mai. In rebus immaterialibus, nego mai. Materialibus, conc. mai. & min. & nego conſ. Cum enim genus ſit pars methaphiſica determinabilis, & differentia pars determinans, ſumuntur in rebus materialibus à materia prima, quæ in eſſe phiſico eſt pars determinabilis, & à forma, quæ eſt pars determinans. In rebus autem immaterialibus non; ſed genus ſumitur à conceptu communi ſubſtantiæ ſpiritualis completæ determinabilis, & differentia à conceptu ſpeciali determinante ipſius. Cumque Angeli ſint ita immateriales; ideò in eis compoſitio ex genere, & differentia ſic fundatur, & non in compoſitione ex materia, & forma. Ita Ang. Doctor quæſt. 50. art. 2. ad 1. addens: *Genus, & differentia in eis non accipitur ſecundum aliud, & aliud, ſed ſecundum vnum, & idem, quæ tamen differunt ſecundum conſiderationem noſtram.*

23 In articulo citato reſolvit Divus Thomas: Quod Angelus non eſt compoſitus ex materia, & forma, ſed purè eſt forma: itaque ſatisfit difficultati obiectæ. Quam ſic inſto: Materia prima eſt compoſita ex genere, & differentia; vt affirmant aliqui relati 1. Phyſ. quæſt. 2. art. 3. licèt tali opinioni non adhæreamus; ſed non eſt compoſita ex materia, & forma; cum ſit ſola materia: ergo licèt Angelus ſit compoſitus ex genere, & differentia, non erit compoſitus ex materia, & forma: cum præcisè ſit forma. Sicut propterea, forma ſubſtantialis incompleta non eſt compoſita ex materia, & forma; & tamen eſt com-

poſita ex genere, & differentia; vt ibi admittimus. Si inſtes: Quod compoſitio methaphiſica fundatur ſupra phiſicam. Reſp. Eſt verum in rebus materialibus completis: Vt patet in homine, & bruto. Non in incompletis: vt videtur in materia, & forma. In his enim, & in rebus ſpiritualibus completis, non fundatur ſupra illam, ſed in vna, & eadem realiter entitate limitata, includente conceptum vniuocum conveniendi, & conceptum ſpecialem differendi, cum diſtinctione rationis.

24 Cont. Compoſitio ex genere, & differentia in rebus immaterialibus fundatur in compoſitione ex materia, & forma: ergo etiam in Angelis. Prob. antec. Non fundatur in ſola forma: ergo. Prob. ant. Non fundatur in actu puro; ſed ſola forma eſt actus purus: ergo. Mai. eſt certa: Cum requirat actum, & potentiam. Prob. min. Forma eſt actus: ergo. Reſp. diſt. ant. Actus in potentia ad exiſtentiam, conc. antec. Sine illa, nego ant. & conſ. Actus etenim purus eſt omnino incompoſitus. Nec componitur ex materia, & forma. Nec ex eſſentia, & exiſtentia, ad quam non eſt in potentia; ſed per ſe, & ſine vlla diſtinctione habet actualiſsimè omnia: Vt patet in Deo: qui propterea eſt actus purus, omnino ſimplex, & incompoſitus. Cum igitur Angeli, ſicut res ita immateriales, licèt non ſint compoſiti ex materia, & forma, ſint formæ completæ compoſitæ ex eſſentia, & exiſtentia; quam non identificant, & ad quam ſunt in potentia: ideò non ſunt actus purus, nec omnino ſimplex, nec incompoſitus; licèt ſint omnino immateriales. Sic Ang. Mag. art. 2. ad 3. dicens: *Licèt in Angelo non ſit compoſitio formæ, & materiæ, eſt tamen in eo actus, & potentia. Angelus eſt compoſitus ex quo eſt, & quod eſt; vel ex eſſe, & quod eſt.*

25 Cont. Sola forma non eſt in potentia ad exiſtentiam: ergo. Prob. ant. Sola forma eſſet infinita: ergo. Conſ. patet: Nam infinitum non eſt ita in potentia: vt conſtat in Deo. Prob. ant. Finitudo, & limitatio formæ ſumitur à materia: ergo. Reſp. diſt. antec. Formæ materialis, conc. antec. Immaterialis completæ, nego antec. & conſ. Forma vtique materialis, quia incompleta, & receptibilis in materia, ab ea limitatur: & ſimiliter forma immaterialis incompleta, qualis eſt anima rationalis. Non tamen forma immaterialis completa, & per ſe ſubſiſtens: vt Angelus. Hæc enim finitur, & limitatur, quia eſſe eius non eſt abſolutè ſubſiſtens, ſed in natura determinata, cui advenit: & à terminis eſſentiæ, quæ ſunt

genus, & differentia: & à termino eſſentiæ, qui eſt exiſtentia, quam non identificat. Cumque ita eveniat in Angelis: ideò ſunt ſola forma, quæ eſt in potentia ad exiſtentiam, & non eſt ſimpliciter infinita. Ad ſummum erit ſecundum quid infinita: quia non eſt receptibilis in materia, & caret hac limitatione, & finitudine. Sicut albedo ita irreceptibilis in ſubiecto, foret ſecundum quid infinita. Ita Divus Thomas art. 2.ad 4.

26 Arg.5. Angelus eſt compoſitus ex materia, & forma: ergo Angeli non ſunt omnino incompoſiti ex materia, nec ita immateriales. Prob.antec. Animal rationale eſt compoſitum ex materia, & anima; ſed Angelus eſt animal rationale: ergo. Probat. min.ex S.Greg.Hom.10 in Evãg. aſſerente: *Ratione vtentibus, rationale animal, id eſt Angelus prædicare debuit*: ergo. Reſp. admitto, & explico tale dictum cum Ang. Doctore quæſt.51.art.1. ad 2. ita affante: *Nominat Angelum rationale animal propter ſimilitudinem rationis.* Et ſolùm quod eſt propriè animal rationale, vt homo, conſtat materia, & anima.

27 Cont. Sufficit, quod Angelus ita ſit animal rationale, vt conſtet materia: ergo & vt ſit compoſitus ex materia, & anima. Prob.antec. Sufficit, vt recipiat accidentia; ſed materia eſt principium receptionis accidentium: ergo. Mai.patet: Cum recipiat ſpecies intelligibiles, intellectionem, & alia accidentia. Minor: conſtat 1.Phyſ.quęſt.2.art.1.Cum recipere ſit proprietas materiæ. Reſp.diſt.mai. Accidentia materialia, nego mai. Spiritualia, & de linea intellectiva, conc.mai. & diſt.min. Accidentium materialium, conc.min. Spiritualium, & de linea intellectiva, nego min. & conſ.Licèt ſit proprium materiæ recipere accidentia materialia; non verò ſpiritualia, & de linea intellectiva. Hæc enim recipiuntur in ſubiecto immateriali, & ſpirituali: vt patet in anima rationali recipiente illa. Cumque Angelus ſolum recipiat hæc accidentia ſpiritualia: ideò non debet conſtare materia, ſed eſt omnino immaterialis.

28 Cont. Materia eſt principium receptivum cuiuſcumque accidentis: ergo. Prob.ant. Forma eſt principium activum reſpectu cuiuſcumque actionis: ergo. Prob.conſeq. Sicut agere eſt proprium formæ, ita recipere materiæ; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia datur forma materialis, quæ eſt proportionata, vt ſit principium omnium actionum materialium: & forma ſpiritualis, & immaterialis, atque intellectiva, quæ eſt proportionata,

nata, vt ſit principium actionum ſpiritualium,& quæ ſunt de linea intellectiva. Non tamen datur materia ſpiritualis, ſed omnis eſt materialis: Sicque nulla eſt principium proportionatum recipiendi accidentia ſpiritualia, & de linea intellectiva; quæ recipiuntur in ſubiecto omnino immateriali, & ſpirituali.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### *VTRVM DE POTENTIA Dei abſoluta poſsint eſſe plures Angeli eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero diſtincti.*

1 SVPPONO 1. Quod de facto ſunt, & exiſtunt plurimi Angeli: & in tanta multitudine, vt excedant multitudinem rerum materialium. Ita Ang.Mag.q.50. artic.3 Quod fundat in illo Daniel.7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſsiſtebant ei.* Ratio ipſius eſt: Nam cum Deus in creatione rerum præcipuè intendat perfectionem vniverſi, ex creaturis perfectioribus, vt ſunt Angeli, produxit maiorem numerum. Nomina eorum non ſunt audita; niſi Michael, Gabriel, & Raphael in Sac. Scriptura relati. Unde S.Vincet.Fer.Serm.2.poſt Oct. Paſc. ait; *Deus non revelavit, niſi de tribus prædictis.* Nam etſi 4 Eſdræ 4. & 5.nominetur *Vriel*, talis liber nondum eſt declaratus Canonicus. Numerum igitur, & nomina Angelorum Deus ſcit; vt dicitur Iſ.4.v.26. *Qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat.*

2 Suppono 2. Quod de facto, ſub eodem genere, ſunt plures Angeli diverſæ ſpeciei, convenientes in ratione ſubſtantiæ immaterialis, & ſpiritualis completæ, quæ eſt genus ad omnes ſpecies Angelorum. In quo conveniunt omnes cum Divo Thoma. Ratio eſt inſinuata ab Ang. Magiſtro: Nam ſicut Deus eſt infinitus in gradu eſſendi,& vivendi, ita in gradu intelligendi; ſed in illis gradibus eſt participatus à creaturis per diverſas ſpecies; & propterea ſunt diverſæ ſpecies plantarum, arborum, & brutorum: ergo etiam in gradu intelligendi, qui eſt perfectior, & nobilior: Sicque in Angelis, à quibus perfectè participatur, erit multitudo prædicta ſpecierum.

3 Suppono 3. Quod de facto omnes Angeli ſunt diverſæ ſpeciei infimæ; ita vt, nec ſint duo eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero diſtincti. Ita Thomiſtę cum Ang. Duce art.4. & communiter alij; etſi aliqui diſſentiant. Hanc veritatem ſtatuit ſic Div. Thomas: In his, quæ ſunt vnius ſpeciei, non

non eſt invenire prius, & poſterius: vt dicitur in 3. Meth. Sed in Angelis, etiam vnius ordinis, ſunt primi, & medij, & vltimi; vt dixit S. Dionisius: ergo Angeli non ſunt eiuſdem ſpeciei infimæ, ſed diverſæ, nec ſolo numero diſtincti. Et aſsignat rationem: quia principium multiplicationis numericæ eſt materia, qua Angeli carent. Imò docet: quod etſi haberent materiam, non eſſent ſolo numero diſtincti, ſed omnes diverſæ ſpeciei: nam cum Angeli ſint omninò incorporei, principium diſtinctionis vnius ab alio non eſſet materia ſub quantitate, quæ inducit diſtinctionem numericam; ſed ſecundum diverſitatem potentiarum, quæ cauſat diverſitatem genericam, & ſpecificam. Reſtat autem ſcire: An poſsint de potentia Dei abſoluta eſſe plures Angeli eiuſdem ſpeciei infimæ, & ſolo numero diſtincti.

4 Concluſio: Nec de potentia Dei abſoluta poſſunt eſſe plures Angeli eiuſdem ſpeciei infimæ, & ſolo numero diſtincti. Ita Em. Caiet. Capreol. Herbeus, Nazar. Joan. à S. Thoma, Serra, Ferre, Gonet, Lezana, Contenſon, Carraſco, PP. Salm. & communis conſenſus Thomiſtarum. Affirmat autem M. Hernand. cum alijs Scotiſtis. Quibus ſubſcribunt aliqui extranei. Conſtat ex Angel. Doct. art. 4. aſſerente: *Hoc eſt impoſsibile. Ea enim quæ conveniunt ſpecie, & differunt numero, conveniunt in forma, ſed diſtinguuntur materialiter. Si ergo Angeli non ſunt compoſiti ex materia, & forma, vt dictum eſt ſupra: ſequitur quod impoſsibile ſit eſſe duos Angelos vnius ſpeciei.* Et quæſt. de Spirit. Creat. art. 8. ait: *Si autem Angelus eſt forma ſimplex abſtracta à materia, impoſsibile eſt etiam fingere, quod ſint plures Angeli vnius ſpeciei, quia quæcumque forma quamvis materialis, & infinita, ſi ponatur abſtracta, vel ſecundum eſſe, vel ſecundum intellectum, non remanet niſi vna in ſpecie vna. Si ergo intelligatur albedo abſque omni ſubiecto ſubſiſtens, non erit poſsibile ponere plures albedines, cum videamus, quod hæc albedo non differt ab alia, niſi per hoc, quod eſt in hoc, vel illo ſubiecto.* Et 1. part. quæſt 75. art. 7. dicit: *Non enim poteſt intelligi, quod aliqua forma ſeparata ſit, niſi vna vnius ſpeciei*: ergo.

5 Prob. 1. concluſ. ratione Divi Thomæ: Nec de potentia Dei abſoluta poſſunt eſſe, ſed repugnant, plures Angeli eiuſdem ſpeciei infimæ, & ſolo numero diſtincti, ſine principio intrinſeco, & formali talis diſtinctionis numericæ; ſed tale principium repugnat, nec de potentia Dei abſoluta poteſt eſſe in Angelis: ergo. Mai. patet: Nam differentia

numerica, & individualis eſt intrinſeca; quæ ſolum poteſt ſumi à principio intrinſeco, & formali diſtinctionis numericæ. Sicut, quia differentia ſpecifica eſt intrinſeca, ſolũ poteſt ſumi à principio intrinſeco, & formali diſtinctionis ſpecificæ. Prob.min. Principium intrinſecum, & formale diſtinctionis numericæ eſt materia; ſed repugnat materia, nec de potentia Dei abſoluta poteſt eſſe in Angelis: ergo. Maior. eſt Ang. Mag.loc.cit. & artic 4. aſſerentis: *Sic enim oporteret, quod principium diſtinctionis vnius ab alio, eſſet materia.* Et Ariſtot. 1. Meth.cap.8. textu 41.ait: *Quæcumque ſunt numero multa, ea materiam habent.* Et Ang.Doct.quæſt. 41. art. 6. aſſerit: *Formæ autem vnius ſpeciei non multiplicantur niſi ſecundum materiam: quæ in divinis non eſt. Vnde in divinis non poteſt eſſe niſi vna tantũ filiatio ſubſiſtens, ſicut & albedo ſubſiſtens non poſſet eſſe niſi vna.* Min.docetur à Divo Thoma quæſt.50.art.2.

6 Reſpondebis: Materiam eſſe principium diſtinctionis, & multiplicationis numericæ in rebus corporeis, & materialibus. Non in rebus incorporeis, & immaterialibus: vt ſunt Angeli. Cont. Hoc videtur expreſsè contra Div.Thomam, & Ariſt. qui Deo, & Angelis negant diſtinctionem, & multiplicationem numericam, quia materia carent. Imò Doctor Angelicus art. 4. inquit: *Si tamen Angeli haberent materiam, nec ſic poſſent eſſe plures Angeli vnius ſpeciei.* Et inſinuat rationem: *Cum ſint incorporei.* Qua doctrina plures obiectiones præcluduntur: Nam ſine materia, qua Angeli carent, repugnat multiplicatio, & diſtinctio numerica. Et cum ea, etiam ipſis repugnaret: quia non poſſent habere effectum talis diſtinctionis, qui importat diviſionem quantitatis; vt S.Doctor dicit; & dictum eſt Tract. 2. Phil. quæſt. 3. art.3. de principio individuationis: quod eſt materia prima, ſignata quantitate.

7 Dices: Deum eſſe vnicum, & carere multiplicatione, & diſtinctione numerica, quia caret differentijs individualibus, quæ ſunt ecceitates; quas Philoſophus vocat materiam, quia ſe habent materialiter reſpectu naturæ ſpecificæ, quam contrahunt. Cum autem Angeli eas habeant: nam Michaelitas eſt differentia individualis, & ecceitas Michaelis: ideò in illis poteſt eſſe, & de facto eſt multiplicatio, & diſtinctio numerica. Hæc vtique expoſitio ex Ang. Doct. & Ariſt. præcluſa manet. Etſi intelligentia Philoſophi eſſet prædicta, probaret idem per idem: Siquidem vnitas numerica, & vnitas differentiæ

individualis, ſive ecceitatis, eſt eadem; & probaret, Deum eſſe vnum numero, & non plures, quia in eo eſt vna differentia indiuidualis, & ecceitas: ergo. Unde reſtat: Cur in Deo ſit vnica differentia indiuidualis? Et non eſt alia ratio, niſi Ariſtotelica: Quia non habet materiam. Et Angelica: Quia ſpecies non multiplicatur, niſi ſecundum materiam; quæ in diuinis non eſt. Et cum nec ſit in Angelis: ideò in eis eſt vnica differentia indiuidualis cuiuslibet ſpeciei infimæ; quæ caret multiplicatione, & diſtinctione numerica.

8 Propterea, iam communiter reſpondent: Prædicta eſſe vera de multiplicatione, & diſtinctione numerica, iuxta modum naturalem; cuius principium eſt materia, ſignata quantitate, quæ Angelis repugnat. Non iuxta modum ſupernaturalem, quo Deus de potentia abſoluta poteſt producere plures Angelos eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero diverſos. Hæc via præcluſa eſt num. 4. ab Ang. Præceptore dicente: Hoc eſſe impoſsibile, in intelligibile, imò nec eſſe fictibile. Nihilominus occurritur contra eam. 1. Principium cuiuslibet multiplicationis, & diſtinctionis numericæ debet eſſe intrinſecum; ſed aſsignatum non foret intrinſecum: ergo repugnat. Min. conſtat; Nam eſſet per voluntatem extrinſecam Dei. Prob. mai. Quælibet differentia indiuidualis eſt intrinſeca indiuiduo; ſed principium differentiæ intrinſecæ, quale eſſet prędictum, debet eſſe intrinſecum: ergo. Maior. patet: Quia eſt ſubſtantialis. Minor. conſtat: Nam differentia intrinſeca oritur à principio intrinſeco: Siquidem orta ab extrinſeco, eſſet extrinſeca.

9 2. Principium cuiuslibet multiplicationis, & diſtinctionis ſpecificæ debet eſſe intrinſecum, quia quælibet differentia ſpecifica eſt intrinſeca, propter dicta: ergo etiam principium cuiuslibet numericæ: cum quælibet differentia numerica ſit intrinſeca. Vnde ſicut omne principium ſpecificæ debet eſſe connaturale generi, ſpeciei, & indiuiduo, ita omne principium numericę 3. Indiuidua eiuſdem ſpeciei ex ſua natura indiuiduali diſtinguuntur; ſed per ſolam voluntatem Dei, aut per aliquod principium ſupernaturale, non diſtinguerentur ex ſua natura indiuiduali: ergo nec illa, nec hoc poteſt eſſe principium talis multiplicationis, & diſtinctionis numericæ, quę ita diſtinguuntur. Mai. eſt certa: Et conſtat in ſpeciebus eiuſdem generis; quæ ex ſua natura ſpecifica diſtinguuntur. Min. patet: Siquidem diſtinguerētur per aliquid

extrinſecum, præter, aut ſupra naturam ſuam.

10 4. Principium multiplicationis, & diſtinctionis numericæ debet eſſe in potentia naturali, contrahibili per differentias numericas ad diverſa individua; ſed tale principium præternaturale, ſupernaturale, aut ex voluntate Dei exiſtens, non eſſet in potentia naturali Angeli, ita contrahibili: ergo. Mai. patet in principio multiplicationis, & diſtinctionis ſpecificæ: quod debet eſſe ita in potentia naturali, contrahibili per ſpecificas. Et ratio vtriuſque eſt: Nam ſi foret in ſola potentia obedientiali, non eſſet magis proprium vnius naturæ, quam alterius: cum omnis natura haberet ſimilem potentiam obedientialem. Nec differentia vnius Angeli, exinde proveniens, eſſet magis propria illius, quam alterius Angeli: cum non eſſet ex aliquo proprio ipſius. Minor. conſtat: Siquidem eſſet in ſola potentia obedientiali.

11 5. Sicut hæc humanitas in Petro ex natura ſua eſt numericè vna, & prout ſic eſt per materiam irreceptibilis in alio individuo, & illi incommunicabilis: ita natura Angelica, prout in Michaele, ex natura ſua eſt numericè vna, & quia materia caret, eſt ita irreceptibilis, & incommunicabilis; ſed talis humanitas, prout ſic, nec de potentia Dei abſoluta poteſt vlterius numericè multiplicari; nec modo ſupernaturali poſſunt eſſe plura individua reſpectu Petri: ergo nec talis natura, prout in Angelo; nec modo ſupernaturali poſſunt eſſe plura individua reſpectu Michaelis.

12 6. Principium multiplicationis, & diſtinctionis numericæ, atque individuationis, eſt cauſa intrinſeca ſubſtãtialis illius; ſed in hac non datur varietas pœnes potentiam naturalem, & ſupernaturalem; ordinariam, aut extraordinariam, aut abſolutam Dei: ergo cum materia ſit principium connaturale illius, ſine ea repugnat, etiam de potentia Dei abſoluta. Mai. patet: Nam Deus, nec per ſe, nec per aliud poteſt ſupplere concurſum cauſæ ſubſtantialis intrinſecæ. Quare nequit efficere, quod aliquid ſit ſine ſuis prædicatis eſſentialibus, & intrinſecis. Sicut non poteſt efficere hominem, qui non ſit animal rationale. Nec corpus extenſum, ſine quantitate, quæ eſt principium intrinſecum extenſionis.

13 Prob. 2. concluſ. Quælibet natura ſpecifica Angelorum eſt numericè inmultiplicabilis, adhuc attenta abſoluta Dei potentia: ergo. Prob. ant. Forma per ſe ſubſiſtens, & irreceptibilis in materia, eſt numericè inmultiplicabilis;

lis; ſed quælibet natura ſpecifica Angelorum eſt per ſe ſubſiſtens, & irreceptibilis in materia, adhuc attenta abſoluta Dei potentia: ergo. Præmiſſæ conſtant ex prædictis cum D. Thoma. Et ratio maioris eſt: Nam eo, quod forma ſit per ſe ſubſiſtens, & ita irreceptibilis, habet in vnico individuo omnem perfectionem ſuę ſpeciei; & eſt participata ſine limitatione, & omni modo, quo participabilis eſt. Sicque remanet imparticipabilis ab alio. Sicut enim participans infinitè rationem entis, nequit in eſſe entis multiplicari in alijs: quia omnimodè, & ſine limitatione habet rationem entis; ita participans tali modo naturam alicuius ſpeciei, ſicut quilibet Angelus participat ſuam. Propterea Angel. Doctor art. 2. ad 4. aſſerit: *Subſtantiæ autem immateriales creatæ ſunt finitæ ſecundùm ſuum eſſe, ſed infinitæ ſecundùm quod eorum formæ non ſunt receptæ in alio.*

14 Prob. 3. Nec de potentia Dei abſoluta poteſt eſſe in Angelis diſtinctio purè individualis; ſed in individuis eiuſdem ſpeciei infimæ, & ſolo numero diſtinctis, eſt diſtinctio purè individualis: ergo. Prob. mai. Diſtinctio proveniens à forma, non poteſt eſſe purè individualis; ſed in Angelis, nec de potentia Dei abſoluta, poteſt eſſe diſtinctio, niſi proveniens à forma: ergo. Maior. eſt certa: Nam diſtinctio purè individualis provenit à materia. Prob. minor. Angeli ſunt ſolæ, & purè formæ: ergo. Antec. conſtat art. ant.

15 Dices: Anima rationalis eſt ſola forma; ſed ab ipſa provenit diſtinctio purè individualis: cum vna differat ſolo numero ab alia: ergo. Reſp. quod anima rationalis eſt forma incompleta, dicens ordinem ad materiam, vnde ſumit talem diſtinctionem. Angelus autem eſt forma completa, ſine tali ordine, & per ſe ſubſiſtens.

16 Ex quibus infertur: Quod in Angelo, ab eadem entitate formę ſumitur gradus genericus, ſpecificus, & individualis. De illis patet ex dictis cum Divo Thoma art. ant. num. 22. Et ibi ſatis conſtat de individuali. De quo ait quæſt. de Spir. creat. art. 8. *Sicut forma, quæ eſt in ſubiecto, vel materia individuatur per hoc, quod eſt eſſe in hoc, ita forma ſeparata individuatur per hoc, quod non eſt nata in aliquo eſſe. Sicut enim eſſe in hoc excludit communitatem vniverſalem, quæ prædicatur de multis, ita non poſſe eſſe in aliquo.* Cum ergo Angelus, vt forma ſpiritualis completa, habeat non eſſe in aliquo: ideò ab eadem entitate formæ ſumitur gradus individualis. Inter hos autem gradus ſolum mediat diſtinctio

ctio virtualis obiectiva, & per rationem. Gradus genericus eſt ratio ſubſtantiæ immaterialis, ſpiritualis, & intellectualis completæ, communis omnibus Angelis. Specificus eſt actualis ratio ſpecialis ſubſtantiæ ita intellectivæ. Individualis eſt vltima ratio, qua eſt hæc.

17 Arg. 1. cont. 3. Sup. ex S. Anſelmo lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 21. aſſerente: *Omnes Angeli ſunt vnius naturæ*; ſed quæ ſunt vnius naturæ, de facto ſunt eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero diſtinguuntur: ergo. Reſp. admitto, & explico author. In qua loquitur S. Doctor de vnitate generica, & ſpecifica ſubalterna: Sunt enim eiuſdem naturæ genericæ, cum ſint ſubſtantiæ immateriales intellectivæ completæ. Non tamen loquitur de vnitate ſpecificæ athoma, ſeu infima. Quod requirebatur, vt ita eſſent eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero diſtinguerentur. Vel vt ait Ang. Mag. quæſt. de Spir. creat. art. 8 ad 1. loquitur de vnitate, non in eſſe naturali, ſed in ordine ad beatitudinem. Sic explicantur S. Baſilius, & alij PP.

18 Cont. Omnes Angeli in eſſe naturali ſunt eiuſdem naturæ ſpecificæ infimæ; ergo. Prob. ant. Omnes animæ rationales in eſſe naturali ſunt eiuſdem naturę ſpecificæ infimę: ergo. Prob conſeq. Sicut Angeli conveniunt in ratione ſubſtantiæ intellectivæ, ita animæ rationales; ſed: ergo. Reſpond. nego conſ. Diſcrimen eſt, quia anima rationalis, cum ſit forma incompleta, recipitur in materia prima, à qua individuatur, & limitatur, ne participet omnem perfectionem ſuę ſpeciei: ſicque eam relinquit participabilem ab alia anima, quæ à ſua materia etiam individuatur. Quare omnes animæ rationales in eſſe naturali manent eiuſdem ſpeciei infimæ, & ſolo numero diſtinctæ. Angelus autem eſt forma immaterialis cõpleta, per ſe ſubſiſtens, irreceptibilis in materia, participans omnem perfectionem ſuæ ſpeciei, nec relinquens eam iam participabilem. Unde non reſtat alius Angelus eiuſdem ſpeciei infimæ in eſſe naturali, à quo participetur, nec à quo multiplicationem, & diſtinctionem numericam ſumat. Sicque Angeli ita non poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ.

19 Cont. De facto eſt aliquid, à quo Angelus ſumat vnitatem, & diſtinctionem numericam: ergo. Prob. ant. Quilibet Angelus eſt vnus numero, & ita diſtinctus ab alio: ergo. Reſp. diſt. ant. Numero ſolo, nego ant. Numero, & ſpecie, conc. ant. & diſt. conſ. Numericã, & ſpecificam, conc. conſ. Numericam ſolam, nego conſ. diſtinctio ſola numerica eſt inter

ali-

aliqua eiuſdem ſpeciei infimæ, & exinde ſolo numero diſtincta. Diſtinctio numerica, & ſimul ſpecifica eſt inter aliqua eiuſdem generis, diverſæ tamen ſpeciei: Sicque reſpectivè ſunt diverſa individua ſuæ ſpeciei, cum eadem ſpecies infima non ſit in duobus individuis, nec duæ ſpecies in vnico. Hæc igitur vnitas, & diſtinctio eſt in quolibet Angelo, cum in eo ſit genus, ſpecies, & individuum; non tamen ſola numerica. Et cum hæc ſit requiſita ad multiplicationem, & diſtinctionem numericam, de qua loquimur; & vt ſint plura individua eiuſdem ſpeciei infimæ: ideò non eſt in Angelis, nec ſunt plures eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero diſtincti.

20 Arg. 2. Dantur plures Angeli eiuſdem generis: ergo eſt eiuſdem ſpeciei, ſolo numero diſtincti. Prob. conſ. ſicut Angelus ſecundùm ſpeciem eſt forma immaterialis completa, ita ſecundùm genus; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: quia multiplicando ſpecifica dicit perfectionem; non verò numerica: eo quod illa eſt contractio potentiæ per actum. Hæc determinatio actus per materiam: nam ſpecies ſe habet vt actus reſpectu generis, & individuum vt materia reſpectu ſpeciei. Et quia cum Angelus non ſit actus purus, eſt in eo genus, quod ſe habet vt potentia contrahibilis per varias ſpecies. Veruntamen cum ſpecies Angeli ſit forma, & actus per ſe ſubſiſtens, eſt irreceptibilis in ſubiecto, & caret principio, quo limitetur, & participatur omnimodè in vno: ſicque non manet participabilis ab alijs individuis. Quod videtur conforme menti Ang. Præcept. art. 4. vbi ait de multiplicatione ſpecifica: quod eſt *ſecundùm diverſitatem potentiarum*. Et de numerica: quod extrema eius *diſtinguuntur materialiter*. Et ad primum aſſerit: *Differentia eſt nobilior genere: ſicut determinatum in determinato, & proprium communi*: Et poſtea: *Omnes Angeli differunt ſpecie ſecundùm diverſos gradus naturæ intellectivæ*.

21 Memor eſto doctrinæ Logicæ lib. 4. q. 2. art. 3. Quod genus nequit conſervari in vnica ſpecie; & ſpecies poteſt cōſervari in vnico individuo: quia genus eſt totum potentiale, & indeterminatum; ſpecies autem eſt totum actuale, & determinatum. Propterea genus Angelorum eſt communicatum varijs ſpeciebus: Et quęlibet ſpecies eorum eſt in vnico individuo; ita, vt tot ſint ſpecies, quot Angeli, & ſolus Michael ſit ſuæ ſpeciei. Nec indiget alio eiuſdem ſpeciei, vt ſit: cum perfectiſsimè participet ſuam ſpeciem. Nec vt operetur: cum nihil ei deſit ad operationes ſuæ

ſpeciei. Nec vnus Angelus adjubaretur ab alio, licèt eſſet: cum ipſe ſit, & eſſet ſufficiens ad omnia. Nec debent eſſe plures numero Angeli in vniverſo, vt ſint in eo plures perfectiones: nam vt ait Ang. Doct.ad 3. *Bonum ſpeciei præponderat bono individui. Vnde multo melius eſt, quod multiplicentur ſpecies in Angelis, quàm quod multiplicentur individua in vna ſpecie.* Quare ad 4. ſic ediſſerit: *Multiplicatio ſecundùm numerum cum in infinitum protendi poſſit, non intenditur ab agente, ſed ſolùm multiplicatio ſecundum ſpeciem. Vnde perfectio naturæ Angelicæ requirit multiplicationem ſpecierum, non autem multiplicationem individuorum in vna ſpecie.*

22 In alijs enim ſpeciebus ſunt plura individua; non per ſe, ſed per accidens intenta, & conducentia ad perfectionem vniverſi; vt in eis conſervetur ſpecies per ſe intenta, & conducens; quæ nequit conſervari in vnico individuo. Sicut accidit in rebus corruptibilibus. Corpora autem cœleſtia, quia incorruptibilia, cuncta ſunt diverſæ ſpeciei. Nec requiritur multiplicitas numerica Angelorum, vt ſit inter eos ſocietas, amicitia, & charitas: nam ad has ſufficit convenientia in ſpecie ſubalterna, & in eſſe intellectivo.

23 Arg. 3. contra concluſ. ex Ang. Mag. opuſc. 16. ita affante: *Valde rudiiter argumentari ad oſtendendum, quod Deus facere non poſſit, quod ſint multi intellectus eiuſdem ſpeciei, credentes hoc includere contradictionem. Dato enim, quod non eſſet de natura intellectus, quod multiplicaretur, nō propter hoc oporteret, quod intellectum multiplicari includeret contradictionem. Nihil enim prohibet aliquid non habere in ſua natura cauſam alicuius, quod tamen habet illud ex alia cauſa. Sic ergo intellectus, etſi naturaliter ſit vnus omnium, quod non haberet cauſam ſuæ multiplicationis, poſſet tamen ſortiri multiplicationem ex ſupernaturali cauſa*: ergo idem poteſt evenire in Angelis de potentia Dei abſoluta: & ſic poterunt eſſe plures eiuſdem ſpeciei infimæ, & ſolo numero diſtincti.

24 Reſp. admitto, & explico authoritatē, cuius ſenſus eſt, quod poſſet ſortiri multiplicationem ex cauſa ſupernaturali, vt principio efficiente, & extrinſeco: medio tamen aliquo principio formali, & intrinſeco ipſius intellectus. Sicut Deus poteſt ita facere, quod mortui reſurgant, etſi non habeant cauſam naturalem reſurrectionis. Et quod cœci videant, etſi non habeant cauſam reſtitutionis viſus. Non tamen quod reſurgant, ſine forma intrinſeca vitali. Nec quod videant ſine potentia intrinſeca viſiva. Quare proſequitur

tur S. Doctor : *Quod non tantum dicimus propter propoſitum, ſed magis ne hæc argumentandi forma ad aliud extendatur : Sic enim poſſent concludere, quod Deus non poteſt facere, quod mortui reſurgant, & cæci ad viſum reparentur.* Cum igitur repugnet in Angelis principium intrinſecum multiplicationis numericæ : ideò Deus nec de potentia abſoluta poteſt efficere, quod ſint plures eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero diſtincti.

25 Cont. ex Ang. Præcept. qu. cit. de Spir. Creat. art. 8. ad 4. aſſerente: *Sicut hec albedo non prohibetur habere ſub ſe plura individua, ex hoc quod eſt albedo, quod pertinet ad rationem ſpeciei, ſed hoc, quod eſt in hoc, quod pertinet ad rationem individui; ita natura huius Angeli non prohibetur eſſe in multis ex hoc, quod eſt natura in tali ordine rerum conſtituta, quod pertinet ad rationem ſpecïei, ſed ex hoc, quod non eſt nata recipi in aliquo ſubiecto, quod pertinet ad rationem individui* : ergo in conceptu ſpecifico naturæ Angelicæ non eſt repugnantia, vt habeat plura individua, nec principium vnici individui; & Deus de potentia abſoluta poterit producere plura.

26 Reſp. admiſſa, & venerata authoritate, diſt. conſ. In conceptu explicito, conc. conſ. Implicito, nego conſ. Licèt conceptus methaphiſicus explicitus ſpeciei naturæ Angelicæ non dicat repugnantiam plurium individuorum, nec prohibitionem eſſendi in multis; ea tamen implicat : Cum includat conceptum phiſicum naturæ, quæ importat talem repugnantiam : cum ſit radix vnicæ ſingularitatis, eo quod eſt irreceptibilis in materia. Ut enim dictum eſt cum D. Thoma: ab eadem entitate phiſica Angeli, cum ſola diſtinctione rationis, provenit gradus genericus, ſpecificus, & individualis illius. Cumque hoc ſufficiat, vt nec de potentia Dei abſoluta poſsint eſſe plures Angeli eiuſdem ſpeciei infime, & ſolo numero diſtincti: ideò non poſſint eſſe. Hanc doctrinam confirmat Ang. Doctor texto 5 de Anima lect. 5 dicens: *In his verò quæ non habent formam in materia, ſicut ſunt formæ ſimplices, nihil poteſt eſſe præter eſſentiam ſpeciei, quia ipſa forma eſt tota eſſentia, & ideò in talibus non poſſunt eſſe plura individua vnius ſpeciei.*

27 Nec Ang. Præceptor ait: Quod poſsit; ſed, quod non prohibetur ex hoc, quod pertinet ad rationem ſpeciei, habere plura individua. Ut autem poſsit habere illa, requiritur in ratione ſpeciei aptitudo poſsitiva ad ea, cum exigatur radicatio eorum: nam ſicut genus radicat ſpecies, ita ſpecies individua : hæc enim non radicantur in ſe ipſis. Cum

Nn ergo

ergo natura Angeli, ſecundum rationem ſpeciei, nec de potentia Dei abſoluta poſsit habere talem aptitudinem poſsitivam, nec radicationem: ideò nec poteſt eſſe in pluribus individuis. Ad hoc quoque ſufficiebat individuorum aſsignata repugnantia: Cum repugnet, naturam Angelicam eſſe in individuis repugnantibus.

28 Arg 4. Si de potentia Dei abſoluta non poſſent eſſe plures Angeli eiuſdem ſpeciei infimę, & ſolo numero diſtincti, Angelus eſſet eſſentialiter ſingularis; ſed non eſt eſſentialiter ſingularis: ergo. Prob. min. Si Angelus eſſet eſſentialiter ſingularis, foret infinitus, & actus purus; ſed non eſt infinitus, nec actus purus: ergo. Prob. mai. Quia Deus eſt eſſentialiter ſingularis, eſt infinitus, & actus purus: ergo. Reſp. diſt. ant. Singularis, & identificans omnia ſua prædicata, conc. ant. Singularis præcisè, nego ant. & conſ. Ex quo enim Angelus ſit eſſentialiter ſingularis, ſolum infertur: quod non ſit vniverſalis, nec communis: nam ſingularitas ſolùm opponitur vniverſalitati, & communicati. Non tamen infertur, quod ſit infinitus, nec actus purus: Siquidem non opponitur finitudini, nec compoſitioni. Actus vtique infinitus, & purus infertur ex omnimoda illimitatione, in compoſitione, ſimplicitate, identificatione omnium prædicatorum, & excluſione potentialitatis. Cum igitur Deus ita ſit ſingularis, quod his gaudeat; Angelus verò non: cum ſit compoſitus ex eſſentia, & exiſtentia, & ex genere, & differentia, atque recipiens accidentia, nec omnia ſua prædicata ita identificans; vt viſum eſt art. ant. arg. 4. ideò non eſt infinitus, nec actus purus, licèt ſit eſſentialiter ſingularis. Quare Ang. Doct. cit. ibi num. 24. addit: *Sed in Deo non eſt aliud eſſe, quo eſt. Vnde ſolus Deus eſt actus purus.* Et ad 4. ait: *Dicitur in libro de cauſis quod intelligentia eſt finita ſuperius, in quantum, ſcilicet, recipit eſſe à ſuo ſuperiori: ſed eſt infinita inferius, in quantum non recipitur in aliqua materia.* Ad ſummum enim ſequitur: quod Angelus ſit ſecundùm quid infinitus; vt dictum eſt ibi num. 25. Eſt tamen ſimpliciter finitus, ſicut quęlibet creatura.

29 Cont. Eo quod Angelus ſolum ſit infinitus ſecũdùm quid, & intra ſuam ſpeciem, poteſt intra illam numericè multiplicari: ergo non eſt ſic eſſentialiter ſingularis. Prob ant. Angelus ex tali infinitate ſolum habet, quod exhauriat intenſivè totam perfectionem ſpeciei: non tamen extenſivè; ſed multiplicatio numerica individuorum ſolùm præbet ſpeciei augmentum extenſivum:

ergo,

ergo. Prob.mai. Gratia Animæ Chriſti Domini eſt ſecundũ quid infinita, exhauriens intenſivè perfectionem ſuæ ſpeciei; non verò extenſivè: ergo. Ant.eſt certum: Ideoque non repugnat, quod alia Perſona divina aſſumat aliam naturam creatam, quæ habeat gratiam eiuſdem ſpeciei, æqualis intenſionis, & ſolo numero diſtinctam.

30 Reſp.nego conſeq. Ratio eſt: Quia tales gratiæ reciperentur in ſubiecto, quod reſpectu earum ſe haberet vt materia, ab eoque limitarentur, & vna non exhauriret, niſi intenſivè, perfectionem ſuæ ſpeciei, eamque relinqueret participabilem ab altera, à qua propterea, ſolo numero diſtingueretur. Nec infinitas prędictæ gratiæ eſt phiſica, cum limitetur phiſicè à ſubiecto: ſed eſt moralis, deſumpta ab aliquo extrinſeco. Angelus autem non dicit ordinem ad ſubiectum, nec habet à quo ita limitetur: Sicque exhaurit intenſivè, & extenſivè perfectionem ſuæ ſpeciei, & eſt phiſicè ſecundùm quid ita infinitus, ſingularis, & inmultiplicabilis.

31 Cont. Quia ſubiectum gerit vices materiæ reſpectu gratiæ Animæ Chriſti, hæc non exhaurit, niſi intenſivè, perfectionem ſuæ ſpeciei, & eſt numericè multiplicabilis; ſed in Angelo eſt aliquid gerens vices materiæ: ergo. Prob.minor. Eſſentia Angeli gerit vices materiæ reſpectu exiſtentiæ: ergo. Ant.patet ex Divo Thoma: Nam recipit illam, & facit compoſitionem cum ea.

32 Reſp.diſt.ant. Exiſtentiæ conſtitutivę Angeli, nego antec. Non conſtitutivæ, conc.antec.& diſt conſ. Reſpectu alicuius prædicati conſtitutivi illius, nego conſeq. Non conſtitutivi, conc. conſ. Cum enim differentia individualis ſit intrinſeca, ſicut ſpecifica, vtraque oritur à prædicato intrinſeco, & conſtitutivo rei. Specifica à forma, & individualis à materia. Ex quibus, vt ex potentia, & actu, fit compoſitio eſſentialis ſpeciei. Cumque exiſtentia non ſit de eſſentia, nec de conſtitutivo intrinſeco Angeli, cum ſit realiter diſtincta ab eſſentia illius: ideò, licèt gerat vices materiæ, ſeu ſubiecti reſpectu eius, ex eis non fit talis compoſitio, nec ab eſſentia oritur differentia purè individualis; ſed quilibet Angelus exhaurit, etiam extenſivè, perfectionem ſpeciei, permanens ſic inmultiplicabilis.

33 Cont. In Angelo datur compoſitio eſſentialis ex potentia, & actu: ergo & ex aliquo gerente vices materiæ, & formæ in prædicatis eſſentialibus, & conſtitutivis. Prob.ant. In Angelo datur

compoſitio ex genere, & differentia; ſed hæc compoſitio eſt eſſentialis ex potentia,& actu: ergo. Reſp.diſt. min. Ex potentia determinabili ad ſpeciem, conc. min. Determinativa ſpeciei,nego min.& ſimiliter diſt.conſ.Potentia enim generis, ſive à qua ſumitur genus, eſt determinabilis per differentiam ſpecificam ad ſpeciem. Potentia materiæ, ſive materia, à qua ſumitur multiplicatio numerica, eſt determinativa, & limitativa ſpeciei per differentias individuales ad individua. In Angelo quidem datur compoſitio ex illa potentia, & actu; non ex hac. Et cum ſola hæc inferat poſsibilitatem multiplicationis numericæ: ideò hæc eſt impoſsibilis in Angelis.

34 Propterea in Angelis non poteſt multiplicatio numerica provenire ab exiſtentia,ſubſiſtentia, nec ab accidentibus receptis in illis: quia ſunt quid ſpirituale,& ſupponens Angelum conſtitutum,etiam in individuo: Cum terminent eſſentiam eius, aut in ea recipiantur. Nec ex eo, quod Angeli terminent diverſas actiones divinas infertur: quod ſint ſolo numero diſtincti: nam actio nō terminatur ſemper ad rem ſolo numero diverſam; ſed ad rem in individuo,& prout in re: & Angelus iam eſt in re, & in individuo; etſi ab alio non ſit ſolo numero diſtinctus, cum ſimul ſit ſpecie, & numero diverſus.

## ARTICULUS TERTIUS.

### *VTRUM ANGELI EX NAtura ſua ſint incorruptibiles.*

1 PRÆMITTO 1. Angelos ex natura ſua eſſe incorruptibiles corruptione propria, quæ fit per diſſolutionem compoſiti, cum forma ſeparatur à materia, & hæc remanet, vt commune ſubiectum. Ita omnes Theologi cum Ang.Mag. quæſt. 50.artic. 5. contra plures Rabinos, qui aſſerebant: fore propriè generabiles, & corruptibiles. Ratio D.Thomæ eſt: Nam Angeli carent materia,quæ eſt principium propriæ corruptionis; & commune ſubiectum, remanens, cum forma ſeparatur, & compoſitum corruptione deſtruitur: eo quod ſunt formæ ſine materia. Procedit enim difficultas de corruptione largè accepta pro deſitione rei,& quovis tranſitu de eſſe ad non eſſe, etſi anihilatio ſit.

2 Præmitto 2. Angelos hoc modo poſſe à Deo deſtrui, & anihilari. Ita Ang.Doct.quæſt 9. art.2. dicens: *Sicut ex voluntate Dei dependet, quod res in eſſe produxit, ita ex voluntate Dei dependet, quod res in eſſe conſervat: non enim*

*aliter eas in eſſe conſervat, quam ſemper eis eſſe dando; vnde ſi ſuam actionem eis ſubtraheret, omnia in nihilum redigerentur*. Ex quo non infertur: Quod ex natura ſua ſint corruptibiles: nam ipſe S. Doctor quæſt. 50. art. 5. ad 3. ait: *Quoddam neceſſarium eſt, quod habet cauſam ſuæ neceſſitatis; vnde non repugnat neceſſario, nec incorruptibili, quod eſſe eius dependeat ab alio ſicut à cauſa*. Aliter Deus non poſſet producere creaturam ex natura ſua incorruptibilem: Siquidem non poſſet in ſuo eſſe dependere â Deo, nec redigi in nihilum. Quare quæſt. 5. de Potent. art. 3. ad 12. aſſerit: *Licèt creaturæ incorruptibiles ex Dei voluntate dependeant, quæ poteſt eis eſſe præbere, & non præbere, conſequuntur tamen ex divina voluntate abſolutam neceſſitatem eſſendi, in quantum in tali natura cauſantur, in qua non ſit poſsibilitas ad non eſſe; talia enim ſunt cuncta creata, qualia Deus eſſe ea voluit*. Et 2. cont. Gent. cap. 3. inquit: *Per hoc autem, quod dicitur Deum produxiſſe res per voluntatem, non per neceſſitatem, non tollitur, quia voluerit aliquas res eſſe, quæ de neceſſitate ſint, & aliquas, quæ ſint contingentes, ad hoc, quod ſit in rebus diverſitas ordinata*.

3 Ex his reſultat: Quod vt Angeli ex natura ſua, & ab intrinſeco eſſent corruptibiles, deberet habere aliquod principium ſuæ corruptionis, ſive deſitionis; & potentiam paſsivam, vt deſtruantur, & anihilentur. Non enim ſufficit, quod in Deo ſit potentia activa deſtruendi, & anihilandi illos: Siquidem hæc eſt in illo reſpectu entis neceſſarij aſsignati; & tamen ex natura ſua, & ab intrinſeco eſt incorruptibile, cum ſit neceſſarium: quia nec habet tale principium, nec potentiam paſsivam corruptionis, aut deſitionis.

4 Concluſio: Angeli ex natura ſua, & ab intrinſeco ſunt incorruptibiles. Ita omnes Thomiſtæ, & communiter alij cum Angel. Præcept. art. 5. Conſtat ex illo Pſal. 148. *Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi*. Quod de Angelis, & Cœlis frequenter exponitur. Et in Epiſt. B. Judæ dicitur: *Angelos verò, qui non ſervaverunt ſuum principatum :: vinculis æternis ſub caligine reſervavit*. Eos autem, qui eum ſervaverunt, gloria æterna decoravit: vt omnes Catholici fatentur. Quorum permanentia, non ſolùm eſt per gratiam Dei, ſed etiam exapta ex natura eorum. Quapropter Concilium 6. Conſtantinopolitanum actione 11. declaravit: *Angelos creatos eſſe à Deo, perpetuoque duraturos*. Quod robur accipit ex Lateranenſi ſub Leone X. definiente: *Animam rationalem eſſe immortalem*. Quod potius debet verifi-

cari de Angelis, qui ſunt omninò independentes à materia. Quare Divus Thomas in ſed cont. refert S. Dioniſium aſſerentem: *Intellectuales ſubſtantiæ vitam habent indeficientem, ab univerſa corruptione, morte, & materia, & generatione, mundæ exiſtentes.*

5 Reſpondebis: Senſum eſſe: quod anima rationalis, & Angeli ſunt incorruptibiles per reſpectum ad agentia creata, cum à nullo poſsint deſtrui. Non reſpectu Dei, à quo poſſunt annihilari. Cont. Concilium abſolutè dicit: Animam eſſe immortalem. Et SS. PP. idem dicunt de Angelis: ergo ex natura ſua ſunt immortales, & incorruptibiles reſpectu omnis agentis, etiam Dei. Prob. conſ. Etſi anima rationalis, & ſimiliter Angelus ſit improducibilis ab agente creato, quia eſt producibilis à Deo, non dicitur abſolutè, ex natura ſua improducibilis: ergo. Et ratio vtriuſque eſt: Quia *immortalis, incorruptibilis, & improducibilis*, ſunt termini negativi, qui, vt abſolutè verificentur, debent omni ex parte ſubiecto convenire: nam ſi ex aliqua ei non conveniant, iam non verificantur. Ut enim aliquis dicatur abſolutè immortalis, non ſufficit, quod ab aliquibus non poſsit privari vita, ſed requiritur, quod à nemine: nam ſi ab aliquo poſsit occidi, iam non eſt immortalis. Cum igitur Deus ſit agens præcipuum inter agentia naturalia, ſi anima, & Angeli ex natura ſua non eſſent immortales, non poſſent dici abſolutè tales, ſed cum addito: reſpectu agentis creati.

6 Prob. 1. concluſ. ratione Divi Thomæ art. 5. Quod in ſe, ex natura ſua, & ab intrinſeco non habet potẽtiam paſsivam ad non eſſe, eſt ſic ex natura ſua incorruptibile; ſed Angeli in ſe, ex natura ſua, & ab intrinſeco non habent potentiam paſsivam ad non eſſe: ergo. Mai. eſt certa: Siquidem non ſufficit, quod Deus poſsit illud deſtruere, ſed requiritur, ipſum ita eſſe deſtruibile. Sicut Cœlum dicitur ſic incorruptibile, quia etſi Deus poſsit deſtruere Cœlum, ipſum non eſt ita deſtruibile: cum non habeat potentiam paſsivam, vt deſtruatur. Nec lapis dicitur ex natura ſua mobilis ſurſum: nam etſi Deus poſsit lapidem ſurſum movere, lapis non habet potentiam paſsivam motus ſurſum, ſed deorſum, cum ſit corpus grave. Quod eſt expreſſum in Ang. Mag. ad 3. ita aſtante: *Non autem dicitur aliquid eſſe corruptibile, per hoc, quod Deus poſsit illud in non eſſe redigere, ſubtrahendo ſuam conſervationem, ſed per hoc, quod in ſe ipſo aliquod principium corruptionis habet, vel contrarietatem, vel ſaltem potentiam materiæ.*

*riæ.* Prob.min. Forma per ſe ſubſiſtens, & omnino independens à materia, in ſe, ex natura ſua, & ab intrinſeco nullam potentiam paſsivam habet ad non eſſe; ſed Angeli ſunt formæ per ſe ſubſiſtentes, & omninò independentes à materia: ergo.

7 Prob.mai. Illud, cui per ſe convenit eſſe, nullam habet potentiam paſsivam ad non eſſe; ſed formæ per ſe ſubſiſtenti, & omnino independenti à materia, per ſe convenit eſſe: ergo. Mai.docetur à D. Thoma in corp. Nam quod convenit alicui per ſe, & ſecundùm ſe, nunquam poteſt ſeparari ab illo; poteſt tamen ſeparari quod convenit per aliud, ſeparato eo, ratione cuius convenit. Nec in eo eſt potentia paſsiva ad non eſſe. Pro quo adducit hoc exemplum, Rotunditas enim non poteſt ſeparari à circulo: quia per ſe convenit circulo. Nec in hoc eſt potentia paſsiva ad non rotunditatem. Circulus autem æneus poteſt amittere rotunditatem: cum figura circularis ſeparatur ab ære, cui ratione illius convenit. Min.eſt ipſius aſſerentis: *Eſſe autem ſecundùm ſe convenit formæ. Vnumquodque enim eſt ens actu ſecundum quod habet formam.* Et pro diſcurſu concludendo, addit: *Materia verò eſt ens actu per formam. Compoſitum igitur ex materia, & forma deſinit eſſe actu per hoc quod forma ſeparatur à materia. Sed ſi ipſa forma ſubſiſtat in ſuo eſſe, ſicut eſt in Angelis, non poteſt amittere eſſe.*

8 Roboratur ex eodem: Potentia paſsiva intrinſeca ad non eſſe, ſolum eſt in illis, qui ſunt aliquid, vel habent aliquid, quod ſtare poſsit cum non eſſe; ſed Angeli nec ſunt, nec habent aliquid, quod ſtare poſsit cum non eſſe: ergo. Maior. explicatur in compoſito materiali ſublunari: in quo eſt talis potentia ad non eſſe, quia in eo eſt materia, quæ poteſt ſtare cum non eſſe talis compoſiti, per adventum formæ ſubſtantialis excludentis formam illius. Vnde ait D.Thomas: ***Nihil corrumpitur niſi per hoc, quod forma eius à materia ſeparatur.*** Min.patet: Siquidem Angeli non conſtant materia, & forma, ſed ſunt formæ ſolæ, & indiviſibiles, & per ſe ſubſiſtentes: Sicque in eis non eſt aliquid, quod tranſeat ad aliud eſſe, & tunc ſit ſub non eſſe, quod habeat. Quare Ang.Doct.concludit: ***Neceſſe eſt dicere, Angelos ſecũdum ſuam naturã eſſe incorruptibiles.***

9 Corroboratur ex Angel. Mag.quæſt.5. de Potent.artic.3. Potentia paſsiva intrinſeca per ſe primò reſpicit eſſe, & ſecundariò, ac per accidens non eſſe; ſed Angeli non poſſunt per ſe primò reſpicere aliud eſſe: ergo nec habere potentiam paſsivam intrin-

ſecam ad non eſſe. Mai.eſt certa: Nam talis potentia, ſimiliſque appetitus, eſt ad aliquod bonum: quod non eſt in non eſſe, ſed in eſſe. Propterea materia prima, quæ habet talem potentiam, per ſe primo reſpicit eſſe formæ advenientis; & ſecundario, ac per accidens non eſſe formæ præexiſtentis, ratione incompoſsibilitatis cum illa. Quare S.Doctor ait: *Materia cum non poſsit eſſe ſine forma, non poteſt eſſe in potentia ad non eſſe, niſi quatenus exiſtens ſub vna forma eſt in potentia ad aliam formam.* Et ratio eſt: quia potentia paſsiva debet proportionari activæ; ſed nulla eſt potentia activa, quæ primò, & per ſe reſpiciat non eſſe: ergo. Min.eſt D. Thomæ queſt.104.art.3 ad 1.dicentis: *Non eſſe non habet cauſam per ſe, quia nihil poteſt eſſe cauſa, niſi in quantum eſt ens.* Perinde ad 3.ait: *Si Deus rem aliquam in nihilum redigeret, hoc non eſſet per aliquam actionē, ſed per hoc, quod ab agēdo ceſſaret.*

10 Prob.2.conclu.ratione: Si Angeli ex natura ſua non eſſent incorruptibiles, eſſet in eis potentia paſsiva intrinſeca ad non eſſe; ſed non eſt: ergo. Probat. min. Eatenus eſſet in Angelis potentia paſsiva intrinſeca ad non eſſe, quatenus poſſent deſtrui à Deo, & in nihilum redigi; ſed potentia ad hoc non eſt eis paſsiva, nec intrinſeca: ergo. Probat. minor. Omni rei creatæ eſt purè extrinſeca, nimirum, potentia activa Dei: ergo. Prob.ant. Quęlibet creatura poteſt à Deo deſtrui, & in nihilum redigi ea potentia, qua antequam eſſet, potuit à Deo produci; ſed hæc eſt ſola potentia activa, & extrinſeca Dei: ergo. Mai.patet: Nam ea potentia, qua liberè eſt producta à Deo, liberè à Deo conſervatur: & eadem, qua conſervatur, poteſt ab ipſo deſtrui, ſic ceſſet à conſervatione. Min.conſtat: nam aliter, aliquid creatum eſſet ab æterno. Hæc doctrina eſt Ang. D. quæſt. 9.art.2.& quæſt.104.art.4.

11 Dices: Quod, vt vidimus Tract.3.quæſt.1.art.8. eſt probabile inter Thomiſtas: Poſsibile non conſiſtere in ſola denominatione extrinſeca, ſed in aliquo reali poſitivo paſsivo, & intrinſeco: ergo eſt in illo potentia paſsiva intrinſeca, vt à Deo producatur: & ſimilis erit, vt deſtruatur. Reſp. quod in tali opinione, conſiſtit in aliquo reali poſitivo paſsivo, & intrinſeco; non actuali, exercito, nec phiſico: cum repugnet eſſe ab æterno; ſed nominali, methaphiſico, ſignato, & obiectivo. In quo erit ſimilis potentia, vt producatur; non tamen actualis, nec phiſica. Et propterea talis non eſt in Angelis, ſed ſola potentia obedientialis, & logica, ſive non repugnantia,

tia, vt Deus faciat de illis, ſicut de qualibet creatura, quidquid voluerit. In eis autem non eſt potentia paſsiva actualis, nec phiſica, vt deſtruatur. Imò eſt exigentia, vt conſervetur: propter quam ex natura ſua ſunt incorruptibiles.

12 Prob 3. concluſ. Angeli ex natura ſua, & ab intrinſeco petunt ſui perpetuam conſervationem: ergo. Prob. ant. Si ita non peterent ſui conſervationem, eſſet, quia Deus poteſt ſuſpendere concurſum conſervativum eorum; ſed licèt poſsit, ab intrinſeco, & ex natura ſua petunt ſui perpetuam conſervationem: ergo Prob. min. Etſi Deus producês extraordinariè, & miraculosè, poſsit ſuſpendere concurſum conſervativum Angelorum; non tamen ſecundùm legem ordinariam, & concurſum communem Dei; ſed ſi Angeli ab intrinſeco, & ex natura ſua non peterent perpetuam ſui conſervationem, etiam poſſet hoc modo: ergo. Maior patet ex Ang. Mag. quæſt. 104. artic. 4. ita affante: *Creaturarum autem naturæ hoc demonſtrant, vt nulla earum in nihilum redigatur. Quia vel ſunt immateriales, & ſic in eis non eſt potentia ad non eſſe.* Cum ergo concurſus ordinarius Dei conformetur naturis rerum, iuxta hunc nequit ſuſpendere concurſum conſervativum Angelorum, qui eſſet anihilatio ipſorum. Quare refert illud Eccleſ. 3 *Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perſeverant in æternum.* Nunc Divus Thomas ad 2. *Et ideò, ea quæ non habent contrarium, quamvis habeant finitam virtutem, perſeverant in æternum.*

13 Prob. 4. concluſ. Eſſe vniuſcuiuſque eſt ſicut eius operatio; ſed operatio Angelorum eſt perpetua: ergo eſſe eorum eſt perpetuum, & ex natura ſua incorruptibile. Mai. eſt Ang. Doct. art 5. aſſerentis: *Quia enim vnumquodque operatur ſecundum quod eſt actu operatio rei indicat modum eſſe ipſius.* Min. oſtenditur ex ipſo dicente: *Species autem, & ratio operationis ex obiecto comprehenditur. Obiectum autem intelligibile cum ſit ſupra tempus, eſt ſempiternum. Vnde omnis ſubſtantia intellectualis eſt incorruptibilis ſecūdum ſuam naturam.* Conſ. amplius conſtat ex eodem ita concludente: *Huius incorruptibilitatis ſignum accipi poteſt ex eius intellectuali operatione.*

14 Arg 1. Si Angeli ex natura ſua, & ab intrinſeco eſſent incorruptibiles, forent immortales; ſed non ſunt immortales: ergo. Prob. min. ex 1. Tim 6. v. 16. vbi dicitur de Deo: *Solus habet immortalitatem*: ergo. Reſpond. admitto, & explico Sac. Textum cum Ang. D. lect 3 ſic eum exponente: *In qualibet enim mutatione eſt quædam corruptio: quia omne quod*

*mutatur in quantum huiuſmodi deſinit eſſe tale. Illud ergo propriè, & verè eſt incorruptibile, quod penitùs eſt immutabile. Quælibet autem creatura in ſe conſiderata habet aliquam mutationem, vel mutabilitatem. Deus autem eſt omninò immutabilis.* Et art. 5. adducens S. Joannem Damaſc. aſſerentem de Angelo: quod eſt ſubſtantia intellectualis, gratia, & non natura immortalitatem ſuſcipiens; ad id ita diſſerit: *Damaſcenus accipit immortalitatem perfectam, quæ includit omnimodam immutabilitatem: quia omnis mutatio eſt quædam mors, vt Aug. dicit. Perfectam autem immutabilitatem Angeli non niſi per gratiam aſſequuntur.* Ex quibus patet: Quòd cùm Angelus ſit ſubiectus mutationibus accidentalibus, & mutabilis de bono in malum, atque de potentia Dei abſoluta deſtrubilis, non eſt ita, nec perfectè immortalis, ſicut Deus. Cui cohæret, vt Angeli ab intrinſeco, & ex natura ſua ſint modo prædicto immortales, & incorruptibiles.

15 Si inſtes: Quod Angeli, non per naturam, ſed per gratiam, habent talem immutabilitatem, & immortalitatem; vt Divus Thomas videtur inſinuare, & Sophronius dixit in Epiſt approbata à Concilio Conſtantinopolitano Seſſ. 11. lect. 18. Reſpond. Senſum eſſe: quod Angeli illam non habent à ſe, ſicut Deus; ſed à Deo gratiosè donatam: quia cuncta ſunt talia, qualia Deus eſſe voluit; vt ait Aug. Mag. In quo ſenſu, dona naturalia, etiam appellãtur gratioſa à PP. apud Div. Aug. Epiſt. 93. quia proveniunt ex voluntate gratuita Dei. Sic enim omnia poſſunt dici gratiana: nam donum creationis eſt gratioſum, quia indebitum. Et nihilominus plura ſunt naturalia, & connaturalia: quia exapta à natura rerum. Cùm ergo Angeli ſint ita immutabiles: ideò ex natura ſua ſunt immortales, & incorruptibiles; non à ſe, ſed à Deo. Unde S. Aug. lib. de natura boni cap. 39. & Epiſt. 29. locum Tim. exponit de immortalitate à ſe, qua ſolus Deus eſt immortalis. Sicut Marci 10. dicitur in tali ſenſu: *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Et tamen creatura poteſt eſſe bona, & immortalis à Deo, & per participationem.

16 Cont. Angeli non per naturam, ſed per gratiam, conſervantur à Deo in ſuo eſſe: ergo non ſolum in creatione acceperunt per gratiam ſic immortalitatem, & incorruptionem, ſed per gratiam quoque ſunt, & conſervantur. Prob. ant. Angeli per naturam dependent à Deo, libere conſervante illos: ergo. Ant. eſt certum: Nam quælibet creatura ex natura ſua habet talem dependentiam. Reſp. diſt. antec. libe

attenta potentia abſoluta, conc. ant. Ordinaria, & ex ſuppoſitione, nego antec. & ita diſt. conſeq. Potentia ordinaria Dei eſt: qua operatur iuxta naturalem curſum rerum, & ordinem naturalem inditum creaturis. Abſoluta: qua, præter talem curſum, & ordinem, operatur miraculosè. Abſoluta non attendit ſuppoſitionem aliquam. Ordinaria attendit illam: vt docet D. Thomas quæſt. 104. art. 4. Licèt ergo Angeli exiſtentes, per naturam ſuam dependeant à Deo, ita liberè eos conſervante, attenta abſoluta potentia: cum ea vtens, poſsit eos deſtruere, & in nihilum redigere. Ex ſuppoſitione autem ſuæ creationis, & potentia ordinaria inſpecta, etiam pendent ab ipſo: cum nec ſint, nec conſerventur à ſe, ſed à Deo; non vt à conſervante liberè, ſed neceſſariò illos: Siquidem liberè præbuit eis naturam, quæ exigit perpetuam ſui durationem. Cumque hoc ſit, eſſe ita per naturam immortales, & incorruptibiles: ideò ſunt. Solutio conſtat ex Divo Thoma num. 2.

17 Nec Angeli, ita per naturam dependentes à Deo, habent potentiam paſsivam naturalem, vt à Deo deſtruantur; ſed potentiam obedientialem, & meram non repugnantiam. Imò habent talem potentiam, vt conſerventur. Sicut in probabili ſententia, Deus poteſt ſeparare proprietates ab eſſentia, de potentia abſoluta; & in tali ſenſu eas liberè conſervat: & in eſſentia non eſt potentia paſsiva intrinſeca, nec naturalis, ad non eſſe illarum; ſed obedientialis, & non repugnantia. Imò eſt naturalis exigentia illarum. Et Viſio creata beatifica ex ſuppoſitione, quod ſit, petit ſimiliter eſſe; licèt de potentia Dei abſoluta poſsit deficere. Unde S. Greg. ait: *Omnia in nihilum tenderent, niſi ea manus Omnipotentis conſervaret.* Et D. Thomas ad 3. aſſerit: *Non datur intelligi quod in Angelis ſit aliquod corruptionis principium, ſed quod eſſe Angeli dependeat à Deo, ſicut à cauſa.*

18 Arg. 2. In Angelis eſt potentia paſsiva intrinſeca, vt poſſint deſtrui à Deo: ergo. Probat. ant. In Angelis eſt vera non repugnantia paſsiva, vt poſsint deſtrui à Deo: ergo. Prob. conſ. Talis nō repugnantia debet convenire Angelis ratione alicuius formę poſitivæ intrinſecæ; ſed: ergo. Mai. patet: Cum ita conveniat quælibet negatio. Reſp. diſt. mai. In qua ſit potentia paſsiva, nego mai. Dependentia à Deo, conc. mai & min. & nego conſ. Prædicta enim non repugnantia convenit Angelis ratione naturæ ipſorum; non quia in ea ſit potentia paſsiva intrinſeca, & naturalis, vt deſtruantur à Deo; ſed quia

eſt creata, Deo ſubiecta, ab ipſo dependens; & habens ſuum eſſe incorruptibile, non à ſe, ſed à Deo, conſervante illud. Sicut calor habet non repugnantiam, vt nõ calefaciat, ob talem dependentiam, & non quia ſit in ipſo potentia paſsiva intrinſeca, & naturalis non calefaciendi. Imò eſt in eo talis potentia calefaciendi. Et cum illud foret neceſſe, vt eſſet in Angelis potentia paſsiva intrinſeca ad ſui deſtructionem: ideò non eſt.

19 Cont. Talis non repugnantia ad non eſſe convenit Angelis ratione alicuius potentiæ paſsivæ intrinſecæ: ergo. Prob. antec. Non repugnantia ad eſſe convenit Angelis ratione alicuius potentiæ paſsivæ intrinſecæ: ergo. Reſp permiſſo ant. nego conſeq. Ratio eſt: Quia potentia eſt correlativa actus producendi, vel recipiendi. Et cum eſſe ſit actus; & non eſſe ſit carentia actus: ideò in Angelis, & in alijs poſsibilibus poteſt permitti aliqua potentia paſsiva ad eſſè, in ſenſu explicato in 1. & 2 prob. concluſ. non tamen ad non eſſè.

20 Vt enim aliquid ſit naturaliter poſsibile, vltra non repugnantiam terminorum, requiritur: quod non repugnantia ſit reſpectu alicuius, quod non ſit contra, vel ſupra inclinationem naturæ. Aliunde effectus ſupernaturales, & miraculoſi foren naturaliter poſsibiles. Cumqu productio creaturarum poſsibi lium nec ſit contra, nec ſupra ſed potius iuxtà exigentiam na turæ illarum; & anihilatio An gelorum ſit contra, & ſupra incli nationem naturæ eorum: ide illa eſt naturalis, & hæc non. Ne anihilatio foret violenta: nar licèt eſſet contra inclinationen particularem Angelorum; no verò contra vniverſalem, qua te nentur obedire Deo, qui nequi inferre illis violentiam. Sicu propterea non inferret violer tiam lapidi, dum ipſum movere ſurſum. Si dicas: In Deo eſt pc tẽtia activa, vt Angelos deſtrua ergo in Angelis eſt paſsiva, vt Deo deſtruantur. Reſp. quod i eis ſufficit talis non repugnanti & potentia obedientialis: Sic in lapide, vt aſcendat ſurſun quia activa eſt in Deo, vt Auth re ſupernaturali, & vt vtente p tentia extraordinaria, & abſolut

21 Arg 3. Angeli ab intri ſeco, & ex natura ſua ſunt d ſtruibiles à Deo: ergo. Prob. an Angeli habent potentiam paſs vam intrinſecam, vt deſtruant à Deo: ergo. Prob. antec. Ange ſunt deſtruibiles à Deo, ſuſpe dente concurſum conſervativu eorum; ſed non ſunt deſtruibil denominatione extrinſeca d ſumpta à potentia deſtructiv

Dei;

Dei : ergo. Prob. min. Si ita eſſent deſtruibiles, hæc propoſitio eſſet vera : Angeli ſunt deſtruibiles à Deo, quia Deus poteſt deſtruere Angelos. Et rurſus hæc : Deus poteſt deſtruere Angelos, quia ſunt deſtruibiles à Deo; ſed hic circulus eſt vicioſus, & vitandus: ergo.

22 Reſp. diſt. mai. Deſtruibiles potentia phiſica, & poſitiva, nego mai. Logica, & per non repugnantiam, conc. mai. & minor. & nego conſ. Angeli enim ſunt deſtruibiles à Deo; non quia in ipſis ſit potentia phiſica, & poſſitiva ad deſtructionem, & non eſſe ſui : ſed per hoc, quod ſit in eis potentia logica, obedientialis, & non repugnantia. Et propterea poteſt Deus illos deſtruere, cum poſsit omne, quod non repugnat : ideoque non committitur circulus vicioſus inſinuatus. Nam erunt deſtruibiles extrinſecè, quia Deus poteſt deſtruere illos. Et Deus dicitur potens deſtruere eos, quia non repugnant deſtrui. Exinde autem ab intrinſeco, & ex natura ſua non ſunt deſtruibiles : nam vltra hoc, requirebatur in eis potentia inclinans, & exigens deſtructionem. Similem difficultatem refert Angel. Mag. quæſt. 25. art. 3. ſi arguatur: Quod Deus eſt Omnipotens, quia poteſt omnia poſsibilia; & quod poteſt omnia poſsibilia, quia eſt Omnipotens. Et eodem modo reſpondet : Quod eſt Omnipotens, quia poteſt quidquid non repugnat, aut contradictionem non implicat.

23 Cont. Angeli potentia logica, & obedientiali, ac per non repugnantiam ſunt deſtruibiles à Deo : ergo non poſſunt dici ab intrinſeco, nec ex natura ſua indeſtruibiles. Prob. conſeq. Quia Angeli potentia logica, & obedientiali, ac per non repugnantiam ſunt producibiles à Deo, & elevabiles ad gratiam, & cœtera dona ſupernaturalia, non poſſunt dici ab intrinſeco, nec ex natura ſua improducibiles, & inelevabiles; ſed : ergo. Reſp. nego conſeq. Diſcrimen eſt : Quia in Angelis non eſt principium exigens non productionem, & non elevationem ſui; ſed habent ſuum eſſe, neutri repugnans, & cum quolibet, quia poſitivo, & bono, benè ſe habens. In eis autem eſt principium exigens ſuam conſervationem ſub eſſe; & deſtructioni, atque non eſſe ſui naturaliter repugnans : Etſi habeant non repugnantiam, vt deſtruantur à Deo agente ſupernaturali. Et cum aliunde deſtructio, & non eſſe ſui, non ſit quid poſitivum, nec bonum ipſorum; non benè ſe haberent cum illo. Quare ab intrinſeco, & ex natura ſua ſunt indeſtruibiles; quia ita exigunt non

deſtrui. Non tamen ſunt improducibiles, nec inelevabiles: cum non exigant non produci, nec non elevari.

24 Arg.4. Quod poteſt deficere rigoroſa corruptione, non eſt ab intrinſeco, nec ex natura ſua incorruptibile; ſed Angeli poſſunt deficere rigoroſa corruptione: ergo. Prob.min. Deſitio alicuius rei, manente aliquo ipſius, eſt rigoroſa corruptio; ſed in Angelis poteſt eſſe deſitio alicuius rei, manente aliquo ipſorum: ergo. Prob.minor. Poteſt Deus aſſumere naturam Angeli exiſtentis; ſed tunc maneret natura ipſius Angeli, & deſineret, ſeu deficeret propria exiſtentia, & perſonalitas eius: nam exiſteret, & perſonaretur exiſtentia, & Perſona divina: ergo.

25 Reſp. diſt. conſ. Aliquid naturæ, & entitatis, nego conſ. Modi ipſius, conc.conſ. Corruptio rigoroſa, imò & lata, quæ eſt deſitio rei, & deſtructio compoſiti, de qua loquimur, eſt deſitio alicuius entitatis, & compoſiti, manente aliquo ipſius: nam ſi anihilatio ſit, eſt deſtructio compoſiti. Non autem deſitio alicuius modi ipſius, præcipuè cum ſuppleatur aliquo ſuperiori, & perfectiori. Cumque in tali caſu nil entitatis, & naturæ Angeli deficeret, ſed modus ipſius, qualis eſt exiſtentia, & perſonalitas, loco cuius ſubrogaretur divina, quæ eſt ſuperior, & perfectior, eam perfectiſsimè continens: ideò talis deſitio non foret deſtructio, nec corruptio. Vnde in tali caſu, Angelus non deficeret: cum eſſe Angeli maneret. Nec id eveniret, niſi de potentia Dei abſoluta. Quare attenta ordinaria, nec ſic deficeret: itaquè eſt indeſtruibilis. Quod ſufficit, vt ex natura ſua ſit incorruptibilis. Si autem Deus naturam Angeli aſſumptam relinqueret, iterum pulolaret propria exiſtentia, & perſonalitas: quæ educeretur ex natura ipſius. Quod tunc poſſet evenire, etſi Angelus de facto quoad omnia factus ſit per creationem: quia de facto non affuit, niſi vnica actio creativa; & tunc, præter actionem creativam, ad eſſet nova actio eductiva exiſtentiæ, & perſonalitatis ex ipſa natura. Sicut Cœli de facto fuerunt creati; quia vnica actione creativa producti; vt diximus 1. Phyſ. quæſt.3. art.6. Et tamen forma eorum potuerunt educi; & de facto educerentur, ſi adeſſet duplex actio, quarum vna ſupponeret productam materiam, ex qua fierent: vt dictum eſt ibi art.7.

## QUÆSTIO SECUNDA.

### *DE LOCO, ET MOTU LOcali Angelorum.*

POSTQUAM Ang. Doctor egit de ſubſtantia Angelorum, & de ipſis in ordine ad corpora; nunc in quæſt. 52. agit de loco; & in quæſt. 53. de motu locali eorum: vt ſciamus, vbi ſunt; & quomodo moventur Angeli.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### *QUÆ SIT IN ANGELIS ratio formalis eſſendi in loco.*

1 PRÆMITTO 1. Angelos eſſe in loco. Ita Ang. Mag. quæſt. 52. art. 1. & in 1. Sent. diſt. 37. art. 1. contra Rabi Moyſem, & aliquos antiquos, qui affirmabant: Solùm eſſe in corporibus cœleſtibus. Fundat hanc veritatem in illo Collectæ Completorij: *Angeli tui Sancti habitent in ea.* Conſtat ſatis in Sac. Scriptura: Nam Gen 18. & 19. dicitur: quod Angeli ad Abraham venerunt, & Sodomam ingreſsi ſunt. Et Exodi 14. Quod Angelus præcedebat Caſtra Iſrael. Et in Lib. Tobiæ: quod Angelus Raphael fuit in domo ipſius. Quod indicat; Angelos fuiſſe in locis prædictis. Hic eſt communis ſenſus SS. PP. de quo B. Alb. 1. part. quæſt. 73. artic. 1.

2 Dices: Angelos non eſſe propriè in loco, ſed methaphoricè: quatenus effectus ab ipſis producti ſunt in corporibus locatis; non quia ſubſtantiæ Angelorum in loco ſint. Cont. Ideò ſubſtantiæ Angelorum non eſſent in loco, quia ſunt ſpirituales; ſed licèt ſint ſpirituales, ſunt in loco: ergo Angeli propriè ſunt in loco. Prob. min. Animæ rationales ſunt ſpirituales; ſed ſunt in loco: ergo. Prob. min. Anima Chriſti Domini ſeparata à Corpore, in triduo mortis deſcendit ad inferos, & fuit in ſinu Abrahæ: & ex animabus, vnæ ſunt in Cœlo, aliæ in inferno, aliæ in purgatorio, & aliæ in lymbo: ergo. Conſ. patet: Ideoque ſimiliter ex Angelis, vni ſunt in Cœlo, alij in inferno, & alij in terra, vt Miniſtri Dei, eius præcepta erga homines exequentes. Nihilominus ait Divus Thomas: Quod non ſunt in loco, ſicut corpora, ſed æquivocè: Cum corpus ſit in loco per contactum quantitatis, & Angelus per contactum virtutis.

3 Præmitto 2. Quod duplex eſt locus Angelorum. Unus connaturalis: in quo ſunt voluntariè, & quem ſibi ſubjiciunt. Alius violentus: in quo detinentur con-

tra ſuam voluntatem, & habent ſubiectionem. Nunc agimus de ratione formali exiſtendi in loco connaturali. Multiplex enim eſt Sententia. Vni aſſerunt: rationem formalem proximam, & immediatam, qua Angeli ſunt in loco, eſſe ſubſtātiam Angelorum. Alij: eorum vnionem cum corpore. Alij: potentiam operativam ipſorum. Alij: vbi Angelicum. Thomiſtæ autem conveniunt in eo: quod eſt operatio libera Angelorum in loco. Ex quibus vni dicunt: Eſſe operationem immanentem, qua præcisè applicant ſuam virtutem operativam ad corpus, nil producendo in ipſo corpore. Alij inquiunt: eſſe operationem tranſeuntem, qua Angeli producunt effectum in eo. Ita Emin. Caiet. M Ferrarienſis, Argentina, Araujo, Joann. à S. Th. Serra, Lezana, Ferre, Goner, Contenſon, Carraſco, Zumel, PP. Salm. & alij. Et B. Alb. loc. cit.

4 Prima concluſio: Ratio formalis, qua Angeli ſunt in loco connaturali, eſt operatio eorum libera, & virtualiter tranſiens. Videtur conformis menti Angel. Doct qui in 1. diſt. 37. quæſt. 3 artic. 1. ait: *Eſſe eam, quæ effectum aliquem in eo cauſat, id eſt in corpore, vel in loco*; ſed hæc eſt operatio libera prædicta, virtualiter tranſiens: ergo. Reſpondebis: Senſum non eſſe: quod Angelus ita ſit in loco, producens effectū, vt in ſubiecto inhæſionis: ſed quatenus Angelus producit in ſe ipſo vnionem ad corpus, & applicationem paſsivam, qua exiſtit in loco. Quod fit per actionem immanentem, & non per virtualiter tranſeuntem. Cont. Ang. Præceptor ſtatim ſe explicat ſic: *Subſtantia ſpiritualis poteſt alicui conferre non quidem eſſe, ſed aliquid ad eſſe ſuperadditum, & ſic Angelus eſt in loco, in quantum operatur circa aliquod corpus locatum, vel motum, vel lumen, vel aliud huiuſmodi, cui tamen eſſe non confert*; ſed motus, lumen, & aliud huiuſmodi ſunt in corpore, vel in loco: ergo. Et ad 1. aſſerit: Quod Angelus eſt in loco, vt operans in operato: ergo Angelus ſe habet vt operans, & locus vt operatum. Quod indicat: quod producit effectum in loco. Et ad 5. aſsimilat operationem Angeli, per quam eſt in loco, operationi Dei, per quam eſt vbique, in eo: quod vtraque tranſit ſuper operatum; ſed propterea Tract. 2. quæſt. 4 art. 2. dictum eſt: quod Deus eſt in rebus, & in cunctis locis, per operationem, vt virtualiter tranſeuntem: ergo per eam eſt Angelus in loco.

5 Prob concluſ. ratione Divi Thomæ: Ratio formalis, qua Angeli ſunt in loco connaturali,

eſt illa, qua primò contingunt locum, per modum ſuperioris continentis illum; ſed hæc eſt operatio libera, virtualiter tranſiens: ergo. Mai. eſt Angel. Mag. art. 1. aſſerentis: *Subſtantia incorporea ſua virtute contingens rem corpoream, continet ipſam, & non continetur ab ea. Anima enim eſt in corpore vt continens, & non vt contenta. Et ſimiliter Angelus dicitur eſſe in loco corporeo, non vt contentum, ſed vt continens aliquo modo.* Et Quodlib. 1. art. 4. dicit: *Angelus eſt in loco per contactum virtutis. Si quis autem velit virtutis contactum operationem vocare, propter hoc quod operari eſt proprius effectus virtutis, dicatur quod Angelus eſt in loco per operationem.* Prob. min. Talis contactus eſt per actionem, qua Angeli producunt effectum in loco; ſed hæc eſt operatio virtualiter tranſiens: ergo. Maior. conſtat ex prædictis: & quia Angelus non contingit corpus, nec locum vt materia, nec vt forma: nam ſic non vnitur cum eis. Min. eſt certa: Siquidem operatio omninò immanens non producit effectum in alio, ſed in ipſo Angelo. Conſ. patet: & Ang. Magiſt. in 1. diſt. 37. quæſt. 3. art. 1. concludit: *Relinquitur ergo, quod Angelus definiri, vel determinari non poteſt ad locum aliquem, niſi per actionem, & operationem.*

6 Reſpondebis: Angelum habere talem contactum per operationem immanentem in ipſo, qua in ſe producit effectum, dum eſt in corpore, & in loco. Cont. Vt Angelus ſit in loco, debet contingere locum per ſuam virtutem: Sicut corpus per ſuam quantitatem; ſed corpus per quantitatem contingit immediate locum contactu quantitativo: ergo Angelus contingit immediatè locum contactu virtutis, qui eſt per operationem producentem effectum in ipſo loco; vt viſum eſt. Maior. patet: Siquidem non ſufficit quælibet indiſtantia, & approximatio, vt aliquid ſit in loco: nam ſi duo corpora penetrarentur, indiſtarent, & forent nimis proxima; & tamen vnum non eſſet in alio, vt in loco, quia deficeret ei prædictus contactus. Min. eſt certa. Conſ. optima: Si namque Angelus non producit effectum in loco, nil contactus habet cum loco: nam cum eius operatio, vt immanens, ſit purè ſpiritualis, & nil producat in loco, non conducit, vt contingat locum.

7 Secunda concluſio: Ratio formalis, qua Angeli ſunt in loco violento, etiam eſt operatio prædicta, virtualiter tranſiens. Ita M. Ferrarienſ. Serra, Lezana, Ferre, & multi. M Gonet, Contenſon, Carraſco, & alij aſſerunt: fore paſsionem, aut alligationem paſsivam, qua ab agente extrin-

ſeco detinentur in vno loco, vt non poſsint alibi operari. Fundat concluſionem Ang. Doctor quęſt. 2. de Verit. artic. 2. ita ediſſerens: *Subſtantia ſpiritualis per operationem vnitur corpori per modum motoris, & ſic locatur*. Cui addit: *Quod ſubſtantia ſpiritualis hoc modo vnita corpori, impediatur à Deo, & detineatur, & quaſi ligetur eſt ſupra naturam*. Inſuper infert: *Ignis ille corporeus agens vt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ facit aliquid ſupra virtutem naturæ, ſcilicet detinere, & ligare, ſed ipſa vnio per modum prædictam eſt naturalis*; ergo ratio formalis talis locationis in loco violento, qualis eſt prædictus, non eſt talis alligatio, quæ non eſt naturalis, ſed ſupra naturam: ſed operatio aſsignata, per quam vnio Angelorum cum corpore, & loco, eſt naturalis. Propterea in 2. diſt. 26. quæſt. 1. art. 2. loquens de dœmonibus exiſtentibus in inferno, vt in loco violento, ait: *Non eſſe in loco quaſi ex loco corporali aliquid accipientes, ſed quaſi circa locum aliquid operantes*.

8 Et in 4. diſt. 48. quæſt. 2. art. 3. aſſerit: *Quamvis res corporea ex ſua natura habeat, quod ſpiritum incorporeum loco definiat, non tamen habet ex natura ſua, quod ſpiritum incorporeum loco detineat, nam hoc ſecundum ſuperadditur igni in quantum eſt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ*; ſed ratio formalis exiſtentiæ in loco non eſt, qua Angelus detinetur, ſed qua definitur in loco: ergo ratio formalis, qua eſt in loco violento, non eſt alligatio, nec detentio in illo, ſed prædicta operatio in eo, vnde provenit illius definitio; quæ eſt naturalis, & non detentio aſsignata; vt Divus Thomas innuit.

9 Nec dicas: Senſum eſſe: quod corpus ex natura ſua habet eſſe locum naturalem Angeli; & ex virtute divina eſſe violentum. Nam Ang. Doctor non diſtinguit inter locum naturalem, & violentum, ſed inter definire, ſive locare Angelum, & detinere illum. Et ait: Corpus ex natura ſua habere primum, & nõ ſecundum: ergo cum primum ſit ante detentionem, & alligationem, erit per operationem virtualiter tranſeuntem. Præterea: S. Doctor oſtendit: ignem virtute divinæ iuſtitię detinere Angelum, iam definitum in loco: ergo eius definitio, & locatio eſt per aliquid præcedens detentionem: ſicque per operationem prædictam.

10 Prob. 1. concluſ. ratione: Angeli ſunt in loco violento ratione ſuæ potentiæ activæ: ergo per operationem illius. Ant. fundatur in allegatis pro concluſione antecedente: quia eſt per contactum virtutis, vt continens locum, & non vt contentus à loco. Prob. quoque: Angeli non ſunt in

loco violento ratione ſuæ potentiæ paſsivæ: ergo. Probat.antec. Angeli ſunt in loco violento, vt contingentes locum; ſed ratione ſuæ potentiæ paſsivę non contingunt locum: ergo. Prob.minor. Ratione ſuæ potentiæ paſsivæ ſolum continguntur à loco: ergo. Ant.patet: Quare Ang. Doctor in 1.diſt 37.quæſt 3. art.1. in hoc ſenſu ait: *Dicitur contriſtans tangere.*

11 Dices: Quod Angelus ex eo,quod contingitur à loco,etiam contingit locum. Sicut corpus contactum à loco, etiam contingit locum. Cont. Ariſt lib.1. de ortu, & interitu ait: *Ille, qui nos offendit, tangit nos, & non dicimur tangere illum*; ſed Angelus ratione ſuæ potentiæ paſsivæ contingeretur à loco violento, vel ab igne inferni,vt offendente ipſum:ergo non tangeret illum. Unde verificaretur dictum Divi Thomæ:*Dicitur contriſtans tangere.* Et ex conſequenti: Contriſtatum dicetur tactum, & non contingens. Corpus autem,& eius locus mutuò ſe contingunt: quia vtrumque habet quantitatem, ratione cuius contingatur.Cum ergo Angelus, ratione potentiæ paſsivæ contactus à loco, non habeat aliud,ratione cuius contingat locum,niſi operationem in illo: ideò ratione huius contingit locum, & eſt in loco violento.

12 Reſpondebis: Quod vt Angelus ſit in loco violento, non requiritur, quod tangat locum; ſed ſufficit, quod ipſe tangatur à loco. Cont. Ut Angelus ſit in loco, etiam violento, debet eſſe vt continens locum:cum non poſſit eſſe vt contentus à loco; ſed Angelus continet locum ratione ſuæ virtutis, & operationis, qua efficit aliquid in loco, & contingit locum; non verò ratione alicuius ipſius loci, Angelum tangentis, ſive detinentis: ergo. Mai.patet ex Divo Thoma: qui vbique diſtinguit locum Angeli à loco corporis, in eo: quod corpus eſt vt contentum in loco, & Angelus vt continens locum. Nec poteſt aliud diſcurri in loco violento: in quo non eſt aliquid continens, ſed detinens Angelum. Min.eſt certa: Nam talis continentia eſt effectiva: Siquidem vt cauſa efficiens, & operans continet locum.

13 Prob. 2. concluſ. ratione: Angeli per eamdem rationem formalem ſunt in loco naturali, & violento; ſed in loco naturali ſunt per operationem virtualiter tranſeuntem: ergo. Prob.maior. Corpus per eamdem rationem formalem eſt in loco naturali, & violento: ergo. Ant.eſt certum: Cum in vtroque ſit per quantitatem. Prob.conſeq. Ideò corpus per eamdem rationem formalem.

nempe quantitatem, eſt in loco naturali, & violento, quia ratione illius eſt vt contentum in vtroque; ſed Angelus debet eſſe in vtroque loco vt continens, quod ſolum habet per eamdem rationem formalem, & operationem virtualiter tranſeuntem: ergo.

14 Roboratur: Prius eſt, Angelum eſſe in loco, quam alligari, & detineri in loco: ergo etiam in loco violento eſt per operationem prædictam, pro priori ad alligationem, & detentionem in eo. Prob. antec. Prius eſt corpus eſſe in loco, quam alligari, & detineri in loco: ergo. Ant. patet: Et propterea etiam in loco violento eſt per quantitatem; in quo poſtea detinetur aliquo vinculo. Corroboratur: Alligatio, & detentio non eſt, vt aliquid ſit in loco, ſed vt permaneat in loco, & non mutet illum: vt patet in corpore: ergo non eſt ratio formalis, vt Angelus ſit in loco, ſed impedimentum, vt locum mutet, & ſecuritas, vt in loco violento permaneat.

15 Prob. 3. concluſ. Si Angeli ratione paſsionis, aut alligationis eſſent in loco violento, idem Angelus poſſet eſſe ſimul in duplici loco adæquato; ſed non poteſt: ergo. Prob mai. Cum in aliquo eſt duplex ratio formalis eſſendi in loco, poteſt eſſe ſimul in duplici loco adæquato; ſed in Angelo eſſet duplex ratio formalis eſſendi in loco: ergo. Mai. patet in Corpore Chriſti Domini: quod propterea, eſt ſimul in Cœlo ratione ſuæ quantitatis, & in Euchariſtia ratione conſecrationis. Min. conſtat: Nam in Angelo eſt operatio, quæ eſt ratio formalis in loco connaturali, & paſsio, quę eſt ratio eſſendi in violento.

16 Reſpondebis: Verum eſſe, cum vna non impedit aliam: vt in exemplo adducto. Non tamen, cum impedit; vt evenit in Angelo: nam cum paſsio, & alligatio detineat ipſum in loco violento, impedit, ne tranſeat ad locum naturalem, in quo operetur. Cont. Demus, quod Angelus Cuſtos huius Civitatis habeat pro ſpatio totam Civitatem, & quod dum producit lumen in hoc Conventu, in reliquo Civitatis impeditur, ne lumen producat; ſed tunc eſſet in hoc Conventu per operationem, & in reliquo Civitatis per paſsionem, ſeu alligationem: ergo vna ratio formalis non impediret aliam, & eſſet ſimul in duplici loco adæquato.

17 Dices: Quod non eſſet in duplici loco adæquato, ſed in duplici inadæquato: cum eſſent partes eiuſdem ſpatij, & loci adęquati Civitatis. Cont. Locus correſpondēs duplici rationi formali diverſæ, eſt diverſus, & adę-

quatus; ſed ſpatium huius Conventus correſponderet operationi Angeli, & aliud ſpatium Civitatis paſsioni, & alligationi illius, quæ eſſet diverſa ratio formalis: ergo. Mai. patet in exemplo Corporis Chriſti. Et experientia videtur nota: Nam ſpatium, quod eſt vnicus locus adæquatus corporis magnæ quantitatis, & inadæquatus cuiuslibet partis corporis; fit diverſus locus adæquatus reſpectu diverſorum corporum minoris quantitatis: quia quodlibet Corpus habet diverſam rationem formalem eſſendi in loco, ſcilicet, diverſam quantitatem, cui correſpondet.

18 Arg. 1. cont. 1. præmiſ. Angeli non ſunt in loco: ergo non debet præmitti, eſſe in loco. Prob. ant. ex Boecio relato à Divo Thoma art. 1. arg. 1. aſſerente: *Communis animi conceptio apud Sapientes eſt, incorporalia in loco non eſſe.* Et Ariſt. ibi citatus, dicit: *Solum mobile corpus in loco eſſe.* Et D. Aug. lib 8. Confeſ. quæſt. 20. probat: Deum non eſſe alicubi, quia non eſt corpus; ſed Angeli ſunt incorporei, & non ſunt corpus: ergo. Reſp. admitto, & explico has, & ſimiles authoritates; quarum ſenſus eſt: Incorporalia, & Angelos non eſſe circunſcriptivè in loco, nec per commenſurationem cum loco, ita vt pars ſit in parte loci, & totus Angelus in toto loco: quomodo ſolum corpus, ratione quantitatis, eſt in loco, & vt contentum à loco. Sunt autem definitivè in loco, vt continens, & ſubjiciens ſibi locum, ratione ſuæ virtutis, & operationis in illo Deus autem eſt in omnibus locis per ſuam operationem, & non definitivè in loco determinato. Ita Divus Thomas ad 1.

19 Cont. Angeli nec ſunt definitivè in loco: ergo. Probat. ant. Quod eſt difinitivè in loco, contingit locum; ſed Angeli non contingunt locum: ergo. Probat. min. Contactus eſt inter ea, quorum vltima ſunt ſimul; ſed vltima Angelorum, & loci non ſunt ſimul: ergo. Min. conſtat: Nam cum Angeli careant quantitate, carent vltimo, quod ſit ſimul cum vltimo loci. Reſp. diſt. mai. Contactus virtutis, nego maior. Quantitativus, conc. mai & min. & nego conſ. Contactus quantitativus eſt inter quantitates, ſe tangentes ſecundùm extremitates. Contactus virtutis eſt per applicationem virtutis operativæ ad ſpatium, in quo producit effectum. Ille enim requirit, quod vltima ſint ſimul. Iſte non; ſed quod exiſtens in loco, in eo operetur, ipſum contineat, & ſibi ſubjiciat. Cumque Angeli id habeant: ideò ſunt definitivè in loco.

Cont.

20 Cont. Non ſufficit contactus virtutis, vt Angeli ſint definitivè in loco: ergo. Prob ant. Contactus virtutis eſt per operationem circa corpora exiſtentia in loco; ſed non ſufficit, quod Angeli operentur circa corpora exiſtentia in loco, vt ſint definitivè in loco: ergo. Probat. min. Non ſufficit, quod Angeli operentur circa res exiſtentes in tempore, vt exiſtentia eorum menſuretur tempore: ergo. Antec. eſt certum: Cum menſuretur evo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia continens locum, contingit per operationem illum, eique redditur præſens definitivè, ſine dependentia à loco; imò perficiendo, & nobilitando locum. Cumque Angeli id habeant per operationem: ideò per illam ſunt definitivè in loco. Vt autem aliquid menſuretur tempore, debet eſſe ſucceſsivum, & ab ipſo tempore dependens. Et cum exiſtentia Angelorum non ſit ſucceſsiva, ſed ſimul, quia indiviſibilis: ideò, etſi operetur circa res exiſtentes in tempore, exiſtentia eorum non menſuratur tempore, ſed evo.

21 Si dicas: Corpus Chriſti Domini operatur in ſpeciebus Sacramentalibus, eas ſuſtentando; ſed non eſt in illis, vt in loco: ergo nec Angelus eſt in loco, quia operetur in illo. Reſp. quod non quævis præſentia per operationem eſt localis, ſed quæ eſt in aliquo ſpatio. Non quę in ſubiecto aut in accidente: quomodo eſt operatio Corporis Chriſti in ſpeciebus Sacramentalibus, quæ non ſe habent vt ſpatium reſpectu illius. Angelus autem operatur in ſpatio, cui, vt loco, redditur præſens. Patet in ipſo Angelo: qui licèt operetur in corpore, non eſt in eo, vt in loco, ſed in ſpatio ipſius corporis.

22 Arg. 2. cont. 1. concluſ. Subſtantia immaterialis eſt ratio formalis proxima, qua Angeli ſunt in loco connaturali: ergo non eſt talis operatio. Prob ant. Subſtantia materialis poteſt eſſe ratio formalis proxima, qua ens corporeum ſit in loco: ergo. Prob. ant. Si Deus auferret quantitatem ab aqua exiſtente in vaſe, aqua corporea maneret in loco; ſed ratio formalis proxima, qua eſſet, & maneret in loco, foret ſubſtantia materialis ipſius: ergo. Min. videtur certa: Nam deficeret quantitas, quæ eſſet ratio formalis. Prob. mai. Aqua exiſtens in vaſe, eſt in loco; ſed maneret aqua corporea exiſtens in vaſe: ergo. Prob. min. Maneret in rerum natura; ſed non exiſtens extra vas: ergo.

23 Reſp. diſt. mai. Maneret locata, nego maior. Ut pars vniverſi, conc. mai. & minor. & nego conſ. Quod enim eſt locatum in

re-

rerum natura, eſt in vno, aut in alio loco. Non tamen, quod ſolum vt pars vniverſi eſt in vniverſo vt toto collectivo. Cumque in tali caſu, ſubſtantia materialis, ſive aqua corporea, ſolùm vt pars vniverſi eſſet in rerum natura; & non vt locata, eo quod careret ratione formali locandi, quæ eſt quantitas: ideò eſſet vt pars vniverſi in vniverſo, vt toto collectivo; non verò in vno, nec in alio loco. Nam ſicut ſubiectum ſine albedine, non eſt album, nec diſgregat viſum: quia albedo eſt ratio formalis dealbandi, & diſgregandi; ita ſine quantitate, non eſt locatum: cum quantitas ſit ratio formalis locandi. Nec tunc aqua eſſet intra, nec extra vas: nam hoc importat diſtantiam localem, quæ etiam eſt effectus quantitatis.

24 Cont. Aqua maneret in loco: ergo. Prob antec. Maneret in vaſe: ergo. Prob. ant. Maneret vbi erat; ſed erat in vaſe: ergo. Prob. maior. Deus non abſtuliſſet ſubſtantiam aquæ, ſed quantitatem: ergo. Reſp. diſt. ant. Non abſtuliſſet à rerum natura, conc. ant. A loco, nego ant. & conſ.

25 Cont. Deus non abſtuliſſet à loco ſubſtantiam aquę: ergo. Prob. ant. Dum aliquid aufertur ab vno loco, transfertur in alium locum; ſed Deus non tranſtuliſſet ſubſtantiam aquæ in alium locum: ergo. Reſp. diſt. mai. Aufertur per ſubtractionem rationis formalis, nego mai. Per motum localem, conc. mai. & min. & ſimiliter diſt. conſ. Certum quidem eſt, quod dum aliquid per motum localem ab vno loco ſubtrahitur, in alium transfertur. Dum verò præcisè ſubtrahitur quantitas à ſubſtantia, hæc non transfertur in alium locum, nec manet in primo loco, ſed deſinit eſſe in illo: quia iam non habet quantitatem, nec rationem formalem, qua ſit in illo, aut in alio. Cum igitur in tali caſu ſic eveniret: ideò aqua non maneret in loco, nec in vaſe, nec extra vas, ſed vt pars in vniverſo. Nec eſſet ibi, nec alibi: quia hoc requirit præſentiam localem. Nec obeſt: quod Ariſt. dicit: *Quod nullibi eſt, nihil eſt*. Siquidem nihil eſt locatum: Eſt autem aliquid vt pars vniverſi. Similiter eſt diſcurrendum de ſubſtantia Angeli, ſi careret operatione.

26 Arg. 3. Angelus eſt in loco per aliquid præcedens operationem: ergo eſt per potentiam operativam, aut per aliam vnionem. Prob. ant. Angelus prius eſt in loco, quàm operetur in loco: ergo. Prob. ant. Prius eſt eſſe in loco, quã operari in loco: ergo. Prob. ant. Prius eſt eſſe, quàm operari: ergo. Reſp. Eſſe ſimpliciter, conc. ant. Eſſe ſecundùm quid, nego

ant.& conſ. Eſſe ſubſtantiale eſt eſſe ſimpliciter. Eſſe accidentale, & reſpectivum eſt eſſe ſecundùm quid. Et licèt eſſe ſubſtantiale ſit prius, quàm operari:nam operari ſequitur ad eſſe ſubſtantiale: ſiquidem non eſt agens producens proprium eſſe ſubſtantiale, ſeu primum ſuum eſſe, cum non ſit ante illud. Eſſe accidentale, & reſpectivum nō ſemper eſt prius, quàm operari; ſed aliquando eſt ſimul, imò & eſt ipſum operari. Cumque Angelum eſſe in loco ſit eſſe accidentale, & reſpectivum, conſiſtens in ipſo operari in loco: ideò non eſt prius in loco, quàm operetur in illo, ſed eſt in loco, quia operatur in eo. Ita Angel. Mag. Quodlib. 1. art. 4 ad 1. adducens hoc exemplum: Corpus enim eſt ſimpliciter prius, quàm ſuperficies;& non eſt prius coloratum, quàm ſuperficies: cum ſuperficie coloretur. Similiter poterat argui: Prius eſt eſſe, quàm tangere aliud: ergo prius eſt corpus eſſe in loco, quàm tangere locum. Cum ergo per quantitatem contingat locum, ante quantitatem erit in loco. Cuius ſolutionem prævenit S. Doctor ad 1. dicens: *Similiter prius ſimpliciter eſt corpus, quàm tactus: tamen ipſum eſt in loco per tactum dimenſivæ quantitatis: & ſimiliter Angelus per contactum virtutis.*

27 Cont. Licèt eſſe in loco ſit eſſe ſecundùm quid, prius eſt Angelum eſſe in loco, quàm operari in loco: ergo. Probat. antec. Prius eſt agens applicari, & coniungi paſſo, quàm operari in illo: ergo. Prob. ant. Actio tranſiens egreditur ab agente, vt applicato, & coniuncto paſſo: ergo. Reſp. diſt. ant. Et coniuncto per ipſam, conc. ant. Per aliud, nego ant. & conſ. Actio enim tranſiens procedit ab agente, vt applicato, & coniuncto paſſo, cum operatur immediatè immediatione ſuppoſiti: nam ſic, non operatur in diſtans. Veruntamen, cum agens eſt perfectæ virtutis, non applicatur, nec coniungitur per aliud, niſi per ipſam operationem; etſi aliter eveniat, cum eſt imperfectæ virtutis: vt patet in corpore. Cumque Angelus ſit agens perfectæ virtutis: ideò vt agat in loco, applicatur, & coniungitur immediatè per ipſam operationem cum loco. Antecedenter autem iam præcedit aliud: vt adventus ipſius. Unde Daniel. 10. dicitur: *Michael venit mihi in adiutorium.* Et Mat. 4. *Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.*

28 Arg. 4. Angelus poteſt operari vbi non eſt: ergo Angeli non ſunt per operationem in loco. Prob. antec. Angelus Cuſtos, exiſtens in Cœlo, poteſt operari in homine cuſtodito, exiſtente in terra: ergo. Antec. eſt certum:

Qua-

Quare Ang.Mag. quæſt.113 art. 6.ad 3.ait: *Angelus etſi interdum derelinquat hominem loco; non tamen derelinquit eum quantum ad effectum à cuſtodia*: ergo. Reſp.diſt.antec. Poteſt immediatione virtutis, conc.ant. Suppoſiti, nego antec. & ita diſt.conſ. Licèt enim Angelus non ſit præſens,& tanquam in loco, vbi ſolùm operatur immediatione virtutis: cum per ſuam virtutem poſsit operari in maximè diſtans; debet eſſe vbi operatur immediatione ſuppoſiti: cum ibi per ſuam operationem reddat ſubſtantiam ſuam applicatam,& coniunctam loco. Cumque Angelus Cuſtos, exiſtens in Cœlo, operetur immediatione virtutis in homine cuſtodito,exiſtente in terra; non vero immediatione ſuppoſiti,quomodo operatio eſt ratio formalis, qua exiſtit in loco: ideò tunc non eſt in terra, vt in loco, ſed in Cœlo, vbi operatur immediatione ſuppoſiti.

29 Cont. Angelus non eſt per operationem vbi operatur immediatione virtutis: ergo nec vbi operatur immediatione ſuppoſiti. Prob.conſ. Utraque operatio eſt virtualiter tranſiens;ſed: ergo. Reſp nego conſ. Ratio eſt: Nam Angelus eſt in loco per contactum: vt Ang.Doct.docet. Et cum vbi operatur immediatione ſuppoſiti, per operationem approximetur,& coniungatur loco, & contingat locum; non vbi ſolùm immediatione virtutis:ideò ibi, & non hic eſt per operationem, vt in loco. Sicut Sol, exiſtens per ſuam quantitatem in Orbe, vt in loco, operatur in eo immediatione ſuppoſiti; & exinde operatur immediatione virtutis in terra,& in viſceribus terræ; quin ſit in iſta, tanquam in loco.

30 Cont. Licèt Angelus per talem operationem approximetur, & coniungatur loco, non eſt per illam in loco: ergo.Prob.ant: Angelus non eſt in loco per aliquid extrinſecum ipſi; ſed talis actio eſt extrinſeca Angelo: ergo. Prob.min. Actio tranſiens eſt extrinſeca agenti; ſed talis actio eſt tranſiens: ergo. Maior.patet: Cum recipiatur in paſſo; vt dictum eſt 3.Phyſ.quæſt.1 artic 3. Reſp.diſt.maior. Semper omninò extrinſeca,nego mai. Aliquo modo,conc.mai.& min.& diſt.conſ. Extrinſeca quantum ad effectum, conc.conſ Omninò, nego conſeq. Licèt actio formaliter tranſiens recipiatur in paſſo; vt 3. Phyſic. dicitur. Non tamen virtualiter tranſiens: hæc enim entitativè ſumpta manet in agente; & ſolum quoad effectum eſt in paſſo. Ut patet in actione virtualiter tranſeunte Dei, qua producit creaturas. Quare hæc eſt intrin-

ſeca agenti. Et cum talis operatio Angeli ſit actio virtualiter tranſiens: ideò eſt ipſi intrinſeca, & ea poteſt eſſe in loco. Et licèt foret actio formaliter tranſiens, eſſet ei intrinſeca ſecundùm conceptum *ab*: cum ab eo intrinſecè egrederetur. Quod ſufficeret, vt per eam redderetur intrinſecè præſens paſſo, & loco: cum eſſet ab eo, vt operante in loco immediatione ſuppoſiti. Sicut ſufficeret, vt denominaret eum intrinſecè agentem; vt ibidem dictum eſt.

31 Si dicas: Quod Angelus eſt in Cœlo Empyreo; in quo non operatur: cum in eo nil producat. Reſp. quod in eo producit lumen, & concurrit cum ipſo, vt influat in ſublunaria per lucem, & ſtabilitatem. Inſtabis: Deus produxit Empyreum cum omni perfectione: ergo non eget tali operatione Angeli. Reſp. quod produxit illud cum omni perfectione ſubſtantiali, & cum maxima accidentali. Non cum omni: Sicque ab Angelo habet aliquam; quam Deus ei providit, per Angelum tamen producendam. Si objicias: Quod Angelus poteſt eſſe in vacuo, & moveri per ipſum, ſicut corpus: in quo nil operaretur. Reſp. quod cum nequeat operari in vacuo; nec poteſt eſſe in eo, nec moveri per illud. Corpus autem poteſt; quia ratione ſuæ quantitatis repleret ſpatium, in quo eſſet, & per quod tranſiret. Si verò Angelus foret in tali corpore, iam non eſſet in vacuo, nec moveretur per illud: cum eſſet in loco repleto corpore; in quo iam operaretur, & eſſet per operationem.

32 Arg. 5. Si Angelus eſſet in loco per operationem, virtualiter tranſeuntem ad corpus; moveretur ad motum corporis, in quo eſſet; & quieſceret ad quietem eius; ſed nec ita movetur, nec quieſcit: ergo. Prob. min. Angelus exiſtens in parte Orientis movet totam ſphæram cœleſtem; ſed non movetur ad motum ſphæræ: ergo. Min. patet: Cum Angelus maneat ſemper in ea parte. Reſp. diſt. mai. Movet mutando ſitum, nego mai. Ex eodem ſitu, conc. mai. & min. & ita diſt. conſ. Cum enim Angelus ex eodem ſitu movet corpus, non movetur, nec quieſcit ad motum, & quietem corporis: vt patet in movente rotam. Et cum ex eadem parte, & ex eodem ſitu Orientis moveat cœleſtem ſphæram: ideò non movetur ad motum illius.

33 Cont. Si Angelus eſſet in loco per operationem, movens ſphæram, non poſſet manere in eodem ſitu: ergo. Prob. antec. Ita operans, non poteſt manere in eodem ſitu, quin operatum, & paſſum maneat; ſed operatum, &

paſſum non manet in eodem ſitu Orientis: ergo. Prob.min. Prædictus Angelus operatur in omnibus partibus ſphæræ; ſed omnes non manent in eodem ſitu Orientis: ergo. Mai.patet: Cum moveat totam ſphæram,quaſi rotam. Minor.conſtat: Nam ſitui Orientis correſpōdet vnica pars. Reſp.diſt.mai. Operatur immediatione ſuppoſiti, nego maior. Virtutis, conc.mai. & min.& ſimiliter diſt. conſ. Angelus enim ſolum eſt vt in ſitu, & loco, vbi operatur immediatione ſuppoſiti. Cumque ſic ſolum operetur in parte ſphæræ, correſpondente Orienti, & in alijs operetur immediatione virtutis: ideò manet in illo ſitu,& loco, vbi ſemper eſt aliqua pars correſpondens.

34 Cont. Angelus eſt vt in ſitu, & loco, vbi operatur immediatione ſuppoſiti; ſed operatur ita ſucceſsivè in omnibus partibus ſphæræ: ergo ita eſt ſucceſsivè in omnibus: Sicque mutat ſitum. Min.patet: Nam cum motus ſphæræ ſit circularis, ſingulæ partes illius correſpondent ſucceſsivè ſitui Orientis, in quo eſt Angelus. Reſp.diſt.minor. In eadem correſpondētia ſpatij, conc. min. In diverſa, nego minor. & ita diſt.conſeq.Cum enim motus ſphæræ ſit circularis, ſicut motus rotæ; quælibet pars illius correſpondet ſucceſsivè ſitui Orientis: cum ſuo tempore perinde traſeat: Sicque Angelus tunc operatur immediatione ſuppoſiti in illa,& ſucceſsivè in ſingulis, & in omnibus. Veruntamen, cum quælibet adveniat ſub eadem correſpondentia ſpatij, in qua, & non in alia, ſic operatur; in ea non eſt variatio formalis, ſed materialis pro loco, & ſitu Angeli, qui permanet in eodem formali, nempe, in parte, & ſpatio Orientis. Mutat quidem partem materialiter, & entitativè ſumptam; non formaliter, nec in ratione loci acceptam: cum quælibet adveniat ſub eadem correſpondentia, & indiſtantia Sicut propterea arbor fixa in fluvio, non mutat locum, etſi ſuperficies aquæ fluentis varientur; quia talis variatio eſt entitativa, & materialis; non formalis,nec in ratione loci: cum quælibet ſuccedat ſub eadem diſtantia, & correſpondentia. Ita D.Thomas art.2.

35 Arg.6. cont. concluſ. Ex illo Tobiæ 8.v.3. *Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religavit illud in deſerto ſuperiori Ægypti.* Et Ang.Præcept.Quodlib 2.art.13 aſſerit: *Poſſunt ſpiritus alligari divina virtute igne corporeo*: ergo Angeli ſunt in loco violento per alligationem, & paſsionem; & non per operationem. Reſp.admitto cum ſum.veneratione author. & diſt. conſeq.

Tanquam per rationem formalem, nego conſ. Per conditionem, & detentivum, conc. conſ. In his, & ſimilibus locis præciſè continetur: quod ſpiritus, & Angeli alligantur à Deo, & inſtrumentis Dei, in loco violento; in quo propterea patiuntur. Veruntamen, nec inſinuatur, quod per alligationem, vt rationem formalem, ſint in tali loco: ſed oſtenditur, quod per illam in eo detinentur. Ac proinde alligatio, & paſsio erit conditio permanendi ibi; non tamen ratio formalis: cum Angelus per eam non contingat locum, ſed ipſe contingens, & continens per operationem locum, exinde eſt ita ibi alligatus, ne pro ſuo libito talem locum derelinquat, & in alium ſe transferat; in quo ſtat violentia eius. Cumque ſit in loco per rationem formalem exiſtendi in illo; non per id, quo ſic detinetur in eo: ideò non eſt per alligationem, aut paſsionem, ſed per operationem, in loco violento. Sicut lapis per ſuam quantitatem eſt in loco violento ſurſum: etſi in eo per ligamen detineatur.

36 Cont. Angelus eſt in loco violento per alligationem, vt rationem formalem: ergo. Prob. ant. Angelus eſt in loco violento, quia ibi detinetur contra ſuam voluntatem. ſed detinetur ſic per alligationem; ergo. Reſp. diſt. mai. Eſt locatus, nego mai. Detentus, conc. mai. & min. & nego conſ. Angelus vtiquè eſt locatus in loco violento, quia per operationem contingit talem locum. Detentus verò, quia contra ſuam voluntatem impeditur, ne deſerat illũ locum, & acquirat alium. In quo ſtat violentia, & non locatio. Unde alligatio eſt ratio detinendi, & non locandi. Patet exemplo lapidis.

37 Cont. Angelus eſt locatus in loco violento, quia ibi detinetur: ergo. Prob. ant. Angelus poteſt detineri in loco, in quo nil operetur; ſed tunc erit in illo, quia ibi detinetur: ergo. Minor. patet: Siquidem non erit, quia ibi operetur. Reſp. diſt. mai. Detineri vt locatus, nego mai. Ut pars vniverſi, conc. mai. & min. & nego conſ. Iuxta dicta in arg. 2. Cum deficit operatio Angeli, non manet in loco: cum deficiat ratio formalis locandi ipſum. Ipſe autem perſeverat, vt pars vniverſi. Hoc enim eveniret in tali caſu permiſſo. Quod ſufficit, vt ibi puniatur à Deo, & patiatur inſtrumento divinæ iuſtitiæ. Poteſt quoque dici: Quod cum ſit impoſsibile, Angelum eſſe in lòco, quin operetur in illo; etiam eſt impoſsibile detineri, & alligari in loco, in quo non operatur.

38 Nec dicas: Angelos alligatos, & detentos in inferno, ibi

nil

nil operari: quia pœna eorum non eſſet maior, ſi ibi permitterentur operari: & quia ibi non apparet effectus ſuæ operationis. Reſp.namque: Quod ibi operantur coacti. Nec pro ſuo libito poſſunt alibi operari. In quo habent diſplicentiam, & patiuntur. Effectus autem ſuæ operationis eſt ſeparatio lucis ab ardore ignis, & huius ſtabilitas, vt ſemper ſit eos torquens.

39 Arg.7.Si Angelus eſſet in loco violento per operationem virtualiter tranſeuntem, eſſet in illo per operationem liberam; ſed non eſt in illo per operationem liberam: ergo. Mai.patet ex dictis pro 1.concluſione: Cum talis operatio ſit libera. Prob.minor. Ubi Angelus eſt per operationem liberam, eſt liberè, & non violenter; ſed Angelus non eſt liberè, ſed violenter in loco violento: ergo.

40 Reſp. diſt. mai. Ubi eſt neceſsitatus, nego mai. Non neceſsitatus, conc. mai. & min. & ita diſt.conſ. Ubi enim Angelus pro ſuo libito eſt, liberè eſt: cum ibi ſit,quia vult, & poſsit pro ſuo velle operari alibi. Quare tunc non patitur: nam vt ait Angel. Mag. 2.2. quæſt.59. art.3. *Nemo patitur niſi nollens.* Ubi autem eſt neceſsitatus, vt ſit, etſi operetur liberè: quia ex ſuppoſitione,quod ibi ita eſt, operari vult, cum ibi ſit per operationem liberam; ſi locus ſit ei pœnalis, non liberè, ſed violenter eſt. Cum igitur Angelus ſit neceſsitatus eſſe in loco violento,ei nimis pœnali; vt dæmon in inferno: ideò,licèt ex tali ſuppoſitione, ibi operetur liberè, non eſt ibi liberè, ſed violenter. Violentia namque non eſt in operatione voluntatis, cui nequit violentiam inferre; ſed in alligatione, & detentione in tali loco, à quo non poteſt fugere: idcoque locus dicitur violentus: nam licèt locetur in eo per operationem liberam, detinetur in eo per alligationem violentam, potiuſvè involuntariam, & pœnalem: Siquidem, cum ſit à Deo, cui nulla creatura, etiam damnata, poteſt reſiſtere, ſed omnis debet obedire; Angelus tunc coacte, & ex timore obedit,velletque non obedire,ſi poſſet: Sicque in rigore eſt involuntaria, & non violenta:niſi violentia præciſè ſumatur ab igne inferni,aut ab alio inſtrumento creato, à quo ſpiritus detinetur, & patitur. Hæc doctrina conſtat in corpore: quod etiam in loco violẽto eſt per ſuam quantitatem naturalem; & violentia ſtat pręciſè in detentione in loco, ſibi non proportionato.

41 Nec inferas: Quod Angelus poterit liberè relinquere locum violentum,& infernum:cum ſit in eo per operationem liberam.

Nam eſt neceſsitatus, vt ſit, & permaneat in illo: etſi operatio, qua in eo ſit, ei ſit libera. Nec poteſt eam alibi, niſi ibi elicere: Cum in pœnam ſui peccati ſit ibi alligatus, & perpetuò detentus; vt dicitur in Epiſt. Catholica B. Judæ Apoſtoli. Nec inſtes: Quod erit in loco neceſſariò, & non in violento: cum operatio, qua eſt in eo, videatur neceſſaria, & non violenta. Nam violentia non ſtat in operatione, ſed in alligatione, & detentione, ei ſic violenta, aut involuntaria.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### *VTRVM IDEM ANGELVS poſsit eſſe ſimul in duplici loco adæquato.*

1 SVPPONO 1. Quod cum Angelus ſit virtutis finitæ, non poteſt eſſe ſimul vbique; ſicut eſt Deus, quia eſt virtutis infinitæ, & cauſa vniverſalis omnium. Ita Divus Thomas art. 1. Nec virtute naturali, nec de potentia ordinaria poteſt eſſe ſimul in duplici, vel multiplici loco, ſibi adæquato: quia eadem ratione poſſet eſſe in omnibus; nam cum eius virtus ſit finita, & determinata, correſpondet ei locus determinatus. Quod eſt ita certum; vt oppoſitum reputetur error ab Ang. Mag. in 1. diſt. 37. quæſt. 3. art. 1.

2 Suppono 2. Quod locus adæquatus Angeli eſt: qui adæquat eius virtutem operativam. Inadæquatus eſt pars ſpatij, in quo poteſt operari. Seu pars loci adæquati. Virtus autem operativa Angeli poteſt conſiderari in ſe; & vt extenſa, & dilatata à Deo: nam Angelus virtute Dei poteſt operari, vbi non poterat ſola virtute ſua naturali. Vnde alius eſt locus adæquatus, correſpondens virtuti naturali Angeli; & alius correſpondens ipſi, vt à Deo extenſæ, & ampliatæ. In hoc ſenſu procedit difficultas. Negant communiter Thomiſtæ; vt Mag. Joan. à S. Thoma, Lezana, Ferre, Contenſon, Salm. & alij. Affirmant plures Scotiſtæ cum Mag. Hernand. & multi extranei.

3 Concluſio: Idem Angelus, nec de potentia Dei abſoluta, poteſt eſſe ſimul in duplici loco, ſibi adæquato. Videtur conformis menti Divi Thomæ art. 2. Et eſt expreſſa in B. Alb. 1. part. quæſt. 73. art. 2. & 3. Vterque eam fundat in illo S. Joan. Damaſc. *Angeli dum ſunt in Cœlo, non ſunt in terra.* Prob. concluſ. ratione Divi Thomæ: Locus adæquatus, in quo eſt Angelus, ſemper eſt vnus: ergo. Prob. ant. Locus comparatus ad vnicam virtutem eſt vnus; ſed locus adæquatus, in quo eſt Angelus, ſemper comparatur ad vnicam virtutem; ergo. Mai. eſt

Ang.

Ang.Doct.art.2.aſſerentis: *Oportet enim quidquid comparatur ad vnam virtutem, vt vnum aliquid comparari ad ipſam.* Min.eſt eiuſdem dicentis: *Particulare ens comparatur vt aliquid vnum ad Angeli virtutem.* Conſ.& diſcurſus patet ex Ang.Mag.ita concludente: *Vnde cum Angelus ſit in loco per applicationem virtutis ſuæ ad locum, ſequitur quod non ſit vbique, nec in pluribus locis, ſed in vno loco tantum.*

4 Illuſtratur ex Ang. Doctore: Locus adæquatus Angeli non eſt ſitus punctualis, nec indiviſibilis: nec alius, niſi ille, cui voluntariè applicat ſuam virtutem operativam; ſed omni ſpatio, in quo operatur, etiam de potentia Dei abſoluta, etſi magnum ſit, applicat voluntariè ſuam virtutem operativam: ergo conſtituitur vnicus locus adæquatus Angeli. Vnde ſi Angelo, ex ſe potenti operari in hac Civitate, ſuperaddat Deus virtutem, vt operetur in toto Regno, tunc locus eius adæquatus erit Regnum, cui voluntariè applicabit ſuam virtutem operativam. Sicut ſi Deus quantitati alicuius corporis adderet miraculosè quantitatem, etſi tunc occuparet maius ſpatium, hoc foret locus adæquatus illius: quia correſponderet vni quantitati.

5 Roboratur ex eodem: Quod eſt definitivè in vno loco adæquato, nec de potentia Dei abſoluta poteſt eſſe ſimul in alio; ſed Angelus, etiam attenta potentia Dei abſoluta, eſt definitivè in vno loco adæquato: ergo. Mai.patet: Nam eſſe definitivè in vno loco conſiſtit in eſſe ita in vno, quod non ſit in alio. Quare Ang.Mag. ait: *Eſſe in loco diverſimodè convenit corpori, & Angelo, & Deo. Nam corpus eſt in loco circumſcriptivè: quia commenſuratur loco. Angelus autem non circumſcriptivè, cum non commenſuretur loco, ſed diffinitivè: quia ita eſt in vno loco, quod non in alio. Deus autem neque circumſcriptivè, neque diffinitivè, quia eſt vbique.*

6 Reſpondebis: Quod propterea Angelus nequit divinitus eſſe ſimul in duplici loco adęquato reſpectu virtutis ſupernaturalis, & à Deo illi miraculosè præſtitæ, ſed in duplici inadæquato reſpectu illius; qui reſpectu ſuæ virtutis naturalis eſſet duplex adæquatus. Hoc autem manet præocupatum, & nimis reiectum. Addit tamen M. Gonet: Quod dum ratione operationis eſt in vno loco adæquato naturali, poteſt divinitus ratione paſsionis eſſe in alio violento. Quod ita non eſſe, conſtat art.antec. Cum ſit in vtroque ratione operationis.

7 Dubiolum nunc occurrit: An Angelus poſsit ſimul eſſe in

duobus locis inadæquatis, extremis ſui loci adæquati, quin ſit in intermedijs? Negat M. Joan. à S. Thoma cum aliquibus. Affirmant Em. Caiet. Ferrarienſ. Nazar. Bañez, Navarrete, Serra, Lezana, Ferre, Gonet, Contenſon, PP. Salm. & alij. Et patet ex Ang. Doctore: Nam art. 2. arg. 3. ait de Angelo: *Aliquando operatur ſimul in pluribus locis, vt patet in Angelo ſubvertente Sodomam: ergo Angelus poteſt eſſe in pluribus locis ſimul.* Et in reſponſione admittit: Angelum ſimul fuiſſe in illis locis, eaque reputari vt vnum locum adæquatum. Quæ tamen inter ſe diſtabant: cum omnes domus, quas ſubvertit, non eſſent contiguæ. Et in corp. ait: *Non eſt neceſſe, quod determinetur ei vnus locus indiviſibilis ſecundùm ſitum, ſed vel diviſibilis, vel indiviſibilis, vel maior, vel minor, ſecundùm quod voluntariè applicat ſuam virtutem.* Ergo ſi eam applicet locis prædictis extremis ſpatij ſuæ activitatis, in eiſque operetur, & non in ſpatio intermedio, erit in illis, & non in eo: cum Angelus ſit vbi operatur.

8 Prob. ratione: Angelus eſt in loco per ſuam operationem liberam; ſed poteſt liberè operari in locis extremis inadæquatis ſui loci adæquati, quin operetur in intermedijs: ergo & eſſe in illis, quin ſit in intermedijs. Probat. min. Non eſt neceſsitatus, vt ſimul operetur in toto ſpatio ſui loci adæquati: ergo. Ant. patet Cum liberè in toto operetur; & pro ſuo libito poſsit operari in quolibet inadæquato illius, quin operetur in alijs. Confirmatur Angelus poteſt operari in vno extremo ſui loci adæquati, quin operetur in reliquo ſpatio tali loci: ergo & in duobus extremis cum operatio eius ſit libera.

9 Dices: Quod talia extrema non ſe habent, vt inadæquata in ratione loci, reſpectu Angeli: cum ex eis non conſtet locus adæquatus, in quo adæquatè locetur: eo quod inter illa mediat ſpatium, in quo non locatur. Cont. Licèt talia extrema diſtent quantitativè inter ſe, poſſunt habere rationem vnius loci reſpectu Angeli: ergo & eſſe loca inadæquata illius. Prob. ant. Ratio formalis loci Angeli non ſumitur à continuatione materiali, & quantitativa ſpatij, ſed à ratione contenti ab eadem virtute, & operatione Angeli; ſed continerentur ab eadem virtute, & operatione Angeli: ergo. Maior. eſt Divi Thomæ artic. 1. dicentis: *Angelus dicitur eſſe in loco corporeo, non vt contentum, ſed vt continens.* Quomodo? Reſpondet: *Per applicationem igitur virtutis angelicæ ad aliquem locum.* Et addit: *Non oportet dicere, quod Angelus commenſuretur*

*vetur loco, vel quod habeat ſitum in continuo, hoc enim convenit corpori locato.* Et art.2.concludit: *Et ſic totum corpus, cui per ſuam virtutem applicatur, correſpondet ei vt vnus locus.*

10 Arg.1. Dum Angelus eſt in ſuo loco adæquato, poteſt operari in alio: ergo & eſſe ſimul in illo. Prob.ant. Poteſt eſſe in ſuo loco adæquato per ſolam productionem caloris; ſed tunc poteſt etiam producere frigiditatem: ergo operando in alio loco. Mai. eſt certa: Cum ſit liber, vt producat ibi ſolum calorem. Minor. conſtat: Siquidem ei non repugnat, producere ſimul vtrumque. Conſ.patet: Nam caſus ſupponit: quod in ſuo loco adæquato producit ſolum calorem. Reſp. diſt. minor. Poteſt pro alio inſtanti, conc.min. Pro illo, nego min. & conſ. In Angelo enim eadem eſt virtus productiva caloris, & frigiditatis. Quare dum in ſuo loco adæquato producit ſolum calorem, habet virtutem producendi frigiditatem. Hanc tamen non producit pro eodem inſtanti, ſed poterit producere illam in inſtanti ſequenti: nam cum eius virtus ſit finita, & limitata, dum eſt in ſuo loco adæquato, in eo determinatur, & diffinitur: itaque pro tunc nequit eſſe ſimul in alio, nec in eo operari, nec frigiditatem producere.

11 Cont. Angelus poteſt producere ſimul calorem, & frigiditatem; ſed in ſuo loco adæquato produceret ſolum calorem: ergo in alio producet in eodem inſtanti, & ſimul frigiditatem. Maior. patet: Nam in eo virtus, & operatio productionis vtriuſque eſt eadem. Reſp.diſt.mai. In diverſis locis, nego maior. In eodem, conc.mai.& min. & nego conſeq. Angelus enim ex ſe poteſt vtrumque: Sicque in ſuo loco adæquato poteſt producere calorem in gradu remiſſo, & ſimul frigiditatem; etſi non in gradu intenſo, ob ſui incompatibilitatem. Sic etiam poteſt vtramque qualitatem producere ſimul in extremis ſui loci adæquati. Ex ſuppoſitione tamen, quod in toto ſuo loco adæquato producat ſolum calorem, non poteſt in alio ſimul producere frigiditatem; non ob defectum virtutis productivæ, ſed contentivæ alterius loci.

12 Cont. Deus poteſt facere, quod Angelus producens calorem ſolum in ſuo loco adæquato, producat ſimul frigiditatem in alio: ergo. Prob.ant. Deus poteſt facere, quod ignis productus ab Angelo in ſuo loco adæquato, comburat in alio loco: ergo. Reſp. diſt.ant. Comburat immediatione virtutis, conc.ant. Suppoſiti, nego ant.& ſimiliter diſt.conſeq. Etſi Deus poſsit deferre virtutem

ignis producti in vno loco in alium diſtantem, vbi combureret, & calefaceret; ipſe autem ignis, in primo loco exiſtens, non combureret immediatione ſuppoſiti, ſed virtutis in alio loco: cum non foret præſens localiter in eo. Similiter ergo Angelus in tali caſu ſua virtute, & immediatione virtutis produceret frigiditatem in alio loco; non verò immediatione ſuppoſiti. Et cum hæc immediatio requiratur, vt Angelus exiſtat in loco: ideò non exiſteret in alio loco.

13 Cont. Ubicumque Angelus operatur immediatione virtutis, eſt immediatione ſuppoſiti: ergo ita eſſet ibi, & vt in loco. Prob. ant. Inter illam virtutem, & operationem Angeli, non mediat aliquid, vt ſuppoſitum: ergo. Ant. patet: Cum ſuppoſitum Angeli ſua virtute eliciat talem operationem. Reſp. diſt. ant. Ut ſuppoſitum operans, conc. ant. Deferens virtutem ad locum, nego ant. & conſ. Cum enim talis virtus, & operatio ſit eiuſdem Angeli, inter ipſam, & Angelum non mediat aliud ſuppoſitum, nec principium operans. Mediat tamen inter Angelum, & alium locum, aliud ſuppoſitum, ſive aliquid deferens virtutem Angeli ad illum; nempe Deus, aut inſtrumẽtum Dei; ita vt tunc Deus, non per Angelum, ſed per virtutem Angeli operetur in alio loco: Cumque talis mediatio auferat immediatione ſuppoſiti ab Angelo reſpectu loci prædicti: ideò non eſſet ita in illo.

14 Arg. 2. Idem Corpus Chriſti eſt ſimul Sacramentaliter in pluribus hoſtijs: ergo idem Angelus poteſt eſſe ſimul diffinitivè in duplici loco. Prob. conſ. Sicut præſentia Sacramentalis Corporis Chriſti eſt modo indiviſibili, ita vt Chriſtus ſit totus in tota hoſtia, & totus in qualibet parte hoſtiæ, ita præſentia diffinitiva Angeli; ſed: ergo. Reſpond. nego conſ. Ratio eſt: Quia in Auguſto Altaris Sacramento multiplicantur conſecrationes, quæ ſunt rationes formales præſentiæ Sacramentalis: ſicque multiplicatur talis pręſentia, licèt Corpus Chriſti ſit idem, & non multiplicetur: vt ait Divus Thomas in 1. diſt. 37. quæſt. 3. art. 2. ad 1. Ratio autem præſentiæ diffinitivæ Angeli in loco eſt operatio; quæ non multiplicatur ſic: nam dum operatur in vno loco adæquato, non poteſt ſimul operari in alio: Sicque nec eſſe ſimul in vtroque.

15 Cont. Operatio, quæ eſt ratio formalis præſentiæ diffinitivæ Angeli, poteſt multiplicari: ergo. Prob. antec. Angelus poteſt elicere ſimul plures operationes: ergo. Ant. patet in Angelo Raphaele: qui in corpore aſſumpto,

in itinere Tobiæ, ſimul loquebatur, & ambulabat. Reſp. diſt. ant. In eodem loco, conc. ant. In diverſo adæquato, nego antec. & conſ. Ratio quidem formalis, qua Angelus eſt diffinitivè in loco eſt, qua determinatur, & diffinitur in vno, ita vt non ſit in alio: nam ſi foret in alio, non eſſet diffinitus in primo: quia diffinitio in vno, eſt coarctatio in eo. Cumque hæc ſit operatio, qua immediatione ſuppoſiti operatur in loco: ideò licet in eo poſsit elicere ſimul plures operationes, modo aſsignato; cum nequeat ſimul elicere illas in diverſis locis adæquatis; non multiplicatur ratio formalis, vt ſit in illis.

16 Arg 3. cont. dub. Angelus nequit operari ſimul in duobus locis extremis, ſi non operetur in intermedijs: ergo nec eſſe ſimul in illis, ſi non ſit in eis. Probat. ant. ex Divo Thoma in 1. diſt. 37. quæſt. 3. artic. 2. ad 4. aſſerente: *Virtus Angeli quamvis excedat hoc operatum exceſſu quaſi quantitatis continuæ, eo quod poſsit circa aliquod maius operari, non tamen excedit exceſſu quantitatis diſcretæ, quia non poteſt niſi circa vnum operari, ſivè illud ſit magnum, ſive parvum*; ſed ſi operaretur ſimul in prædictis duobus locis extremis, virtus Angeli excederet exceſſu quantitatis diſcretæ operatum circa quemlibet locum illorum: ergo. Minor. patet: Nam etiam operaretur in alio.

17 Reſp. admitto, & explico auth. cuius ſenſus eſt: quod cum virtus Angeli non operatur, niſi in aliquo inadæquato ſui loci adæquati, excedit exceſſu quantitatis continuæ operatum: cum poſsit operari in reliquo ſpatio. Non tamen poteſt excedere exceſſu quantitatis diſcretæ: cum non poſsit operari circa aliud, quod non efficiat cum eo ſpatium adæquatum, circa quod operatur. Quod eveniret, ſi operaretur in ſpatio extra latitudinem ſui loci adæquati. Non verò cum operaretur circa extrema ſui loci adæquati, etſi inter ſe diſtantia, cum conſtituant eundem locum adæquatum. Et cum hoc eveniat in noſtro caſu: ideò Angelus poteſt operari ſimul in locis extremis inadæquatis, & eſſe in illis, quin operetur in intermedijs, nec ſit in eis.

18 Cont. Talia extrema prędicti ſpatij non efficiunt vnum locum reſpectu Angeli: ergo Probatur ant. Extrema, inter quæ mediat ſpatium, in quo non eſt res, quæ eſt in illis, non habent vnitatem propinquitatis, nec indiſtantiæ reſpectu eiuſdem: ergo. Reſp. diſt. ant. eiuſdem corporis, conc. ant. Angeli, nego ant. & conſ. Vnitas loci circumſcriptivi requirit continuitatem ſpatij; &

quod corpus locatum non ſolum ſit in extremis, ſed etiam in ſpatio intermedio: aliunde à ſe diſtaret, nam menſuratur loco, & extrema loci diſtarent, cum non eſſent propinqua. Hoc autem non requirit locus diffinitivus, cuius vnitas ſtat in eo quod correſpondeat vni virtuti, & operationi Angeli, qui non menſuratur loco, ſed continet locum, & ſibi ſubjicit. Cum igitur talia exrema, inter ſe diſtantia, correſpondeant vni virtuti, & operationi Angeli: ideò habent talem vnitatem, & efficiunt vnum locum Angeli.

19 Mag. Serra confirmat hoc varijs exemplis. Homo enim ſingulis manibus poteſt movere duo lapides diſtantes; quin aliquid moveat, nec operetur in intermedio. Poterit ergo in eis Angelus, qui eſt maioris virtutis, operari, & eſſe, quin operetur, nec ſit in ſpatio intermedio. Et Corpus Chriſti Domini poteſt permanere ſacramentaliter in extremis hoſtiæ conſecratæ, quin permaneat in dimidio hoſtiæ, ſi ſpecies dimidij corrumperentur, & non ſpecies extremorum. Cum igitur Angelus, per ſuam voluntatem, ſit totus in toto ſpatio, & totus in qualibet parte ſpatij, ſicut Corpus Chriſti ex vi conſecrationis eſt ſub ſpeciebus; poteſt pro ſuo libito ſuſpendere operationem in medio ſpatij, & operari, atque eſſe in ſolis extremis. Et locus baculi fixi in fluvio, cuius vna medietas eſt in aqua, & alia extra aquam, eſt idem: quia, etſi ſuperficies circunſtantes aeris, & aquæ diſtinguantur realiter, conveniunt in ratione menſuræ continentis, & menſurantis locatum; quæ ſe habet de formali in loco. Cum ergo prædicta extrema loci conveniant in eo, quod ſe habet de formali in loco Angeli, nempe, in ratione contenti ab eadem virtute Angeli: ideò conſtituunt vnum locum.

20 Cont. Talia extrema non habent vnitatem reſpectu eiuſdem Angeli: ergo. Prob. antec. Non habent vnitatem reſpectu diverſorum Angelorum: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia cum virtus diverſorum ſit diverſa, & virtus eiuſdem ſit vna, non reſpiciunt in illis, ſicut in eodem, vnam virtutem, à qua accipiant vnitatem in ratione loci.

21 Cont. Etſi virtus eiuſdem Angeli ſit vna, non habent vnitatem reſpectu illius: ergo. Prob ant. Etſi vna ſit, loca maximè diſtantia non habent vnitatem reſpectu vnius Angeli: ergo. Antec. patet: Aliàs idem Angelus poſſet eſſe ſimul in locis valdè diſsitis, & in extremis mundi. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Nam ſolum extrema, quæ ſunt intra activitatem virtutis Angeli, poſ-

ſunt

ſunt habere vnitatem in ratione loci reſpectu illius. Cumque extrema noſtri caſus ſint intra latitudinem talis activitatis; ſecùs extrema mundi, aut maximè diſtantia: ideò illa, & non hæc, habent talem vnitatem: quia illa, & non hæc, reſpiciunt vnam virtutem, à qua continentur.

22 Cont. Licèt talia extrema ſint intra activitatem virtutis Angeli, non habent vnitatem loci reſpectu illius: ergo. Probat. ant. Poſſunt conſtituere diverſa loca adæquata reſpectu Angeli: ergo. Prob. ant. Terminus à *quo*, & terminus *ad quem* motûs localis, ſunt diverſa loca adæquata reſpectu mobilis; ſed talia extrema poſſunt eſſe terminus à *quo*, & terminus *ad quem* motus localis Angeli: ergo. Mai. patet: Cum vnus derelinquatur, & alius acquiratur. Min. conſtat: Nam Angelus pro ſuo libito operans, & exiſtens in vno extremo ſui loci adæquati, poteſt reliquere illud, & tranſire ad aliud, in quo denuo operetur, & ſit.

23 Reſp. diſt. mai. Motus localis intra ſpatium adæquatum ſuæ activitatis, nego mai. Extra, conc. mai. & diſt. min. Intra ſpatium adæquatum activitatis Angeli, conc. min. Extra, nego min. & conſ. Cum enim aliquod mobile, derelinquens locum adæquatum, in alium ſe transfert, terminus à *quo*, & *ad quem* talis motus localis debent eſſe diverſa loca adæquata reſpectu mobilis. Quod ſæpè contingit in motu corporis: quia commenſuratur loco, cum pars corporis correſpondeat parti loci. Veruntamen, cum movetur intra ſpatium adæquatum ſuæ activitatis, terminus à *quo* aliquando eſt inadæquatum illius, & terminus *ad quem* aliud inadæquatum. Quod evenit in exiſtente indiviſibili modo, pro ſuo libito, & per operationem liberam in loco, vt continens, cauſans, & ſubjiciens ſibi locum: quod pro ſua voluntate occupat maiorem, vel minorem locum; vt ait Ang. Doctor. Cumque Angelus ſit huiuſmodi: ideò cum pro ſuo libito operatur, & eſt in vno extremo ſui ſpatij adæquati, & non in alio, poteſt relinquere illud, & tranſire in aliud, in quo operetur, & ſit: & talis motus erit localis, quin terminus à *quo*, & *ad quem* ſint loca adæquata, ſed inadæquata. Si verò iam exiſtens in vtroque extremo, ceſſaret operari, & exiſtere in vno, permanens in alio, ibi non eſſet motus localis: nam de novo non tranſiret ad alterum extremum, cum iam eſſet in eo: præcisè enim foret ceſſatio ab operatione circa illud extremum.

24 Cont. Licèt motus localis Angeli ſit intra ſpatium ſuæ

activitatis, ſi inter terminum à *quo*, & terminum *ad quem* mediat ſpatium, non occupatum ab Angelo, ſunt loca adæquata reſpectu illius: ergo. Prob.ant. Tota hæc propoſitio: *Homo eſt animal*, eſt intra ſphæram obiecti, & activitatis intellectus humani; ſed ſi *homo*, & *animal* fiant extrema diviſa, & non mediet vnio eſt vt intellecta, fiunt obiecta adæquata, terminantia diverſos actus intellectus: cum vnita terminarent eumdem: ergo.

25 Reſp. nego conſeq. Ratio eſt: Quia intellectus humanus nequit ſimul, nec vnico actu intelligere plura, vt plura; licèt poſsit intelligere plura, vt vnum. Et cum talia extrema vnita verbo propoſitionis fiant vnum; & non vnita, atque diviſa maneant obiecta diverſa: cum quodlibet ſit prædicatum diverſum, habens diverſam rationem, & formalitatem: ideò vnita attinguntur vnico actu iudicij, & diviſa pluribus apprehenſionibus, quibus correſpondent vt diverſa obiecta adæquata. Angelus autem eſt in loco per ſuam operationem, & applicationem liberam; & pro ſuo libito poteſt applicare ſuam virtutem ſpatij ſub ea contentis: quia in hoc ſe habent vt vnum, cum eidem virtuti correſpondeant. Nec opus eſt, vt ſimul omnibus eam applicet; ſed prout velit, omnibus, vel aliquibus. Unde cùm illam applicat extremis, & non intermedijs, motus localis de extremo ad extremum, eſt inter extrema inadæquata loci: nam medium, non occupatum, non auſert vnitatem illorum in ratione loci. Medium verò deficiens, & non intellectum prædictæ propoſitionis aufert vnitatem talium extremorum in ratione obiecti.

26 Conc. Spatium medium, non occupatum ab Angelo, auferret vnitatem loci à prædictis extremis: ergo. Prob.antec. Pars corporis medians inter caput, & pedes, non animata, auferret ab illis vnitatem corporis animati. Et infimæ regio aeris, non illuminata à Sole, medians inter ſupremam, & terram, auferret ab his vnitatem in ratione ſpatij illuminati: ergo. Ant.eſt certum: Et ideò anima nequit informare extrema capitis, & pedum, quin informet reliquum intermedium corporis. Et Sol nequit illuminare terram, & ſupremam aeris regionem, quin illuminet intermediam.

27 Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia nec anima informat, nec Sol illuminat pro ſuo libito, & libertate: ſed anima informat, & animat corpus, vt forma illius, requirens in eo diſpoſitiones, quarum vna eſt continuitas partium; vt dicitur in Philoſophia.

ſophia. Sol quoque illuminat per virtutem diffuſam; & commenſuratur ſpatio, per quod diffunditur lumen eius: Sicque etiam requirit continuitatem, ſive contiguitatem. Unde ſi hæc in his deficeret, non maneret vnitas relata. Angelus vtique pro ſuo libito, & libertate operatur; & eſt in loco, vt continens efficienter locum, & non requirens continuitatem ſpatij in ſe; ſed quod intra latitudinem ſuæ virtutis, & activitatis ſit contentum; à quo ſumit vnitatem loci, idéq; quòd ſpatium non occupatum, eam non aufert ab extremis prædictis.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *VTRVM PLVRES ANGELI poſſint eſſe ſimul in eodem loco.*

1 PRÆMITTO 1. Quòd locus materialis Angeli eſt ſpatium, in quo operatur, & eſt. Formalis verò conſiſtit in ratione, & formalitate, qua ab Angelo continetur, & contingitur; quæ eſt ratio operati, & effectus: cum ſit in eo per operationem, & contactum virtutis. Certum quidem eſt; quod plures Angeli poſſunt eſſe ſimul in eodem loco materiali: cum poſsint operari, & eſſe ſimul in eodem ſpatio: nam, vt dicitur Tobiæ 8. in eodem loco ita erant Angelus bonus alligans, & Angelus malus alligatus. Et in eodem homine erat legio dœmoniorum; vt refertur Marci 5. & Lucæ 8. Et conſtat ex D. Thoma artic 3. ad 3. dum admittit ſimul eſſe in eodem corpore Animam, & Angelum. Difficultas eſt de loco formali.

2 Præmitto 2. Quod iuxta dicta, & dicenda, eſt idem, ac inquirere: Utrum idem numero effectus poſsit ſimul provenire à duplici causa totali efficiente eiuſdem ordinis: Eo quod Angelus eſt in loco per productionem effectus. In hoc ſenſu eſt abſolutè poſsibile, eſſe ſimul in illo, vt cauſas partiales: cum poſsint Angeli, quia velint, non concurrere tota ſua virtute, ſed permittere, & vnumquemque dare locum cōcurſui alterius: eo quod ita idem numero effectus poteſt procedere à duplici cauſa partiali, ſuam virtutem atemperante. Enim verò hoc non eſt conſentaneum naturæ Angelicæ: nam cum Angelus, vt agens perfectum, ſit, & operetur in loco; non videtur æquum, vt detineat virtutem, & non producat totaliter totum effectum, admittens aliam cauſam partialem pro illius productione: præcipuè in Angelis bonis, qui ſemper operantur ſuæ naturæ conſentaneum. Dubium igitur eſt: An plures Angeli, vt

cauſæ totales, poſsint eſſe ſimul in eodem loco formali? M.Hernandez cum aliquibus tenet: Poſſe etiam naturaliter. Alij communiter aſſerunt: Non poſſe naturaliter. Vnde reducitur lis ad potentiam Dei abſolutam. In cuius deciſsione procedendum eſt vt in 2.Phyſ.quæſt.2.art.2.

3 Concluſio: Plures Angeli, nec de potentia Dei abſoluta, poſſunt eſſe ſimul in eodem loco formali adæquato. Ita Thomiſtæ. Et videtur conformis D.Thomæ art.3. Et B.Alb.art.1. Nam Ang. Doctor in ſed cont.ait: *Duæ animæ non ſunt in eodem corpore. Ergo pari ratione neque duo Angeli in eodem loco*; ſed duæ animæ, nec de potentia Dei abſoluta, poſſunt eſſe ſimul in eodem corpore: ergo nec duo Angeli in eodem loco formali adæquato, de quo eſt difficultas. Prob.conſ. Ideò duæ animæ, nec de potentia Dei abſoluta, poſſunt eſſe ſimul in eodem corpore, quia cum quælibet, vt forma, & vt cauſa formalis totalis, præſtet totum eſſe formale corpori, ipſumquè informet, vivificet, & animet, nil reſtat, quod alia præſtet: cum non, niſi hoc valeat præſtare; ſed etiam quilibet Angelus, vt cauſa totalis, produceret totum effectum in ſpatio, per cuius productionem ipſum contingeret: in quo ſtat ratio formalis loci reſpectu Angeli, & nihil præſtandum, aut producendum relinqueret alteri Angelo: ergo.

4 Prob.concluſ.ratione Divi Thomæ: Ratio formaliſsima loci Angeli eſt ratio producti operati, & contenti ab vno Angelo in ſpatio; ſed eadem numero ratio producti, operati, & contenti ab vno Angelo, vt cauſa totalis in ſpatio, nequit ita eſſe ab alio Angelo: ergo. Maior. edocta eſt ab Ang.Mag.vt vidimus: Nam locus Angeli non eſt continens, ſed contentus per operationem. Prob. min.ex Divo Thoma aſſerente: *Duo Angeli non ſunt ſimul in eodem loco. Et ratio huius eſt: quod impoſſibile eſt, quod duæ cauſæ completæ ſint immediatæ vnius, & eiuſdem rei. Quod patet in omnì genere cauſarum.* Conſ. conſtat ex S. Doctore ſic concludente: *Vnde cum Angelus dicatur eſſe in loco per hoc, quod virtus eius immediatè contingit locum per modum continentis perfecti, vt dictum eſt: non poteſt eſſe niſi vnus Angelus in vno loco.*

5 Illuſtratur: Idem numero effectus, nec de potentia Dei abſoluta, poteſt ſimul eſſe à duplici cauſa totali eiuſdem generis, & ordinis: ergo eadem numero ratio producti, operati, & contenti ab Angelo in ſpatio, in qua ſtat ratio formaliſsima loci Angeli, & quæ eſt effectus vnius Angeli, vt cauſæ totalis efficientis, & per

quam

quam Angelus dicitur eſſe in loco, vt in operato, & contento, nec de potentia Dei abſoluta poteſt ſimul eſſe ab alio Angelo, qui eſt cauſa eiuſdem generis, & ordinis: Sicque per eam non erit ſimul in eodem loco formali adæquato. Ant. videtur expreſſum in Ang. Mag. Et conſtat 2. Phyſic. Conſ. patet.

6 Reſp. Quod licèt operatio vtriuſque Angeli ſit diverſa, & concurſus non ſit totalis, ſed partialis, vterque Angelus erit in eodem loco formali adæquato: cum ab vtroque ſit eadem ratio ſpatij contenta, & eadem ratio operati, & effectus: non ab vtroque concurrente totaliter, ſed partialiter. Cont. ratio formaliſsima loci Angeli non conſiſtit in ſpatio materiali, ſed in producto, operato, & contento ipſius ab Angelo; ſed cum quilibet Angelus concurreret partialiter ad effectum, ratio producti, operati, & contenti in ſpatio non adæquatè, ſed inadæquatè foret ab vnoquoque: ergo vnuſquiſque eſſet in ſuo loco inadæquato, & non vterque in eodem formali adæquato. Requiritur namque, vt vnus ſit in loco formali adæquato alterius, quod talis effectus, & ratio ſit totaliter ab ipſo, vt cauſa totali adæquata, & completa. Cum ergo hoc repugnet: etiam illud implicat.

7 Arg. Angelus, & corpus ſunt ſimul in eodem loco: ergo plures Angeli poſſunt eſſe ſimul in illo. Prob. conſ. Plus differunt Angelus, & corpus, quàm plures Angeli; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Nam vt ait Ang. Doctor art. 3. ad 2. ſolvens hanc difficultatem: Angelus, & corpus non eodem modo ſunt in loco, cum Angelus ſit per operationem, & vt continens; corpus autem per quantitatem, & vt contentum. Angeli verò omnes ſunt eodem modo in loco: cum ſint in eo per operationem, & ratione contactus ſuæ virtutis. Et cum repugnet, quod plures Angeli producant ſimul in eodem ſpatio eundem numero effectum, & eandem numero rationem producti, & operati: ideò nequeunt eſſe ſimul in eodem loco formali adæquato. Sicut, quia corpora ſunt eodem modo in loco, licèt Angelus, & corpus ſint naturaliter ſimul in eodem loco; non tamen plura corpora.

8 Cont. Etſi Angeli eodem modo ſint in loco, de potentia Dei abſoluta ſaltim poſſunt plures eſſe ſimul in eodem loco: ergo. Prob. ant. Etſi corpora eodem modo ſint in loco, de potentia Dei abſoluta poſſunt duo corpora eſſe ſimul in eodem loco, licèt non poſsint naturaliter: ergo. Ant. conſtat 4 phyſ. quæſt. 1. art. 2. Prob. conſ. Maioris virtutis, &

actiuitatis ſunt Angeli, quàm corpora; ſed: ergo.

9 Reſp. nego conſ. diſcrimen eſt: quia cum corpora habeant quantitatem, quæ eſt capax penetrationis, poſſunt de potentia Dei abſoluta penetrari, & ita eſſe vnum intra aliud, vt quantitas vtriuſque correſpondeat ſimul quantitati eiuſdem loci, in quo talia corpora tùc eſſent. Sic enim Corpus Chriſti fuit penetratum, & in eodem loco, cum lapide Sepulchri. Et in admirabili Aſcenſione, Cœlos ipſos penetravit Dominus Jesvs. Angeli verò, cùm ſint inexpertes quantitatis, ſunt incapaces penetrationis. Nec poſſunt ita vniri, vt eidem loco formali adæquato correſpondeant. Quare nec de potentia Dei abſoluta poſſunt eſſe in illo. Nec hoc arguit minorem, ſed maiorem virtutem, & actiuitatem in Angelis: propter quam quilibet producit in ſpatio effectum ita perfectum, vt nil relinquat producendum alteri.

10 Cont. Sicut corpora poſſunt penetrari, ita cauſæ efficientes, quales ſunt Angeli reſpectu ſui loci, poſſunt atemperari in productione effectus; ſed atemperatæ poſſunt producere eumdem numero effectum, & ratione illius correſpondere eidem loco: ergo. Reſp. diſt. mai. Dum concurrunt vt totales, nego mai. Vt partiales, conc. mai. & minor. & ita diſt. conſ. Cauſę etenim atemperantes ſuam virtutem, poſſunt vt cauſę partiales producere eumdem numero effectum: cum non concurrant tota ſua virtute, ſed quælibet virtute partiali producat inadæquatè effectum. Non tamen vt cauſæ totales: nam vt ſic ſuam virtutem non atemperant, ſed tota ſua virtute debebāt concurrere. Vnde ſi Angeli ſua voluntate atemperarent ſuas virtutes, poſſent vt cauſæ partiales ita producere eundem; & tunc eſſent in eodem loco materiali, & in diverſis inadæquatis formalibus; non verò in eodem formali adæquato. Verum quàm difficile hoc ſit, nuper viſum eſt. Cum autem Angeli concurrunt vt cauſę totales, & completæ, non atemperant ſuam virtutem, nec valent producere eundem numero effectum. Et cum Angelus ita ſit in ſuo loco formali adæquato: ideò non relinquit locum, vt alius ſit ita ſimul in eo cum illo. Reliqua vid. loc. cit. 2. Phyſ.

## ARTICULUS QUARTVS.

### *DE MOTV LOCALI ANGElorum.*

1 SUPPONO 1. Quod Angeli poſſunt moveri localiter, per ſe, & per accidens. Prima pars conſtat ex

illo

illo Job 1.v.7. *Circuivi terram, & perambulavi eam.* Et Matth. 28. *Angelus autem Domini deſcendit de Cœlo.* Et eſt expreſſa in Ang. Magiſt. quæſt. 53. art. 1. dicente: *Eiuſdem rationis eſt Angelum beatum moveri, & animam beatam moveri. Sed neceſſe eſt dicere animam beatam localiter moveri: cum ſit articulus fidei, quod Chriſtus ſecundum animam deſcendit ad inferos. Ergo Angelus beatus movetur localiter.* Hic eſt communis omnium conſenſus, & expreſſus in B. Alb. quæſt. 74. artic. 1.

2 Dices: D. Auguſtinum 8. de Gen. ad litter. aſſerere: Creaturam ſpiritualem tantum mutari per tempora, corporalem verò per tempora, & loca; ſed motus localis eſt mutatio per loca: ergo Angeli, qui ſunt creaturæ ſpirituales, non moventur localiter, ne mutentur per loca. Reſp. Senſum S. Doctoris eſſe: quod creatura ſpiritualis, & Angelus in ſe, & ſecundum actionem immanentem non eſt mutabilis per loca: cum non habeat quantitatem molis. Eſt tamen ita mutabilis per operationem virtualiter tranſeuntem; & præcipuè in corpore ſibi vnito.

3 Secunda pars etiam eſt communis; & prob. ratione Divi Thomæ: Motus per propriam rationem formalem ſucceſsivus per varia loca, eſt motus localis per ſe; ſed Angeli per ſuam operationem, vt rationem formalem, moventur ſucceſsivè per varia loca: ergo. Prob. min. ex Ang. Mag. ita affante: *Quia enim Angelus non eſt in loco, niſi ſecundum contactum virtutis: neceſſe eſt, quod motus Angeli in loco nihil aliud ſit, quàm diverſi contactus diverſorum locorum ſucceſsivè, & non ſimul: quia Angelus non poteſt ſimul eſſe in pluribus locis:* ergo.

4 Dices: Quod motus per ſe eſt actus imperfecti, & propter indigentiam, eoque acquiritur vbi; qui nequit eſſe in Angelo perfecto, nullo indigente, & vbi non acquirente. Reſp. Quod motus exiſtentis in potentia, eſt actus imperfecti, & indigentis. Non verò motus exiſtentis in actu, vt Angelus. Huius enim motus eſt per applicationem virtutis ipſius; vt ait D. Thomas artic. 2. Non propter indigentiam [illegible] ſed noſtram; vt aſſerit ad 3. Acquirit autem vbi ſpirituale definitivum, conſiſtens in vnione, vel applicatione paſsiva Angeli ad determinatum corpus, vel ſpatium.

5 Tertia pars ſimiliter admittitur. Et prob. Cum aliquid movetur ad motum alterius, in quo eſt, movetur per accidens; ſed Angelus poteſt moveri localiter ad motum corporis, in quo eſt: ergo tunc movetur localiter per

accidens. Mai conſtat ex Angel. Mag. 3. part. quæſt. 76. art. 6. ad 1. aſſerente: *Ad motum noſtri moventur ea, quæ in nobis ſunt.* Quod affirmat de ſubſtantijs ſpiritualibus. Cum hoc tamen diſcrimine: quod Angelus, non ſolum movetur extrinſecè ad motum corporis, ſed etiam intrinſecè: cum moveatur per ſuam operationem, qua eſt in loco, & acquirit vbi intrinſecum. Sic autem non movetur anima informans corpus; nec Corpus Chriſti in Euchariſtia ad motum ſpecierum. Unde proſequitur S. Doctor: *Aliter tamen ea quæ per ſe poſſunt eſſe in loco, ſicut corpora; & aliter ea, quæ per ſe non poſſunt eſſe in loco: Sicut formæ, & ſpirituales ſubſtantiæ. Ad quem modum poteſt reduci, quod dicimus Chriſtum moveri per accidens ſecundum eſſe quod habet in hoc Sacramento, in quo non eſt ſicut in loco.* Vid. Mag. 1. ....

6 Dices: Quod ſi hoc ita eſſet, poſſet Angelus ſimul moveri, & quieſcere: imò, & moveri motibus contrarijs, vt cum eſſet in duobus lapidibus, quorum vnus moveretur, & alter non: aut ſi vnus moveretur ſurſum, & alius deorſum. Reſp. hoc non eſſe incoveniens in motu per accidens. Etſi non eveniat in eo, qui non eſt definitivè in vno loco ſolo, ſed ita eſt in eo vt in loco inadæquato, quod etiam ſit in alio loco inadæquato: vt Angelus eſſet in duobus lapidibus. Quare anima non movetur, mota manu, ſi non moveatur totum corpus, in quo eſt. Ita Ang Mag. in 1. diſt. 37. q. 4 art. 1. ad 4.

7 Suppono 2. quod Angeli poſſunt moveri motu continuo, & diſcreto, ita Ang. D. art. 1, cui alij communiter adhærent, etſi aliqui extra eius Scholam diſſentiant. Prob. 1. pars: Exiſtens in loco diviſibili, poteſt ex eo exire, acquirendo ſucceſsivè, & non ſimul alium locum: in quo conſiſtit motus continuus; ſed Angelus poteſt exiſtere in loco diviſibili, quem derelinquat ſucceſsivè, & non ſimul, itaque acquirat alium locum: ergo poteſt moveri motu continuo. Præmiſſæ ſunt Divi Thomæ. Ex quibus ita concludit: *Et ſic motus eius erit continuus.* Advertit autem: quod ſucceſsio, & continuitas motus Angeli non ſtat in ſpatio, ſed in contactu ſpatij: nam cum non commenſuretur ſpatio, ſed ſic in eo per contactum, & applicationem ſuæ virtutis, continuitas motus conſiſtit in continuitate ſui contactus.

8 Prob. 2. pars: Motus diſcretus eſt derelictio ſimultanea termini à *quo*, & acquiſitio ſimultanea termini ad *quem*; ſed Angelus poteſt ſimultaneè derelinquere vnum locum, vt terminum à

*quo*, & acquirere ſimultaneè aliũ locum, vt terminum ad *quem*: ergo poteſt moveri motu diſcreto. Diſcurius eſt Ang. M. et ratio vtriuſque eſt: Nam cum Angelus ſit in loco, & moveatur in illo per operationem liberam, poteſt pro ſuo libito operari ſucceſsivè, & continuè in eo; vnum ita dimittendo, & alium acquirendo: Et ſic motus eius erit continuus: Et poteſt vnica operatione ſimul relinquere primum locum, & acquirere alium: etſi ceſsit diſcretus. Quæ doctrina patet in B. Alber. art. 3. Nunc eſt dubium. An Angelus ſuo motu poſsit tranſire de extremo ad extremum, quin tranſeant per medium?

9 Prima concluſio: Angelus poteſt moveri motu diſcreto de extremo ad extremum, quin pertranſeat medium; non tamen motu continuo, ita Ang. Mag. art. 2. Aliqui extranei diſſentiunt, vt Bilbilitanus Hernand. citans Doctorem Subtilem. Prob. concluſio quoad 1. part. ex Divo Thoma aſſerente: *Moveri de extremo in extremum, & non per medium, poteſt convenire Angelo, ſed non corpori: quia corpus menſuratur, & continuatur ſub loco. Vnde oportet, quod ſequatur leges loci in ſuo motu. Sed ſubſtantia Angeli non eſt ſubdita loco vt contenta, ſed eſt ſuperior eo vt continens. Vnde in poteſtate eius eſt applicare ſe loco, prout vult, vel per medium, vel ſine medio*; ergo.

10 Prob. ratione ipſius: Si dum Angelus movetur diſcretè de extremo ad extremum, pertranſiret medium, numeraret infinita loca diviſibilia, & indiviſibilia; ſed nequit ea numerare: ergo. Maior patet, cum medient talia infinita loca: eo quod locus medians eſt diviſibilis in ſemper diviſibilia. Min. conſtat: nam talis numeratio repugnat virtuti finitæ, etſi magnæ; qualis eſt virtus Angeli: & quia motus diſcretus illius conſtat ex contactibus actu diviſis, & non continuè numeratis, vel numerantibus ſpatia. Conſ. eſt optima. Vnde ſic concludit Divus Thomas: *Si ergo mobile quodcumque moveatur in motu non continuo, ſequitur quod vel non tranſeat omnia media, vel quod actu numeret media infinita. Quod eſt impoſsibile.*

11 Confirmatur ex S. Doct. Poſtquam Angelus operatur, & eſt in extremo ſui loci adæquati, deſinens immediatè talem locum, poteſt applicare ſuam virtutem alteri extremo illius, in quo de novo operetur, & ſit; quin eam applicet, operetur, nec ſit in intermedijs: ergo. Prob. ant. Poſtquam operatur, & eſt in tali extremo, liberè applicat ſuam virtutem, operatur, & eſt vbi vult: ergo. Reſp. quod eſt verum abſolutè; non ex ſuppoſitione: nam in prædicta neceſſe eſt, vt eam applicet, operetur, & ſit in intermedijs,

dijs, vt perveniat ad extremum. Cont. Licèt hoc ſit veru n in motu locali corporis; non tamen in motu voluntario, & libero Angeli: ergo Angelus nec in tali ſuppoſitione eſt ita neceſsitatus. Probatur ant. Ideò eſt verum in motu corporis, quia hoc in motu commenſuratur ſpatio, & eſt ei coextenſum; ſed Angelus non commēſuratur illi, nec eſt ei coextenſus: ergo.

12 Roboratur: Dum Angelus operatur, & eſt in toto ſuo loco adæquato, poteſt pro ſuo libito ceſſare ab operatione, & exiſtentia in intermedijs; & operari, ac exiſtere in extremis, vt vidimus art. 2. & tunc poteſt ceſſare in vno, perſeverando in alio. Similiter dimittens locum adæquatum, poteſt in alium ſe transferre, quin operetur, nec ſit in intermedijs: nam dimittens hanc Civitatem, poteſt Romam petere, quin eius iter pertranſeat. Et in loco de novo acquiſito poteſt incipere operari, & eſſe vbi velit: ergo etiam poterit pro ſuo libito, dum eſt in ſolo vno extremo ſui loci adæquati, tranſire ad aliud, quin pertranſeat medium: nam vbique operatur, & eſt pro ſua libera voluntate.

13 Prob. quoad 2. part. ex Ang. Doct. in corp. ita affante: *Si ergo ſit continuus, non poteſt Angelus moveri de vno extremo in alterum, quin tranſeat medium, quia vt dicitur in 6. phyſ. medium eſt in quod prius venit, quod continuè mutatur, quàm in quod mutatur vltimum*: ergo. Prob. quoque ratione: Motus continuus Angeli conſiſtit in contactu continuo, & ſucceſsivo loci; ſed ſi tranſiret ad extremum, quin pertranſiret medium, eius contactus non ſuccederet, nec continuaretur per locum: ergo dum movetur per ſe motu continuo, debet medium pertranſire: & melius dum movetur per accidens ad motum corporis, in quo eſt: cum corpus neceſſariò pertranſeat ſpatium intermedium. Supereſt difficultas: An motus Angeli ſit in inſtanti?

14 Secunda concluſio: Motus Angeli, tam continuus, quam diſcretus, eſt in tempore, & non in inſtanti. Sic Ang. Mag. art. 3. Aliqui extra eius Scholā negant. In ſed cont. eam fundat hoc diſcurſu: *In omni mutatione eſt prius, & poſterius; ſed prius, & poſterius motus numeratur ſecundum tempus: ergo omnis motus eſt in tempore, etiam motus Angeli, cum in eo ſit prius, & poſterius.*

15 Prob. 1. concluſ. ratione quoad 1. part. Motus continuus Angeli requirit, ſaltim duas mutationes ſucceſsivas, quarum vna Angelus vltimò ſit in termino à *quo*, deſerens ipſum, & alia ſit primo in termino *ad quem*, acquirens

eum;

eum; ſed quælibet harum mutationum requirit ſaltim duo inſtantia, ſibi ſuccedentia, ex quibus coaleſcit tempus: cum inter inſtans, & inſtans mediet pars temporis: ergo. Unde Ang. Doctor in corp. ait: *Vbi autem ſunt multa nunc ſibi ſuccedentia, ibi de neceſſitate eſt tempus, cum tempus nihil aliud ſit, quàm numeratio prioris, & poſterioris in motu.*

16 Prob. quoad 2. part. Motus diſcretus Angeli requirit etiã duas mutationes, per quarum vnam relinquit ſimul terminum à *quo*, & per aliam acquirit ſimul terminum ad *quem*: ergo ſimiliter requirit pro illis duo inſtantia, & tempus ex illis coaleſcens, in quo fiat.

17 Prob. 2. concluſ. quoad omnes part. ratione Divi Thomę: Ideò motus Angeli fieret in inſtanti, & non in tempore, quia cum Angelus movetur de loco in locum, toto tempore præcedente eſt in termino à *quo*, & in vltimo inſtanti illius temporis eſt in termino ad *quem*; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo. Prob. min. Impoſſibile eſt, quod quieſcens in tempore, aliter ſe habeat in inſtanti terminativo talis temporis; ſed quod movetur in tali inſtanti, aliter ſe habet in illo: ergo. Mai. conſtat ex Ariſt. 6. Phyſ. cap. 3. dicente: *Quieſcere id dicimus, quod eodem modo affectum eſt, parteſque eius & nunc, & prius.* Et ex Divo Thoma ſic aſſtante: *De ratione enim quietis eſt, quod quieſcens non aliter ſe habeat nunc, & prius. Et ideo in quolibet nunc temporis menſurantis quietem, quieſcens eſt in eodem, & in primo, & in medio, & in vltimo.* Min. eſt ipſius, ita proſequentis: *De ratione motus eſt, quod id quod movetur, aliter ſe habeat nunc, & prius.*

18 Reſpondebis: Senſum eſſe: quod quieſcens in aliquo tempore, eodem modo ſe habet in omni inſtanti continuativo temporis, non tamen in terminativo. Cont. Mobile non ſolum aliter ſe habet in omni inſtanti continuativo motus, ſed etiam in inſtanti terminativo temporis menſurantis motum: ergo quieſcens ſe habet etiam eodem modo in inſtanti terminativo temporis menſurantis quietem. Prob. conſ. ex Divo Thoma: Sicut de ratione motus eſt, quod mobile aliter ſe habeat nunc, & prius; ita de ratione quietis, quod quieſcens non aliter ſe habeat nunc, & prius; ſed: ergo.

19 Roboratur hoc: Sicut datur fieri motus in tempore, & mutatum eſſe in inſtanti terminativo illius; ita datur fieri quietis menſuratum tempore, & factum eſſe illius, quod menſuratur in inſtanti terminativo; ſed mobile, etiam in inſtanti terminativo prędicto, aliter ſe habet, ac

antea: ergo quieſcens in illo inſtanti terminativo, etiam eodem modo ſe habet. Et ratio eſt, quia ſicut illud inſtans terminativum pertinet ad tempus menſurans motum, ita hoc ad menſurans quietem.

20 Prob. vltima concl. Motus continuus Angeli petit ſucceſsionem in cōtactu corporum, & ſpatij: Diſcretus autem ſucceſsionem vnius operationis poſt aliam, aut vnius contactus poſt alium; ſed ſucceſsio non eſt in inſtanti, ſed in tempore: cum requirat vnum poſt aliud: prius, & poſterius; & non admittat ſimultatem: ergo vterque motus Angeli fit in tempore, & neuter in inſtanti. Vnde concludit D. Thomas: *Relinquitur quod motus Angeli ſit in tempore. In continuo quidem tempore ſi ſit motus eius continuus: in non continuo autem ſi motus ſit non continuus. Sed iſtud tempus, ſive ſit tempus continuum, ſive non, non eſt idem cum tempore, quod menſurat motum Cœli: Et quo menſurantur omnia corporalia, quæ habent mutabilitatem ex motu Cœli. Motus enim Angeli non dependet ex motu Cœli.* Ex quibus apparet: Quod locus, motus, & tempus Angeli dicitur æquivocè cum noſtro, & per quamdam proportionem cum illo. Et ſimiliter vbi illius. Non verò in toto rigore. Locus enim Angeli conſiſtit in ratione operati, contenti, & contacti ſui ſpatij. Motus in diverſis contactibus ſucceſsivis eius. Et tempus in menſura durationis eorum.

21 Arg. 1. cont. 2 ſup. ex Ang. Mag. in 1. diſt. 37. quæſt. 4. art. 2. aſſerente: *Motus localis Angeli non eſt continuus*: ergo Angelus non poteſt moveri motu continuo. Reſp. admitto, & explico author. In qua loquitur in Sentētia Mag. Sent. & non in propria, quām in præſenti expreſſat art. 1. dicens: *Motus eius erit continuus.* Vel explico S. Doctorem per ſe ipſum ita alloquentem: *Motus Angeli in loco non oportet quod commenſuretur loco, nec quod ſit ſecundum exigentiam eius, vt habeat continuitatem ex loco, ſed eſt motus non continuus. Quia enim Angelus non eſt in loco, niſi ſecundum contactum virtutis:: neceſſe eſt, quod motus Angeli in loco nihil aliud ſit, quam diverſi contactus diverſorum locorum ſucceſſivè, & non ſimul: quia Angelus non poteſt ſimul eſſe in pluribus locis:: Huiuſmodi autem contactus, non eſt neceſſarium, eſſe continuos. Poteſt tamen in huiuſmodi contactibus continuitas quædam inveniri: Sicut corpus ſucceſſivè, & non ſimul dimittit locum, in quo prius erat, & ex hoc cauſatur continuitas in motu locali eius: ita etiam Angelus poteſt dimittere ſucceſſivè locum diviſibilem, in quo prius erat. Et ſic motus eius erit continuus.*

22 Cont. Motus Angeli nequiquam poteſt eſſe continuus: ergo. Prob. ant. Omne, quod movetur continuè, & cuius motus eſt continuus, eſt diviſibile; ſed Angelus non eſt diviſibilis, ſed indiviſibilis: ergo. Prob. mai. omne, quod movetur continuè, & partim in termino à *quo*, & partim in termino ad *quem*; ſed quod ita eſt, eſt diviſibile: ergo. Minor eſt certa: & propterea Ariſt. 6. Phyſ. ait: ***Nullum impartibile movetur.*** Reſp. diſt. mai. ita vt partialitas ſemper ſe habeat ex parte mobilis, nego mai. Ex parte mobilis, vel ſpatij, in quo movetur, cóc. mai. & diſt. min. Cum partialitas ſe habet ex parte mobilis, conc. min. Spatij, nego min. & conſeq. Ita Ang. Præceptor ad 1. eleganter alloquens: *Sic concedi poteſt, quod Angelus dum movetur, partim eſt in termino à* quo, *& partim in termino ad* quem: *vt tamen partialitas non referatur ad ſubſtantiam Angeli, ſed ad locum, quia in principio ſui motus continui Angelus eſt in toto loco diviſibili, à quo incipit moveri. Sed dum eſt in ipſo moveri, eſt in parte primi loci quem deſerit, & in parte ſecundi quem occupat. Et hoc quidem quod poſſit occupare partem duorum locorum, competit Angelo ex hoc, quod poteſt occupare locum diviſibilem per applicationem ſuæ virtutis, ſicut corpus per applicationem magnitudinis. Vnde ſequitur de corpore mobili ſecundum locum, quod ſit diviſibile ſecundum magnitudinem: de Angelo autem, quod virtus eius poſſit applicari alicui diviſibili.*

23 Cont. Ut Angelus moveretur continuè, debebat partialitate ſui ita eſſe in termino à *quo*, & in termino ad *quem*: ergo. Prob. ant. Ut corpus moveatur continuè, debet partialitate ſui ita eſſe in termino à *quo*, & in termino in *quem*: ergo. Reſp. nego conſeq. Rationem aſſignat Ang. Doct. ad corp. dicens: *Corpus enim eſt in loco in quantum continetur ſub loco. Vnde oportet quod etiam motus corporis ſecundum locum commenſuretur loco, & ſit ſecundùm exigentiam eius. Et inde eſt, quod ſecundum continuitatem magnitudinis eſt continuitas motus. Et ſecundum prius, & poſterius in magnitudine eſt prius, & poſterius in motu locali corporis, vt dicitur in 4 Phyſ. Sed Angelus non eſt in loco vt commenſuratus, & contentus, ſed magis vt continens.*

24 Cont. Motus Angeli nec poteſt eſſe continuus tali continuitate: ergo. Prob. ant. Motus Angeli conſiſtit in diverſis operationibus, & contactibus; ſed inter has, & hos non poteſt eſſe continuitas: ergo. Prob minor. Continuitas aliquorum fit media vnione, & vnitate eorum; ſed nec eſt vnio, nec vnitas inter operationes, & contactus Angeli: ergo. Mai. eſt certa: Quare licèt ſint

plura, & ſibi ſuccedant, ſi non adſit vnio, & vnitas, qua copulentur, non faciunt continuum, ſed fit ex eis numerus diſcretus: & propterea inter partes continui mediant puncta, eas vnientia, & copulantia. Min. conſtat: Cum operationes, & contactus Angeli ſint indiviſibiles, ſine vnione, & vnitate exiſtentes: nam ſolùm diviſibile eſt ita vnibile, eo quod vnio attingit aliquid, & non omne illius. Vnde ex eis non fiet numerus continuus, ſed diſcretus.

25 Reſp. diſt. mai. Aliquorum indiviſibilium, nego mai. Diviſibilium, conc. mai. & min. & nego conſ. Continuitas enim corporis, & rei diviſibilis requirit vnionem, & vnitatem partium, quæ puncto, & indiviſibili, vt termino communi, copulantur: & propterea adeſt hoc in continuitate ſpatij; & in corpore, & motu continuo corporis per illud. Continuitas verò rei indiviſibilis, & motus localis Angelorum, qui fit eadem operatione, cum diverſis ſpatij contactibus, vt ait M. Ferre: Vel diverſis operationibus, & contactibus; vt inſinuat Mag. Serra; non requirit talem vnionem, nec vnitatem in ſe: Cum vnio, & terminus communis ſit impoſsibilis inter indiviſibilia. Sufficit namquè illam eſſe in ſpatio, quod Angelus pro ſuo libito paulatim, & ſucceſsivè contingit. Sicut enim motus continuus Angeli non requirit in ſe, ſed in ſpatio diviſionem, & extenſionem; ita nec talem vnionem, & vnitatem. Cumque Angelus ſupponat illam in ſpatio, in quo movetur: ideò motus eius eſt continuus.

26 Cont. Si tales operationes Angeli ſint diverſæ, motus coaleſcens ex illis nequaquam eſt vnus: ergo nec ita continuus. Prob. antec. Vnus motus eſt vna operatio: ergo. Reſp. diſt. antec. Vna formaliter, conc. antec. Materialiter, nego ant. & conſ. Operatio vtique Angeli formaliter ſumpta dicit conceptum operationis. Materialiter accepta importat conceptum particularem talis operationis. Non autem eſt ratio formalis locandi Angelum, nec eſt motus illius ſub conceptu particulari, ſed ſub communi operationis. Et cum ita ſit eadem in motu continuo: ideò hic eſt ita vnus. Angelus enim Domini deſcendens de Cœlo, poteſt producere in Cœlo motum in aere lumen, & in terra calorem: iuxta aliquos, eadem omninò operatione, ob ſui virtutem: iuxta alios diverſa materialiter, & eadem formaliter in ratione locandi, & movendi: cum ſub ratione communi locet, & moveat. Quæ identitas, ſive vnitas ſufficit pro vnitate motus continui. Hoc pate

exem-

exemplo repetito de ſuperficiebus aquæ, arborem in fluvio circunſtantibus: quę materialiter, & in eſſe entis ſunt diverſę: cum fluant, & tranſeant; & formaliter ſunt eædem: cum ſub ratione communi, & ſub eadem diſtantia circunſtent arborem, propterea in eodem loco permanentem.

27 Cont. Si in tali motu Angeli ſit duplex operatio, ſecunda eſt formaliter diverſa, & motus non eſt idem: ergo. Prob. ant. Si dum corpus movetur localiter, Deus in inſtanti *A* auferret ab eo quantitatem, & in inſtanti *B* præberet ei alteram, hæc foret diverſa formaliter in ratione locandi, & movendi; & motus non eſſet idem numero: ergo. Ant patet: Cum corpus vivens, cadens è turri, præceps in medio moritur. Quod in inſtanti mortis, licèt videatur idem, eſt numericè diverſum: cum ſit mortuum, habens formam cadavericam, & quantitatem numero diverſam: cum ſit accidens, receptum in ſubiecto diverſo. Et motus etiam eſt diverſus, & ob varietatem mobilis eſt diſcontinuus; etſi appareat idem, & continuus. Prob. conſeq. Sicut quantitas eſt ratio formalis locandi corpus, ita operatio locandi Angelum; ſed: ergo.

28 Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia ibi variatur principium individuationis numericæ; quod eſt quantitas, ſeu materia ſignata quantitate: Sicquè non manet idem numero compoſitum, ſubiectum, nec mobile: & conſequenter nec motus. Nec ipſa quantitas ſub ratione communi eſt ratio formalis individuandi, ſed ſub ratione particulari: cum ſit vt hęc, quomodo non manet eadem, ſed advenit formaliter diverſa. Cum autem Angelus movetur, ipſe, qui eſt mobilis, nequiquam variatur, ſed omnimode eſt idem. Quare eius operatio eſt materialiter diverſa; non formaliter in ratione locandi: nam hæc eſt ipſa, vt Angelus ea voluntariè, & pro ſuo libito continuat in ſpatio applicationem ſuæ virtutis, ſuamquè præſentiam. Sicut propterea poteſt perſeverare in eodem loco, eliciens in eo operationes diverſas.

29 Arg. 2. Repugnat in Angelo motus diſcretus: ergo illo non movetur. Prob. ant. Motus diſcretus in Angelo foret deſertio termini à *quo*, & acquiſitio termini ad *quem*; ſed Angelus his non movetur: ergo. Prob. minor. Cum Angelus deſerit terminum à *quo*, nondum movetur: & cum acquirit terminum ad *quem*, iam non movetur; ſed nec movetur in ſpatio, & tempore intermedio: ergo. Mai. patet quoad 1. part. Cum in termino à *quo* quieſcat,

vſque ad deſertionem illius. Et etiam quoad 2. part. Nam tunc iam eſt, & quieſcit in termino. Min.conſtat: Aliunde eſſet motus continuus.

30 Reſp.diſt.mai. Nondum movetur initiativè, nego maior. Completè, conc.mai.& minor.& nego conſ. Angelus enim dum eſt in loco,& in termino à *quo*, quieſcit in illo. In vltimo autem inſtanti quietis initiat motum:cum deſerat locum, & terminum prædictum; qui motus completur in inſtanti, in quo acquirit alium locum, & terminum ad *quem*; in quo ſtatim primò quieſcit. Ex illa igitur deſertione, & acquiſitione coaleſcit motus diſcretus: Cum hic ſit numerus duarum vnitatum, & mutationum ſibi ſuccedentium, non tamen termino communi copulatarum; per quarum primam mobile deſerit vnum locum,& per aliam acquirit aliū. Et cum hic numerus, ſeu hæc collectio, adſit in motu Angeli, quo deſerit vnum locum, & terminum à *quo*; & acquirit alium, & terminum ad *quem*: ideò in illo eſt motus diſcretus. Pro quo, & alijs ſcrupulis inſurgentibus, Divus Thomas art. 1. ad 1.ait: *Demonſtratio Ariſtotelis procedit de motu continuo. Si enim motus non eſſet continuus, poſſet dici, quod aliquid movetur dum eſt in termino à quo,& dum eſt in termino ad quem;* *quia ipſa ſucceſsio diverſorum vbi circa eamdem rem motus diceretur. Vnde in quocumque illorum vbi eſſet illis, poſſet dici moveri.* Quod ita debet intelligi: vt in termino à *quo* initietur motus,& in termino ad *quem* compleatur.

31 Cont. Talis numerus, & collectio mutationum nunquam exiſtit in rerum natura: ergo neque numerus diſcretus Angeli. Prob.ant. Cum eſt vna mutatio, non eſt alia: ergo. Reſp.diſt.conſ. Non exiſtit permanenter, conc. conſ.ſucceſsivè,nego conſ. Exiſtētia vtique rei permanentis requirit coexiſtentiam partium eius. Exiſtentia autem rei ſucceſsivæ non, ſed quod vna ſuccedat alteri, & ſit immediate poſt aliam. Cumque tales mutationes ita ſibi ſuccedant: ideò numerus, & collectio earum exiſtit ſucceſsivè, & eſt motus diſcretus. Vnde Ang. Mag. in 1.diſt.37.q 4 art 2.ad 3. aſſerit: *Nec in A. movetur, nec in B.movetur,licet A. & B. ſint partes eius, ſed ſucceſsio horum, quod eſt eſſe in A.& eſſe in B.motus eius vocatur.*

32 Cont. Talis numerus, & collectio non exiſtit ſucceſsivè:ergo. Prob. ant. Vt aliquid vnum exiſtat ſucceſsivè requirit vnionem partium; ſed inter mutationes talis numeri, & collectionis non eſt vnio: ergo.Reſp.diſt.maiorem. Succeſsivè diſcretè, nego

mai.

mai. Continuè, conc mai. & min. & ſimiliter diſt. conſ. Ens enim ſucceſsivum continuum requirit vnionem, cum partes eius ſint copulatæ termino communi. Diſcretum autem ſolùm exigit ordinem prædictum. Et cum talis numerus, & collectio habeat illum: ideò exiſtit ſucceſsivè diſcretè.

33 Arg 3. contra 1. concluſ. Corpus nec motu diſcreto poteſt moveri de extremo ad extremum, quin tranſeat per medium: ergo nec Angelus. Prob conſ. Sicut Angelus motu diſcreto non contingit totum ſpatium, ita nec corpus; ſed: ergo. Reſp. diſt. mai. Nec corpus per ſuperficiem aeris, nego mai. Terræ, conc. mai & min. & nego conſ. ſpatium etenim, per quod movetur corpus, circumſcribitur ſuperficie immediata terræ, & ſuperficie aeris ambientis. Et licèt cum movetur diſcretè, non contingat totum ſpatium per ſuperficiem terræ: vt cum perfectè ſphericum movetur per ſaltum; contingit totum illud per ſuperficiem aeris: cum totum aerem ambientem ſpatium pertingat: Sicque non tranſit de extremo ad extremum, niſi per medium. Angelus verò nequiquam motu diſcreto contingit totum ſpatium, ſed locum deſertum, & acquiſitum. Vnde per medium non tranſit.

34 Cont. Cum corpus movetur diſcretè, contingit totum ſpatium, ſaltim per ſuperficiem aeris: ergo etiam Angelus. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: nam omnis motus localis corporis, etiam diſcretus, eſt continuus. Sicut prædictus, qui eſt diſcretus per vnam ſuperficiem, & continuus per aliam. Motus autem diſcretus Angeli non eſt ſimul continuus. Diſcrimen eſt: quia cum corpus habeat quantitatem, ratione cuius movetur, con menſuratur in motu quantitati ſpatij; quam ita ſaltim contingit, etiam dum ſic diſcretè movetur: cum nequeat illã ſimul pertranſire, ſed ita per eam continuè tranſit. Angelus verò per applicationem ſuæ virtutis, & per ſuam operationem liberam movetur vt continens locum, & non vt commenſuratus loco. Vnde cum vult, ita locum pertranſit, quin totum ſpatium contingat. Sic expreſsè Ang. Mag. art 2. inquiens: *Moveri de extremo in extremum, &c.* vt num 9.

35. Arg. 4. Angelus nequit tranſire de tempore præterito ad futurum, quin tranſeat per tempus præſens; ergo nec tranſire de loco extremo ad extremum, quin tranſeat per ſpatium medium. Prob. conſ. Sicut Angelus habet finitam durationem, ita finitum locum; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: quia Angelus non eſt in tempore per applicationem li-

beram ſuæ durationis, ſed per coëxiſtentiam talis durationis ipſi tempori; quam non habet præterito, & futurò, niſi eam interhabeat præſenti medianti. Verumtamen eſt in loco per applicationem liberam ſuæ virtutis, & per operationem, qua ei reddit præſentem ſuam ſubſtantiam. Et cum poſsit liberè applicare illam locis extremis, quin applicet intermedijs, cum diſcretè movetur: quia in eis, & non in intermedijs operatur: ideò poteſt tranſire de extremo ad extremum, quin tranſeat per medium. Et inſto argumentum: Quia Angelus eſt in tempore per voluntatem Dei, poteſt per eam exiſtere in tempore pręterito, & tranſire ad futurum, quin tranſeat per præſens: Ut ſi Angelus nunc anihiletur, & poſtea iterum producatur: tunc enim foret in tempore præterito præcedente anihilationem, & eſſet in futuro ſubſecuto productionem, quin fuerit in tempore præſenti intermedio ſuæ anihilationis: ergo quia Angelus per propriam voluntatem eſt in loco, poteſt per eam tranſire de loco extremo ad extremum, quin tranſeat per medium.

36 Cont. Licèt per ſuam voluntatem ſit in loco, non poteſt per motum continuum tranſire de extremo ad extremum, quin tranſeat per medium: ergo nec per diſcretum. Prob. conſ. Eadem diſtantia eſt inter ſpatia extrema dum movetur diſcretè, & dum continuè; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia motu diſcreto numerat actu omnia, quę pertranſit. Et cum Angelus non poſsit actu numerare omnes partes ſpatij, eo quod ſunt infinita in potentia: ideò numerat actu extrema quæ contingit; & non tranſit per media, quæ non poteſt ſic numerare, ita D. Thomas art. 2. Cum autem movetur continuè, non numerat actu ſingula ſpatia: nam vt ait ad 1. *Conſummantur per continuitatem motus*: & reddit rationem in corp. dicens: *Quia ſicut loca media ſunt infinita in potentia, ita & in motu continuo eſt accipere infinita quædam in potentia.*

37 Arg. 5. Anima rationalis poteſt continua cogitatione tranſire de extremo ad extremum, quin pertranſeat medium: ergo & Angelus motu continuo, & ſua continua operatione. Prob. conſ. Simplicioris ſubſtantiæ eſt Angelus, quàm Anima rationalis; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: quia Anima rationalis non applicat eſſentiam ſuam rebus, quas cogitat, ſed potiùs res cogitatæ in eſſe obiecti ſunt in ipſa; per quas poteſt continuare cogitationem, quin anima pertranſeat loca intermedia. Poteſt enim cogi-

tare Galliam, & immediatè Siriam, nil cogitans de Italia, inter eas media. Angelus verò applicat eſſentiam ſuam locis, in quibus movetur. Vnde cum continuè movetur per ſpatia, debet pertranſire ſpatia, per quæ movetur. Cum igitur moveatur per ſpatia media; aliàs non foret motus continuus: ideô pertranſit ea, & non tranſit ad extremum, ſine tali tranſitu, ita Ang. Mag. ad 2.

38 Arg. 6. cont. 2. concl. Angelus in motu continuo excedit, ſine proportione, velocitatem motus cuiuslibet corporis velociſſimi; ſed inter quælibet tempora datur proportio: ergo vt habeat talem exceſſum, Angelus movetur continuè in inſtanti, & non in tempore. Reſp. diſt. mai. Intra terminos velocitatis, conc. mai. Extra, nego mai. & diſt. min. Intra terminos ſuos, conc. min. extra, nego min. & conſ. Cum exceſſus motus Angeli in velocitate ſit magnus reſpectu motus corporis, noſtro modo loquendi dicitur ſine proportione. Enim verò eſt intra terminos velocitatis: Cum ſit velocior motu velociori corporis. Non extra tales terminos, ita vt in inſtanti fiat: alias foret inſtantaneus, & non ſucceſsivus, quod ita non eſt, cum ſucceſsivè fiat. Cumque omnis motus, manens intra terminos ſucceſsivi, & velocis, fiat in tempore, cum habeat prius, & poſterius: ideò motus continuus Angeli in tempore fit.

39 Hanc difficultatem ſolvit Ang. Doct. art. 3. ad 1. dicens: *Si tempus motus Angeli non ſit continuum, ſed ſucceſsio quædam ipſorum nunc, non habebit proportionem ad tempus, quod menſurat motum corporalium, quod eſt continuum: cum non ſit eiuſdem rationis. Si verò ſit continuum, & quidem proportionabile, non quidem propter proportionem moventis, & mobilis, ſed propter proportionem magnitudinum, in quibus eſt motus. Et præterea velocitas motus Angeli non eſt ſecundum quantitatem ſuæ virtutis, ſed ſecundum determinationem ſuæ voluntatis.* Ad ſignificandam hanc velocitatem, & celeritatem S. Dionyſius capite vltimo de cœleſti Hier. ait: *Pennatos Sanctorum Angelorum pedes Theologia finxit.* Et Tertulianus in Apologetico adverſus Gent. cap. 22. dicit: *Omnis Spiritus ales eſt.* Quare S. Gregorius Nazianz. orat. 34. de cœleſt. virtutibus aſſerit: *Loca omnia peragrant, omnibus vbique impigrè adſunt, tum ob miniſterij promptitudinem, tum ob naturæ levitatem.*

40 Cont. Sufficit talis exceſſus, vt motus continuus Angeli fiat in inſtanti: ergo. Prob. antec. Motus continuus Angeli eſt ſimplicior, quàm mutatio corporalis; ſed aliqua mutatio corporalis fit

in inſtanti: ergo. Prob.min. Illuminatio fit in inſtanti;ſed eſt mutatio corporalis: ergo. Mai. eſt certa; ſiquidem lux non illuminat ſucceſsivè, ſed ſimul: nec prius ſpatium propinquum,quàm remotum.Reſp.diſt.min.Per modum motus,nego min. Aliter,cōcedo min.& ita diſt.conſ. Illuminatio namque non eſt motus localis, ſed terminus illius: ſiquidem corpus luminoſum movetur localiter,& prius ad propinquum, quàm ad remotum, cuius motus terminus eſt illuminatio ſpatij, quæ in inſtanti fit: cum ſit mutatio inſtantanea, quæ debet fieri in inſtanti. Motus autem continuus Angeli non eſt terminus,ſed motus localis,nec eſt mutatio inſtantanea, ſed ſucceſsiva: quæ non in inſtanti,ſed ſucceſsivè fieri debet. Ita Ang.Doct.ad 2.

41 Si fiat ſermo de illuminatione Solis, hæc non eſt terminus motûs localis: Sicut nec quæ fit in inſtanti generationis ignis; & eſt mutatio inſtantanea conſecuta, & in inſtanti facta. Similiter eſt mutatio inſtantanea, & facta in inſtanti intellectio,etiam Angelica, illuminatio diaphani, generatio formæ ſubſtantialis, & alia ſimilis productio; vt ait Divus Thomas in corp. Et licèt præcedat quies, non eſt rigoroſa, vt oppoſita motui. Nec ex ea fit tranſitus de vno eſſe poſsitivo ad aliud, ſicut in motu: ſed de non eſſe ad eſſe formæ. Angelus autem per motum tranſit de loco poſsitivo ad locum poſsitivum, & de quiete rigoroſa, oppoſita motui; & duplici ſaltim mutatione; vna deſertiva termini *à quo*, & alia acquiſitiva termini ad *quem* Quæ nequeunt fieri inſtanti, ſed vna poſt aliam, ſucceſsivè, & in tempore. Nec valet: quod non eſt reſiſtentia ſpatij,nec impedit diviſibilitas quædam Angeli, vt moveatur in inſtanti. Nam obeſt eſſentia, & natura motus,requirens talem ſucceſsionem mutationum. Nec inde ſequitur: quod operatio Angeli in ſe non ſit ſimplicior: cum in ſe ſit omninò ſpiritualis, & independens à materia. Solum enim infertur: Quod ſpatium, per quod movetur, non ſit ſimplicius: præcipuè, cum Angelus per ipſum moveatur, quia, & dum vult.

42 Cont.Licèt in motu continuo Angeli adſit multiplex mutatio, poteſt fieri in inſtanti: ergo. Prob.ant. Converſio Euchariſtica panis in Corpus Chriſti Domini fit in inſtanti; ſed in ea adeſt duplex mutatio: ergo.Mai. docetur ab Ang. Præcept.3.part. quæſt.75. art.7. Minor. conſtat: Cum adſit derelictio ſubſtantiæ panis, & acquiſitio ſubſtantiæ Chriſti Domini. Reſp.nego conſ. Ratio eſt: quia ſubſtantia panis,

quæ eſt ſubiectum primę mutationis, non perſeverat, ſed in inſtanti deſinit, & virtute divina eſt Corpus Chriſti. Angelus autem poſt deſertionem termini à *quo* perſeverat, & ipſe poſtmodum acquirit terminum ad *quem.* Et hoc non fit in inſtanti, ſed ſucceſſivè.

43 Arg. 7. Non requiritur, quod quieſcens in aliquo tempore, eodem modo ſe habeat, ſicut antea, in omni inſtanti talis temporis: ergo poteſt moveri in inſtanti terminativo illius. Probat. ant. Dum quies ſuccedit motui, in primo inſtanti temporis menſurantis quietem quieſcens non ſe habet eodem modo, ſicut antea: ergo. Ant. eſt certum: Nam antea movebatur, & in tali inſtanti non movetur. Prob. conſ. Vtrobique tale inſtans pertinet ad quietem; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia inſtans primi caſus eſt terminativum quietis, & temporis eam menſurantis, in quo eſt in facto eſſe; ita vt verificetur: quod mobile quieſcit in eo. Quare in eo quieſcens ſe habet, ſicut antea: nam antea quieſcebat, & in tali inſtanti quieſcit. Inſtans verò ſecundi caſus non eſt terminativum quietis, nec menſura illius: nam cum quies non incipiat per primum ſui eſſe, ſed per vltimum ſui non eſſe, tunc non verificatur: nunc eſt quies. Quare quieſcens non ſe habet in eo, ſicut antea.

44 Cont. Angelus movetur in vltimo inſtanti terminativo ſuæ quietis: ergo aliter ſe habet in eo. Prob. ant. Si non moveretur in tali inſtanti, nec tiquam moveretur: ergo. Prob. ant. Non moveretur in alio inſtanti, in quo eſſet in termino ad *quem*; ſed neque moveretur in tempore intermedio: ergo. Prob. min. Si moveretur in tempore intermedio, partim eſſet in vno, & partim in alio; ſed Angelus nequit ita eſſe: ergo. Min. patet: Cum ſit impartibilis. Reſp. diſt. mai. Per diviſionem ſuæ ſubſtantiæ, nego mai. Per applicationem liberam ſuæ virtutis, conc. mai & diſt. minor. Per diviſionem ſuæ ſubſtantiæ, conc. min. Per applicationem liberam ſuæ virtutis, nego min. & conſ. Hanc difficultatem intellectam de motu continuo ſolvit Ang. Mag ad 3 dicens: *Si autem tempus motus Angeli ſit continuum, Angelus in toto tempore præcedenti vltimum nunc variatur per infinita loca, vt prius expoſitum eſt. Eſt tamen partim in vno locorum continuorum, & partim in alio: non quia ſubſtantia illius ſit partibilis, ſed quia virtus ſua applicatur ad partem primi loci, & ad partem ſecundi.*

45 Arg 8. Motus diſcretus Angeli conſiſtit in ſola acquiſitione termini ad *quem*; ſed hæc fit in inſtanti: ergo etiam talis mo-

tus. Min.eſt certa: Cum ſit vnica mutatio. Prob.mai. Non conſiſtit etiam in deſertione termini à *quo*: ergo. Prob.ant. In inſtanti, in quo deſerit terminum à *quo*, nondum movetur: ergo. Antec. patet: Nam in eo adhùc quieſcit in termino à *quo*. Reſp.diſt.ant. Nondum movetur completè, côc. ant. Initiativè, nego ant.& conſ. Solutio conſtat num 30.

46 Cont. Angelus in inſtanti, in quo deſerit terminum à *quo*, nec movetur initiativè: ergo. Prob.ant. Tale inſtans eſt terminativum temporis, in quo quieſcit; ſed in tali inſtanti terminativo non movetur initiativè: ergo. Prob.min. Si Angelus in tali inſtanti terminativo moveretur initiativè, in eo ſe haberet aliter, ac antea; ſed Angelus in inſtanti terminativo temporis, in quo quieſcit, nequit aliter ſe habere, ac antea: ergo Mai.patet: Nam antea non movebatur initiativè, & tunc moveretur. Min.conſtat ex dictis. Reſp. diſt.mai. Aliter completivè, nego mai. Initiativè, conc.mai.& diſt.min. Completivè, conc.min. Initiativè, nego min. & conſ. Solutio ibidem patet. Ratio autem eſt: quia alietas completa mobilis eſt, cum eſt ſub alia forma, vel in termino ad *quem*. Initiativa, cum initiat tranſitum ad illam, vel ad illum. Et cum Angelus in inſtanti prædicto terminativo initiet tranſitum ad terminum ad *quem* motus diſcreti, & incipiat deſerere terminum à *quo*; quem in ipſo inſtanti deſerit, licèt in eo ſit, & vltimo quieſcat: ideò in eo aliter initiativè ſe habet.

47 Cont. Mobile nequaquam poteſt aliter nô ſe habere in tempore, & in inſtanti terminativo illius: ergo Angelus quieſcens, nec initiativè poteſt aliter ſe habere in tali inſtanti terminativo. Prob.conſ. Sicut de ratione motus eſt alietas, ita de ratione quietis non alietas; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia dum mobile movetur, aliter ſe habet; & ſimiliter dum initiat, & tendit in quietem; & potius cum ſuccedit quies, quia eſt ſub forma, vel termino adveniente: Sicque in omni tempore motus, & in inſtanti terminativo illius aliter ſe habet: nam in tempore movetur; & in prædicto inſtanti adquirit terminum ad *quem*, & locum diſtinctum. Quieſcens autem pro aliquo tempore, eodem modo ſe habet: cum in hoc conſiſtat quies. Nihilominus, cum incipit mutari, incipit aliter ſe habere, ſeu initiativè aliter ſe habet. Cumque Angelus in inſtanti terminativo quietis incipiat moveri, initietque motum: ideò tunc aliter initiativè ſe habet.

48 Ad inſtantiam: Quod Ange-

gelus in priori inſtanti eſt in termino à *quo*. In ſequenti eſt in termino ad *quem*: Quando igitur movetur? Reſp. Quod in inſtanti terminativo, in quo vltimo eſt in termino à *quo*, deſerit ipſum. Et in primo inſtanti, in quo eſt in termino ad *quem*, acquirit eum. Et motus eius diſcretus fit, dum deſerit vnum, & acquirit alium: cum conſiſtat in tali deſertione, & acquiſitione. Si inſtes: ergo non fit in tempore: quod non componitur ex ſolis indiviſibilibus. Reſp. Quod eſt verum de tempore continuo. Non de tempore non continuo, in quo fit motus diſcretus Angeli. Quare Ang. Mag. ad 3 ait: *Tempus autem motus Angeli poteſt eſſe non continuum. Et ſic Angelus in vno inſtanti poteſt eſſe in vno loco, & in alio inſtanti in alio loco, nullo tempore intermedio exiſtente.* Et in corp. dicit: *Vbi autem ſunt multa nunc, ibi de neceſſitate eſt tempus, cum tempus nihil aliud ſit, quàm numeratio prioris, & poſterioris in motu.*

## QUÆSTIO III.

### *DE COGNITIONE ANGElorum.*

HÆC Quæſtio comprehendit quinque ſequentes D. Thomæ. In quibus agit de virtute cognoſcitiva, de medio, obiecto, & modo cognitionis Angeli.

## ARTIC. PRIMVS.

### *DE PERTINENTIBVS AD virtutem cognoſcitivam Angeli.*

1. COmmẽtatores D. Thomæ non excitant ſpeciales difficultates ſuper hanc quæſt. 54 Quare eius quinque Articulos reſumemus. In 1. Art. inquirit: Verum intelligere Angeli ſit eius ſubſtantia? Cuius concluſio eſt negativa. Eam probat in ſed cont. ſic: *Plus differt actio à ſubſtantia eius, quàm ipſum eſſe eius; ſed nullius creati ſuum eſſe eſt ſua ſubſtantia: hoc enim ſolius Dei eſt proprium: ergo neque Angeli, neque alterius creaturæ ſua actio eſt ſua ſubſtantia: Cum ergo intelligere ſit actio, non erit ſubſtantia Angeli.* Adverte autem, quod Ang. Mag. pro *eſſe* intelligit exiſtentiam; non eſſentiam.

2 Probat deinde hac ratione, & paritate: Solus actus purus eſt ſua vltima actualitas eſſendi, & agendi; ſed Angelus non eſt actus purus: ergo non eſt ſua vltima actualitas: ſicque exiſtere, & intelligere non eſt eius ſubſtantia. Mai. eſt certa: nam quod non eſt actus purus, habet aliquid admixtum de potentia. Min. eſt nota, cum ſolus Deus ſit actus purus.

3 In 2. art. inquirit: Vtrum intelligere Angeli ſit eius eſſe? Eius cõcluſio eſt negativa. Quam ita ſtatuit in ſed cont. Intelligere Angeli eſt motus eius; ſed eſſe non eſt motus: ergo eſſe Angeli non eſt intelligere. Mai. docetur etiã à S. Dionyſio. Probat quoque eam ratione: Eſſe Angeli eſt determinatum ad vnum ſecundum genus, & ſpeciem; ſed intelligere Angeli non eſt ita determinatum: ergo. Mai. patet: nam eſſe cuiuslibet creaturæ eſt ita determinatum, cum ſit finitum. Prob. minor. Intelligere Angeli quantum eſt de ſe eſt indeterminatum, ſe habens ad omnia, quorum ſpecies poteſt habere: ergo. Ant. eſt certum. Et ideò Ang. Doct. illud appellat ſuo modo infinitum. Conſ. patet: Nam obiectum eſt omne verum, & non aliquod determinatum. Quare concludit, dicens: *Vnde ſolum eſſe divinum eſt ſuum intelligere, & ſuum velle.* Vid. 1. Phyſ. quæſt. 4. art. 3. Vtrum exiſtentia in creatis diſtinguatur realiter ab eſſentia.

4. In 3. art. quærit: Vtrum potentia intellectiva Angeli ſit eius eſſentia? Concluſio eſt negativa, quam fundat in ſed cont. cum S. Dionyſio aſſerente: Quod Angeli dividuntur in ſubſtantiam, virtutem, & operationem: ergo aliud eſt in eis ſubſtantia, & aliud virtus, & aliud operatio. Probat illam hac ratione: Potentia operativa in nulla creatura eſt de eſſentia eius; ſed potentia intellectiva Angeli eſt operativa: ergo Prob. mai. Nulla eſſentia creata eſt potentia operativa: ergo. Prob. ant. Omnis eſſentia creata eſt potentia reſpectu ſuæ exiſtentiæ: ergo. Ant. patet: Nam in omni ente creato eſſentia differt à ſuo eſſe, & comparatur ad ipſum, ſicut potẽtia ad actum. Prob. conſeq. Secundum diverſitatem actuum eſt diverſitas potentiæ; ſed actus potentiæ operativæ eſt operatio, quæ eſt diverſa ab exiſtentia, quæ eſt actus eſſentiæ: ergo.

5 Confirmatur: In Angelo non eſt idem eſſe, & intelligere: ſed eſſentia Angeli eſt potentia ad eſſe: ergo non eſt potentia ad intelligere. Mai. patet art. antec. Min. conſtat, cum diſtinguatur ab exiſtentia, & eam reſpiciat vt proprium actum. Conſ. eſt optima, ſiquidem requiritur diverſa potentia pro diverſo actu, v. eſt intelligere. Roboratur: Potentia ad intelligere, eſt intellectiva ſed eſſentia Angeli non eſt potentia ad intelligere: ergo non eſt potẽtia intellectiva. Vid. 2 Phyſ. quæſ. 2. art. 5. vtrum ſubſtantia creata ſit immediatè operativa.

6 In 4. art. interrogat: Vtrum in Angelo ſit intellectus agens & paſsibilis? Eius concluſio eſt

ne-

negativa. Quam ita ſtatuit in ſed cõt. In nobis eſt intellectus agens, & paſsibilis per comparationem ad phantaſmata; ſed Angelus non intelligit per comparationem ad phantaſmata: ergo. Prob. exinde ratione: In nobis eſt intellectus paſsibilis, quia non ſemper intelligit in actu, ſed eſt in potentia ad intellectionem: agens autem, vt ſeparet res materiales à materia, eaſque reddat intelligibiles in actu; ſed Angelus eſt ſemper intelligens in actu, quæ naturaliter intelligit; & primo, & principaliter intelligit res materiales, quæ ex ſe ſunt intelligibiles in actu: ergo non eſt in eo intellectus agens, nec paſsibilis, niſi æquivocè.

7 In 5. art. inquirit: Vtrum in Angelis ſit ſola intellectiva cognitio? Concluſio eſt affirmativa. Quod fundat in eo, quod S. Gregor. Homil. de Aſcenſ. ait: *Quod homo habet commune intelligere cum Angelis.* Probat deinde ratione: In nobis eſt alia cognitio, ſive operatio ſenſitiva, quia cum anima ſit vnita corpori, habet quaſdam vires, quæ exercentur organis corporeis: vt ſenſatio ſenſu; ſed tales non ſunt in Angelis, cum ſint ſubſtantiæ ſeparatæ: ergo in eis eſt ſola intellectiva cognitio. Vnde concludit Angel. Mag. *Et propter hoc etiam Angeli vocantur intellectus, & mentes.* In eis igitur eſt intellectus, & voluntas; intellectio, & volitio: quæ nec in nobis exercentur organis corporeis.

8 Arg. 1. cont. 1. Angelus eſt ſublimior, & ſimplicior, quam intellectus agens animæ; ſed Ariſ. 3. de Anima docet: quod ſubſtantia intellectus agentis eſt eius actio: ergo ſubſtantia Angeli eſt ſua actio, quæ eſt intelligere. Reſp. cũ An. Doct. ad 1. exponente dictum Ariſ. cuius ſenſus eſt: quod eſt ſua actio, non per eſſentiam, ſed per concomitantiam: nam cum eius ſubſtantia ſit in actu, quantum eſt de ſe ſtatim concomitatur ipſam. Quod non evenit in intellectu paſsibili, cum non ſit in actu. Similiter ergo Angelus ſemper intelligit; non tamẽ per ſubſtantiam, nec eſſentiam ſuam, à qua ipſum intelligere diſtinguitur.

9 Cont. Angelus per eſſentiam ſuam eſt ſuum intelligere: ergo. Prob. ant. Vivens per eſſentiam ſuam eſt ſua vita; ſed intelligere eſt vita Angeli: ergo. Mai. patet: Nam vivere eſt eſſe viventis. Min. conſtat: Quia vita intellectus eſt actio illius. Reſp. diſt. mai. Vita radicalis, conc. maior. Actualis, nego mai. & diſt. minor. Actualis, conc. minor. Radicalis, nego min. & conſ. Licèt enim vivens ſit per eſſentiam ſuam vita radicalis; nam principium radicale

cate vitæ eſt de eſſentia viventis; non tamen eſt vita actualis: Siquidem hæc eſt eius exercitium, & operatio, quæ non eſt de eſſentia viventis creati. Cumque intelligere Angeli ſit vita actualis, & non radicalis: ideò non eſt de eſſentia eius. In hoc ſenſu dicit Divus Thomas ad 2. Quod vita non ſe habet ad vivere, ſicut eſſentia ad eſſe; ſed ſicut curſus ad currere. Et addit: Quamvis quandoque vita pro eſſentia ponatur. Cuius intelligentia eſt: quod vita radicalis ſumitur pro eſſentia. Actualis autem pro exercitio, & motu, ſicut curſus.

10 Cont. Intelligere, vt vita actualis Angeli, eſt idem cum ſua eſſentia: ergo. Prob antec. Cum extrema ſunt idem, medium eſt idem cum extremis; ſed cum Angelus intelligit ſuam eſſentiam, intellectus, & ſua eſſentia ſunt idem, inter quę mediat intellectio vt vita actualis: ergo. Mai. patet: Nam extrema magis diſtant inter ſe, quàm medium diſtet ab extremis. Min. conſtat: Cum intellectus, & res intellecta ſit idem: & eadem ſit eſſentia Angeli intelligentis, & intellecti.

11 Reſp. diſt. mai. Medium rigoroſum, conc. mai. Non rigoroſum, nego mai. & diſt. minor. Mediat latè, conc. min. Rigoroſè, nego min. & conſeq. Medium enim rigoroſum eſt intrinſecum extremis, aut ſaltim alicui extremo. Quare minus differt, & diſtat ab extremis, quàm extrema inter ſe: cum mediet inter illa. Etſi hæc ſint idem, medium erit idem cum eis. Imò tunc nec erunt extrema, nec medium: cum eiuſdem ad ſe ipſum non detur medium, nec idem ſit extremum ſui: hæc enim requirunt diſtinctionē. Medium autem minus proprium & non rigoroſum, eſt quodlibet medians, licèt ſit extrinſecum, & per modum actionis; quæ ſolum eſt medium ex parte modi ſignificandi, præcipuè cum eſt immanens, quæ manet in agente, & non tranſit ad paſſum. Hæc enim eſt tranſiens, recepta realiter, & intrinſecè in paſſo; quæ propterea eſt medium rigoroſius. Cum ergo intelligere Angeli, vt vita actualis, ſit actio purè immanens, & medium per modum actionis, manens in intellectu ipſius Angeli, quaſi effectus illius, & vnionis ipſius cum ſua eſſentia intellecta: ideò non eſt medium rigoroſum: & conſequenter, licèt Angelus intelligens, & intellectus ſit idem; intelligere, actio, & vita actualis, qua ſe intelligit, eſt quid diverſum. Sicut propterea potentia intellectiva, qua ſe cognoſcit, eſt diſtincta. Ita D. Thomas ad 3.

12 Arg. 2. cont. 2. Vivere eſt eſſe viventis; ſed intelligere eſt

vi-

vivere: ergo eſt eſſe Angeli viventis. Præmiſſæ docentur 3. de Anima. Reſp.diſt.maior. Vivere actuale,nego mai.Radicale,conc. mai.& diſt.min. Actuale, conc. min. Radicale,nego min.& conſ. Vivere radicale eſt principium radicale vitæ. Actuale eſt exercitium, & operatio ipſius vitæ. Primum eſt eſſe viventis. Non ſecundum: cum ſit exercitiũ illius, per quod demonſtratur eſſe eius. Cumque intelligere ſolùm hoc modo ſit vivere: ideò non eſt eſſe Angeli. Ita Ang.Præceptor ad 1.

13 Cont. Intelligere actuale, & tale vivere eſt eſſe illius: ergo. Prob.ant. Sicut cauſa ſe habet ad cauſam, ſe habet effectus ad effectum; ſed forma, per quam Angelus eſt, eadem eſt cum forma, qua intelligit, ad minùs ſe ipſum: ergo. Reſp.diſt.min. Eadem, & ſub diverſa ratione, conc.minor. Sub eadem, nego minor.& conſ. Eadem enim ſubſtantia Angeli eſt forma,quæ eſt principium radicale eſſendi, & intelligendi;ſub diverſa tamen ratione: nam ſub conceptu eſſentiæ radicat eſſe, ſive exiſtentiã,vt proprium actum: & ſub conceptu naturæ radicat operationem, & intellectionem. Cumque hoc ſufficiat, vt non ſit idem eſſe, & vivere, ſive intelligere; ſicut non eſt idem eſſe, & operari: ideò non eſt. Ita Angel. Doct.ad 2.

14 Arg.3. cont.3. Potentia intellectiva eſt intellectus, & mens; ſed Angelus eſt intellectus, & mens: ergo Angelus eſt ſua potentia intellectiva. Min.conſtat: Cum ita nominetur à S.Dioniſio. Reſp.diſt.maior. Eſt formaliter, conc.mai. Radicaliter,nego mai. & diſt.min. Eſt radicaliter,conc. min. Formaliter, nego minor. & conſ.Solutio patet ex antecedenti. Et addit Ang.Mag.ad 1. *Angelus dicitur intellectus, & mens, quia tota eius cognitio eſt intellectualis.*

15 Cont.Potentia intellectiva Angeli non eſt formaliter intellectus: ergo eſt radicaliter, ſicut Angelus. Prob.antec. Si eſſet formaliter intellectus, eſſet accidens; ſed potentia intellectiva Angeli non eſt accidens: ergo. Prob.min. Si eſſet accidens, Angelus eſſet ſubiectum alicuius accidentis; ſed Angelus nequit eſſe ſubiectum accidentis: ergo.Mai. eſt certa: Cum foret ſubiectum illius. Prob.min. Forma ſimplex nequit eſſe ſubiectum accidentis; ſed Angelus eſt forma ſimplex: ergo. Mai. docetur à Boec.lib.de Trin. Reſp.diſt.mai. Forma ſimplex, quæ eſt actus purus, conc. mai. Quæ non eſt, nego maior.& diſt.min. Quæ non eſt actus purus, conc.minor. Quæ eſt, nego min & conſ.Licèt forma ſimplex, quæ eſt actus purus,ſit ſuum eſſe,

nec admittat vllam potentialitatem: ſicque non ſit ſubiectum accidentis, vt ait Boecius: cum ſubiectum ſit in potẽtia ad accidens; forma ſimplex, quæ non eſt actus purus, non eſt ſuum eſſe, ſed comparatur ad illud, vt potentia ad actum; & eſt ſubiectum accidentis, præcipuè ſecuti ad formam, & ſpeciem. Cumque Angelus ſit forma ſimplex, quæ non eſt actus purus: nam ſolus Deus eſt purus actus: ideò eſt ſubiectum accidentis, & intellectus formaliter ſumpti, atque potentiæ intellectivæ proximæ. Sic D. Thomas ad 2.

16 Cont. Licèt Angelus non ſit actus purus, ſi eſt forma ſimplex, eſt ſua potentia intellectiva: ergo non eſt ſubiectum illius, vt accidentis. Prob. ant. ex D. Aug. 12. Confeſſ. aſſerente: *Deus fecit angelicam naturam prope ſe, materiam autem primam prope nihil.* Nunc Divus Thomas: Ex quo videtur, quod Angelus ſit ſimplicior, quam materia prima; ſed materia prima eſt ſua potentia: ergo. Reſp. nego conſ. Et reddit Ang. Mag. ad 3. diſparitatem: Quia potentia materię eſt ad ipſum eſſe ſubſtantiale. Potentia autem operativa non, ſed ad eſſe accidentale.

17 Arg. 4. contra 4. Sicut in omni natura eſt aliquid, quo eſt omnia fieri, & aliquid, quo eſt omnia facere, ita in anima; ſed Angelus eſt natura quædam: e go in eo, ſicut in anima, eſt inte lectus paſsibilis, quo omnia fia & intellectus agens quo omn faciat. Mai. eſt Ariſt 3. de anim Reſp. diſt. mai. In omni natura, qua generatur aliquid, conc. ma in qua non, nego mai. & diſ. mi In qua non generatur ſcienti conc. min. in qua generatur, ne min. & conſ. Ariſtoteles enim a firmat prædicta de natura, in q aliquid generatur; vt verba ip demonſtrant: & de anima, in q de novo generatur, & adquirit ſcientia. Cumque in Angelo ha non generetur, nec de novo a quiratur, ſed ſemper adſit nat raliter: ideò non eſt in illo. I Ang. Mag. ad 1.

18 Cont. Licèt in Ange non generetur ſcientia, eſt in intellectus agens, & paſsibilis: e go. Prob. ant. Illuminare eſt pr prium intellectus agentis: recip re autem paſsibilis; ſed Angel illuminat inferiorem, & recip illuminationem à ſuperiori: erg Mai. conſtat 3. de Anima. Reſ diſt. mai. Illuminare alium inte ligentem, nego mai. Ipſum, con mai. & min. & nego conſ. Intell ctus enim agens facit propri obiecta intelligibilia in actu re pectu ſubiecti, in quo eſt: & i tellectus paſsibilis per ea fit inte ligens in actu, & recipit ſpecie eorum, quæ naturaliter intelligi

Sicque talis illuminatio eſt eiuſdem ſubiecti intelligentis,& non alterius. Cumque in Angelo non detur ita illuminare ſe ipſum: nam Angelus ſuperior illuminat inferiorem, cui veritatem manifeſtat; & inferior illuminatur à ſuperiori: ideò non eſt in illis intellectus agens, nec paſsibilis. Sic Ang. Doctor ad 2.

19 Arg. 5. cont. 5. S. Aug. 8. de Civ. Dei dicit: Quod in Angelis eſt vita, quæ intelligit, & ſentit: ergo non eſt ſola intellectiva cognitio. Reſp. cum D. Thoma: Quod M.P. Aug. nõ loquitur in propria ſententia, ſed in opinione eorum, qui aſſeruerunt: Angelos, & dœmones habere corpora ſibi naturaliter vnita. Vel quod particula *ſentit* non ſumitur rigoroſè, ſed per ſimilitudinem, & iuxta vſum loquendi, in quo intellectus dicitur ſentire dum aliquid apprehẽdit, vel de aliquo quaſi experientiam habet, quia cognoſcit ſingularia. In hoc ſenſu S. Iſidorus concedit experientiam, & memoriam in Angelis. Neutra tamen eſt in eis per ſenſum; licèt in mente eorum poſsit eſſe memoria, quam ſtatuit Div. Auguſtin. Similiter S. Dioniſ. attribuit dœmonibus phantaſiam; non quæ pertineat ad imaginativam, ſed quatenus habent falſam exiſtimationem practicam de vero bono.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### *QVÆ COGNOSCAT Angelus per ſuam ſubſtantiam, vt per ſpeciem.*

1 PRÆMITTO: Quod ad cognitionem obiecti requiritur ſpecies impreſſa, vel forma gerens vices illius: nam ab obiecto, & potentia oritur notitia; vt ait M.P.S. Aug. lib. 9. de Trinit. cap. 12. Species enim prædicta reddit obiectum intelligibile in actu: cum ipſum proportionet, & vniat intellectui. Vid. S. Thomas quęſt. 48. & Tract. de Anima. Alenſis, Marſilius, & Henricus dixerunt: Quod vt Angelus cognoſcat ſe ipſum, eget ſpecie impreſſa accidentali diſtincta. P. Vazq. ait: Quod per ſuum intellectum, nec dum vt potentiam, verum & vt ſpeciem, cognoſcit ſuam ſubſtantiam, & intrinſeca accidentia. Imò & reputat probabile: quod cognoſcat quodlibet obiectum extrinſecum. Omnes autem Thomiſtæ, cum D. Thoma, propugnant: Angelum cognoſcere ſe ipſum per ſuam ſubſtantiam, vt per ſpeciem impreſſam. Similiter Scotiſtæ cum Subtili Doct. & P. Herrera, Echeveria, & multi Jeſuitę cum P. Suar.

2 Concluſio: Angelus ſe ip-

ſuum cognoſcit per ſuam ſubſtantiam, vt per ſpeciem impreſſam. Ita D. Thomas quæſt. 54. artic. 2. ad 2. quæſt. 55. art. 1. ad 2. & quæſt. 56. art. 1. ait: *Angelus autem cum ſit immaterialis, eſt quædam forma ſubſiſtens: & per hoc intelligibilis in actu. Vnde ſequitur quod per ſuam formam, quæ eſt ſua ſubſtantia, ſe ipſum intelligat.* Et quæſt. 8. de Verit. artic. 6. ad 2. aſſerit: *Eſſentia Angeli quamvis non poſſit comparari ad intellectum eius, vt actus ad potentiam in eſſendo, comparatur tamen ad ipſam, vt actus ad potentiam in intelligendo.* Et ad 6. ait: *Eſſentia Angeli eſt in intellectu eius, ſicut intelligibile in intelligente.*

3 Prob. concluſ. ratione: Angelus ſe ipſum cognoſcit, tanquam per ſpeciem, per formam, qua eſt intelligibilis in actu, proportionatus, & intimè vnitus proprio intellectui; ſed eſt per ſuam ſubſtantiam; ergo. Mai. patet: Nam ſpecies obiecti ad hoc requiritur. Prob. min. Subſtantia Angeli per ſe eſt actu intelligibilis, proportionata, & intimè vnita proprio intellectui: ergo. Ant. quoad 1. part. conſtat ex Ang. Mag. 2. cont. Gent. cap 98. & quæſt. 8. de verit. art. 6 aſſerente: *Intellectus Angeli, quia habet eſſentiam, quæ eſt actus in genere intelligibilium, ſibi præſentem, poteſt intelligere id quod eſt intelligibile apud ipſum, ſcilicet eſſentiam ſuam, non per aliquam ſimilitudinem, ſed per ſe ipſam.* Et ratio eſt: Nam ſubſtantia Angeli per ſe eſt actu immaterialis; ſed actu immateriale eſt actu intelligibile cum intelligibilitas ſequatur immaterialitatem: ergo eſt actu intelligibilis. Prob. quoad 2. Subſtantia Angeli eſt ita immaterialis, ſicut eius intellectus: & ita intelligibilis in actu, ſicut ipſe intellectivus; qui non intelligit per converſionem ad phantaſmata, ſed percipit obiecta, vt ei per ſpeciem propoſita; quæ ei proportionantur, dum non ſunt ſicut ipſe: ergo cum ſubſtantia Angeli ita ſit, per ſe ipſam eſt illi proportionata. Prob quoad 3. Subſtantia Angeli eſt ſubiectum ſui intellectus, & principium intrinſecum illius: vt dictum eſt artic. antec. ſed hoc requirit intimam vnionem: ergo.

4 Dices: Quod ſubſtantia Angeli vnitur ita intellectui vt potentia, & ſubiectum eius. Non vt forma, nec actus. Nec vt quid inhærens, ſed per ſe ſubſiſtens. Quod requirebatur ad rationem ſpeciei. Reſp. cum Divo Thoma: Hoc eſſe verum in eſſe entis. At in eſſe intelligibili vnitur vt actus, forma, & ſpecies. Et Ang. Mag. quæſt. 56. art. 1. edisserit: *Nihil autem differt ad hoc, quod forma ſit principium actionis, quod ipſa forma ſit aliquando inhærens, & quod ſit*

*ſit per ſe ſubſiſtens. Non enim minus calor calefaceret, ſi eſſet per ſe ſubſiſtens, quam calefacit inhærens. Sic igitur etſi aliquid in genere intelligibilium ſe habeat vt forma intelligibilis ſubſiſtens, intelligit ſe ipſum.*

5 Roboratur: Quia ſubſtantia, & eſſentia Angeli eſt principium, radix, & ſubiectum intellectus, vnitur intimè illi, & eſt præſens in eſſe entitativo: ergo etiam in eſſe intelligibili: nam in eſſentia Angeli vtrumque eſt idem, etſi noſtro modo intelligendi vnum præſupponat aliud: & cum eſt præſentia, & vnio entitativa cum intellectu, eſt etiam intelligibilis, niſi deficiat ei virtus intelligendi; quæ non deficit intellectui Angeli, vt cognoſcat ſubſtantiam ſuam.

6 Corroboratur: Exiſtentia creata eſt actus, & quaſi forma recepta in eſſentia: & tamen eſſentia eſt quaſi forma præbens ſpeciem exiſtentiæ. In moralibus quoque, offenſa recipitur in perſona offenſa; & perſona eſt quaſi forma aggravans offenſam. Quod fit eadem phiſica, & morali vnione: ergo ſimiliter ſubſtantia Angeli, quæ in eſſe entitativo eſt ſubiectum, & quaſi potentia intellectus, in eſſe intelligibili erit forma, & ſpecies impreſſa illius; quin obſit, ſed proſit talis intima vnio. Propterea Deus ſe ipſum per ſuam eſſentiam, vt per ſpeciem, intelligit; vt docet Divus Thomas quæſt. 14. art. 2. ad 3.

7 Ex quibus conſtat: Quod ſubſtantia Angeli eſt ſpecies impreſſa; non ſolum in cognitione intuitiva, ſed etiam in abſtractiva ipſius: cum etiam ſit ita proportionata, & intimè vnita intellectui quoad prædicata eſſentialia præciſivè ab exiſtentia: in quo conſiſtit cognitio abſtractiva. Conſtat etiam: quod per propriam ſubſtantiam, vt ſpeciem impreſſam, cognoſcit accidentia propria ipſius; non verò communia. Prob. quoad 1. part. Angelus cognoſcit accidentia propria, ſive proprietates, in ſua radice, & per ſpeciem impreſſam, qua cognoſcit radicem; ſed ſubſtantia Angeli eſt talis radix: ergo in ea, & per eam, vt ſpeciem, cognoſcit ea, ſicut ipſam. Prob. mai. Angelus per ſuam ſubſtantiam cognoſcit comprehenſivè ſe ipſum; ſed cognitio comprehenſiva ſui requirit cognitionem omnium proprietatum, quarum eius ſubſtantia eſt radix: ergo.

8 Roboratur: Per ſpeciem, per quam Angelus ſuperior comprehendit inferiorem, cognoſcit eſſentiam, & omnes proprietates inferioris: ergo Angelus per ſubſtantiam propriam, per quam, vt ſpeciem impreſſam, ſe comprehēdit; cognoſcit etiam omnes ſuas proprietates. Prob. quoad 2. part.

Angelus per ſuam ſubſtantiam, vt ſpeciem impreſſam, ſolùm cognoſcit ea, quorum eſt cauſa adæquata; ſed non eſt cauſa adæquata accidentium communium: ergo per illam non cognoſcit hæc. Quare nec cognoſcit ita ea, quæ recipit, & non efficit. Nec operationes, quas elicit in ordine ad ad alia obiecta, cum ad illas concurrant ſpecies infuſæ illorum. Nec ipſas ſpecies infuſas: nam cum hæ ſint rationes formales cognoſcendi, ipſæ ſibi ſufficiunt.

9 Infertur etiam: quod Angelus per ſuam ſubſtantiam, vt ſpeciem, cognoſcit abſtractivè Deum, vt Authorem naturæ. Ita D. Thomas quæſt. 56. art 3 dicens: *Quia enim imago Dei eſt in ipſa natura Angeli impreſſa, per ſuam eſſentiam Angelus Deum cognoſcit, in quantum eſt ſimilitudo Dei. Non tamen ipſam eſſentiam Dei videt, quia nulla ſimilitudo creata eſt ſufficiens ad repræſentandam divinam eſſentiam. Vnde magis iſta cognitio tenet ſe cum ſpeculari.* Ex quo formatur hic diſcurſus: Dum cognoſcitur imago, & ſimilitudo imperfecta alicuius, hoc etiam cognoſcitur, ſaltim abſtractivè; ſed Angelus per ſuam ſubſtantiam, vt ſpeciem impreſſam, cognoſcit propriam naturam, quæ eſt imago, & ſimilitudo imperfecta Dei, vt Authoris naturalis: ergo. Verumtamen ſubſtantia Angeli non eſt ſpecies impreſſa rigoroſa: cum hæc ſit vicaria obiecti principalis, ab eo diſtincta, & pro eo ſubſtituens: ſolum enim eſt vices gerens ſpeciei, & in ſenſu lato. Sicut eſſentia divina ita dicitu[r] ſpecies, qua Deus ſe, & omnia cognoſcit.

10 Nihilominus ſubſtanti[a] Angeli non eſt ſpecies expreſſa i[n] propria cognitione, ſed in ha[c] producit verbum, & ſpeciem expreſſam diſtinctam. Ita cum communi Thomiſtarum M. Froyla[n] in diſp. q 3. art. 1. § 2. Lezana, Ca[...] damo opuſc. de ſign. cap. 4. q. [...] & Euſebius Garcia tract. de cognitione Angeli diſp 1. dub. 1. §. [...] Conſtat ex Aug. Mag 4. cont[ra] Gent. cap. 11. aſſerente: *Perfecti[ſſima] igitur eſt intellectualis vita in A[n]geiis, in quibus intellectus ad [ſui] cognitionem non procedit ex aliq[uo] exteriori: ſed per ſe cognoſcit ſe i[pſum]: nondum tamen ad vltimam pe[r]fectionem vita ipſorum pertingit: qu[ia] licet intentio intellecta ſit eis omnino intrinſeca, non tamen ipſa intentio intellecta eſt eorum ſubſtanti[a] quia non eſt idem in eis intellige[re] & eſſe: Ipſa intentio verbum in[te]rius nominatur, quod eſt exteri[ori] verbo ſignificatum.*

11 Ex quo ſic formatur d[iſ]curſus: eſſe intrinſecè intellectu[m] eſt de conceptu eſſentiali verb[i] & ſpeciei expreſſæ; ſed nec Angelus, nec vlla creatura per ſua[m]

eſ-

eſſentiam, & ſubſtantiam habet eſſe intrinſecè intellectam, cum hoc ſit proprium Dei, vt Ang. D. oſtendit: ergo eius ſubſtantia non eſt verbum, nec ſpecies expreſſa. Prob. min. Nec Angelus, nec vlla creatura poteſt identificare vltimam actualitatem in linea intelligibilis paſsivi; ſed eſſe intrinſecè intellectum eſt vltima actualitas in linea intelligibilis paſsivi: ergo. Prob. mai. Nec Angelus, nec vlla creatura poteſt identificare intellectionem, quæ eſt vltima actualitas in linea intellectivi activi: ergo.

12 Reſpondebis: Hoc eſſe verum de verbo producto per intellectionem. Secùs de non producto, vt eſt ſubſtantia Angeli, quæ ſimul eſt ſpecies expreſſa, & impreſſa, quin ita ſit per ſe intrinſecè intellecta. Hoc autem videtur contra S. Doctorem qui docet quod Angelus, etiam in cognitione propriæ ſubſtantiæ, producit verbum. Et loc. cit. determinat: quod ſolum in Deo, Verbum eſt eius ſubſtantia, quia in eo eſt idem eſſe, & intelligere; & identificat omnem actualitatem vltimam intelligibilis, & intellecti. Præterea: nam Angelus non eſt tantæ actualitatis, vt identificet ſuam intellectionem, quæ non ſit actio diſtincta ab eius eſſentia, & ſubſtantia: ergo nec vt identificet Verbum, quod non ſit productum, & intellectum diverſum. Prob. conſ. Sicut intellectio eſt vltima actualitas intelligentis, ita verbum intelligibilis, ſive intellecti; ſed: ergo. Tandem: Angelus per ſuam ſubſtantiam non eſt intrinſecè vltimò intelligens, ſed per intellectionem diſtinctam: ergo nec eſt vltimò intellectus, niſi per verbum ab ea diſtinctum.

13 Colligitur quoque: quod Angelus per ſuam ſubſtantiam, vt ſpeciem impreſſam, non cognoſcit reliqua obiecta. Ita Ang. Mag. quæſ. 55. art. 1. cuius ratio eſt: ſpecies impreſſa eſt forma, qua intellectus perfectè completur, vt cognoſcat obiectum; ſed ſubſtantia Angeli non eſt forma, qua eius intellectus perfectè completur, vt cognoſcat reliqua obiecta: ergo. Maior patet: Nam forma eſt qua agens agit. Prob. min. Forma complens perfectè intellectum ad cognitionem obiecti, continet perfectè obiectum, ad quod intellectus ſe extendit; ſed ſubſtantia Angeli non continet perfectè reliqua obiecta, ad quæ eius intellectus ſe extendit: ergo. Mai. eſt certa: Quare in corruptibilibus forma non complet perfectè potentiam materiæ: quia non continet perfectè illa, ad quę ſe extendit. Prob. min. Intellectus Angeli ſe extendit ad omnia obiecta cognoſcenda; ſed eius ſubſtantia non continet perfectè

omnia obiecta: ergo. Mai. patet: cum eius obiectum ſit ens,& verum in communi. Min. conſtat: cum ſit eſſentia determinata ad genus, & ſpeciem. Quare Ang. Doct. ita concludit: *Hoc autem proprium eſt eſſentiæ divinæ, quæ infinita eſt, vt in ſe ſimpliciter omnia comprehendat perfectè. Et ideo ſolus Deus cognoſcit omnia per ſuam eſſentiam: Angelus autem per ſuam eſſentiam non poteſt omnia cognoſcere, ſed oportet intellectum eius aliquibus ſpeciebus perfici ad res cognoſcendas.* Hæc patent in B. Alberto Mag. 2.part.q.14. art.2.

14 Arg.1.Obiectum per ſpeciem impreſſam eſt proximè intelligibile; ſed ſubſtantia Angeli non eſt per ſe ipſam proximè intelligibilis: ergo non eſt ſpecies impreſſa, per quam Angelus ſe cognoſcat. Prob. min. Subſtantia Angeli per ſe ipſam non eſt proximè intellectiva:ergo.Prob.conſ. Sicut potentia proxima intellectiva eſt principium immediatum intellectionis, ita forma,qua obiectum eſt proximè intelligibile, eſt principium immediatum intelligibilis,ſeu intellecti; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: nam potentia proxima intellectiva eſt propter operationem, quæ eſt accidens: ideòque ipſa etiam eſt accidens, & nulla ſubſtantia creata, etiam Angelica, poteſt eſſe proximè operativa, nec intellectiva. Sic D. Thomas quæſ.54. art.3. Potentia autem proximè intelligibilis eſt quaſi paſſiva, & non eſt ita propter intellectionē, aut operationem:ſicque in Angelo poteſt provenire à ſubſtantia, quæ per ſe eſt proximè intelligibilis à proprio intellectu, quia ipſi proportionata,& intimè vnita.

15 Cont. Subſtantia nequit eſſe potentia proxima intellectiva, quia hæc eſt immediatè operativa; ſed ſpecies impreſſa, quæ eſt forma, ſive potentia proxima intelligibilis, etiam eſt immediatè operativa: ergo nequit ita eſſe ſpecies impreſſa.Prob.min.in Sētentia plauſibili Thomiſtarum, ſpecies impreſſa concurrit immediatè effectivè ad intellectionem: ergo. Ant. ſatis conſtat in Ang. Doct quæſ.56. art.1. & quæſ.85. art.2.& docetur à Magiſtro Serra queſt.56.art.1.dub.1.ad 2.A Cādamo opuſc de ſign.cap.3.queſ.5. num. 43. A Godoy,& alijs citatis à Doct. Euſeb. Conſ.patet: Nam principium effectivum eſt operativum.

16 Reſp. diſt.ant. Per modum potentiæ,nego ant.Per modum principij determinantis potentiam,conc.ant.& ita diſt.conſeq.Species quidem impreſſa, vt forma, determinat intellectum ad cognitionem obiecti: & exinde cum eo concurrit effectivè ad illam.

ſſam. Non tamen vt potentia intellectiva, activa, & elicitiva cognitionis; quomodo ſubſtantia creata nequit eſſe immediatè operativa; ne eſſet propter operationem, quæ eſt accidens. Concurrit enim per modum comprincipij, potentiam determinantis, & ex parte obiecti ſe habentis: quod poteſt eſſe ſubſtantia, cum non ſit propter operationem. Subſtantia namque Angeli prius eſt; & poſtea, cum ſit proportionata, & intimè vnita proprio intellectui, ipſum actuat, & ad cognitionem ſui determinat. Et ratio eſt: quia ſpecies impreſſa, & forma ita proximè intelligibilis, concurrens ſic effectivè ad cognitionem, ſpecificatur ab obiecto, & non ab actu, & cognitione. Potentia autem prædicta ab operatione, & actu. Vnde licèt propterea, ſubſtantia Angeli non ſit immediatè operativa per modum potentiæ, vt docent Thomiſtæ; poteſt eſſe per modum ſpeciei, & principij determinantis potentiam: vt tenent Godoy, Serra, & multi; & diximus Tract. de Anima quæſt. 3 art. 2.

17 Cont. Subſtantia Angeli, nec per modum determinantis potentiam, concurrit immediatè effectivè ad ſui cognitionem: ergo. Prob ant. Anima rationalis pro hoc ſtatu, nec per modum determinantis potentiam, concurrit immediatè effectivè ad ſui cognitionem: ergo. Prob. conſeq. Sicut ſubſtantia Angeli eſt intimè vnita proprio intellectui, ita anima rationalis; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: Non propter difficultatem obiectionis, ſed quia intellectus humanus pro hoc ſtatu, eo quod eſt in materia immerſus, intelligit omnia, etiam ſpiritualia, & propriam animam, ad modum rerum materialium, & ſenſibilium, atque per converſionem ad phantaſmata: Sicque animam intelligit per ſpeciem eorum, & non per ſe ipſam ſic ad cognitionem ſui concurrentem. Anima autem ſeparata iam ſic per ſe ipſam cognoſcitur, atque ad ſui cognitionem concurrit effectivè. Angelus verò cognoſcit ſine tali converſione, eo quod eſt omninò immaterialis.

18 Arg. 2. Angelus per ſuam ſubſtantiam, vt ſpeciem, non cognoſcit abſtractivè alium Angelum: ergo nec Deum, vt Authorem naturæ. Prob. conſeq. Magis diſtat Deus, vt Author naturæ, ab Angelo, quàm alius Angelus; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia cum vnus Angelus non ſit cauſa alterius, in ſubſtantia vnius non eſt imago, nec ſimilitudo eius. Deus autem, vt Author naturæ, eſt cauſa Angeli; in cuius ſubſtantia, & natura eſt imago, & ſimilitudo imperfecta Dei

Authoris naturalis: quem propterea, & ratione dependentiæ repręſentat, licèt non immediatè per modum ſpeciei, ſaltim per modum obiecti prius cogniti per ipſam, vt ſpeciem impreſſam.

19 Cont. Licèt Deus, vt Author naturæ, ſit cauſa Angeli, in cuius natura eſt talis imago, & ſimilitudo ipſius, non cognoſcitur abſtractivè per ſubſtantiam Angeli, vt ſpeciem: ergo. Prob. ant. Pater increatis eſt cauſa Filij; in quo eſt eius imago, & ſimilitudo; ſed Filius per ſuam ſubſtantiam, vt ſpeciem, non cognoſcit abſtractivè Patrem, ſed per ſpeciem propriam Patris: ergo. Reſp. nego conſeq. Diſcrimen eſt: Quia cognitio propria Angeli per ſuam ſubſtantiam eſt comprehenſiva illius: Sicque ſaltem abſtractivè attingit omne illud, à quo dependet, & cuius habet imaginem, & ſimilitudinem, etſi imperfectam. Cognitio autem Filij non eſt ita comprehenſiva ſui: & propterea non debet ita cognoſcere illud: quod deberet, ſi comprehenſiva foret. Si verò Filius ſe cognoſcat vt effectum Patris, hunc etiam abſtractivè cognoſcit; non per ſuam ſubſtantiam, vt ſpeciem: cum hæc nec reſpectu ſui ſit ſpecies impreſſa; ſed per ſpeciem, qua cognoſcit ſe ipſum.

20 Cont. Licèt hoc ſit verum, dum cognitio Angeli terminatur mediatè ad Deum, vt Authorem naturæ, non cum terminatur immediatè; ſed poteſt terminari immediatè: ergo tunc non cognoſcit illum per ſuam ſubſtantiam, vt ſpeciem. Min. conſtat, cum Angelus poſſet ex ſe ipſo, & ex creaturis cognoſcere ſcientificè Deum, vt Authorem naturæ; & cognitio ſcientifica terminatur immediatè ad ſuum obiectũ. Prob. mai. cum Deus, vt Author naturæ, cognoſcitur immediatè, repręſentatur immediatè per ſpeciem; ſed ſubſtantia Angeli non poteſt repræſentare immediatè Deum, vt Authorem naturæ: ergo. Prob. mai. Eo modo cognoſcitur obiectum ab intellectu, quo repræſentatur per ſpeciem: ergo.

21 Reſp. diſt. ant. Quo repręſentatur ex parte obiecti, conc. ant. Ex parte modi, nego ant. & conſ. Repræſentatio obiecti dicit obiectum repræſentatum. Ex parte modi importat modum, & ordinem, quo repræſentatur. Intellectus enim cognoſcit obiectum repręſentatum, & non aliud: nam ſi repræſentetur album, cognoſcit hoc, & non nigrum. Non tamen ſemper eo ordine, & modo, quo repræſentatur: cum intellectus aliquando, ob libertatem participatam à voluntate, vtatur immediatè repræſentatione mediata, & obiectum mediatè, & ſecundariò repræſentatum cog-

nof-

noſcat immediatè. Quod evenit in cognitione ſcientifica, ſecunda, & quaſi reflexa. Cum ergo ſic eveniat, dum Angelus ita cognoſcit Deum, vt Authorem naturæ: ideò ipſe non repræſentatur immediatè, ſed eſt repræſentatus mediatè per ſubſtantiam Angeli; & per eam ita cognitus immediatè. Sicut intellectus cognoſcit ſic immediatè ens rationis, repræſentatum mediatè per ſpeciem impreſam entis realis.

22 Arg 3. Subſtantia Angeli eſt ſpecies impreſa reſpectu propriæ cognitionis: ergo etiam expreſſa. Prob. conſeq. Utraque eſt ſimilitudo obiecti; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia ſpecies impreſſa eſt principium cognitionis; expreſſa autem terminus: Et licèt ſit principium, nequit eſſe terminus cognitionis. Ita Ang. Præcept. 1. cont. Gent. cap. 53. dicens: *Intellectio autem intellecta, cum ſit quaſi terminus intelligibilis operationis, eſt aliud à ſpecie intelligibili, quæ facit intellectum in actu: quam oportet conſiderari, vt intelligibilis operationis principium: licèt vtrumque ſit rei intellectæ ſimilitudo.* Vid. 4. cont. Gent. cap. 11.

23 Cont. Sicut ſpecies impreſſa eſt principium cognitionis, ita expreſſa eſt terminus; ſed ſubſtantia Angeli eſt principium, & ſpecies impreſſa propriæ cognitionis: ergo poteſt eſſe terminus, & ſpecies expreſſa illius. Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: Nam terminus cognitionis, & ſpecies expreſſa identificat eſſe vltimò intellectum, & vltimam actualitatem lineæ intelligibilis paſsivi. Quod in creatis repugnat ſubſtātiæ; quia arguit infinitatem; ideòque eſt proprium Dei. Principium autē, & ſpecies impreſſa non idētificat, niſi rationē intelligibilis proximi, & per modū actus primi. Quod nō repugnat ſubſtantiæ: cum infinitatem non arguat.

24 Cont. Licèt ſubſtantia creata Angeli non poſsit identificare vltimam actualitatem intellectivi, quæ eſt intellectio, poteſt identificare vltimam actualitatem intelligibilis, ſive intellecti paſſivi, quæ eſt ſpecies expreſſa: ergo. Prob. antec. Licèt ſubſtantia creata Angeli non identificet actum primum proximum intellectivi, qui eſt intellectus, identificat actum primum proximum intelligibilis paſsivi, qui eſt ſpecies impreſſa: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia intellectus, qui eſt actus primus proximus intellectivus, eſt activus in eſſe phiſico, & entitativo; & eſt propter actum vltimum, nempe, intellectionem, quæ eſt accidens: eo quod non eſt, vt ſit, ſed vt operetur: quod repugnat ſubſtantiæ Angeli, & cuilibet. Intelligibile

autem proximum non eſt huiuſmodi, ſed de linea obiecti, actuās, & determinans intellectum ad cognitionem, & ab ipſo obiecto ſpecificatum, cum eſt diverſum. Quod non repugnat ſubſtantiæ Angeli: cum ex ſe ſit ſatis proportionata, & proprio intellectui vnita.

25 Cont. Subſtantia Angeli per ſe terminat volitionem, quæ eſt actus vltimus voluntatis, quin identificet vllam vltimam actualitatem illius: ergo ſimiliter intellectionem, quæ eſt actus vltimus intellectus. Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia voluntas fertur ad res, vt ſunt in ſe, & nihil in eis producit. Intellectus autem trahit res ad ſe, & producit verbum, & ſpeciem expreſſam, quæ eſt expreſsio ipſius obiecti; quam ipſum obiectum, & ſubſtantia non identificat: cum non idétificet productionem ipſius, rationem intellecti, nec producti: cum ſit quid accidentale, adveniens de novo. Sicut propterea viſibile terminat per ſe viſionem, quin tale identificet; non tamen intellectionem.

26 Arg. 4. Deus per ſuam eſſentiam cognoſcit omnia alia: ergo etiam Angelus. Prob. conſ. Sicut Deus per ſuam eſſentiam cognoſcit ſe, ita Angelus; ſed: ergo. Reſp. nego conſeq. Ratio eſt: Quia Deus per ſuam eſſentiam eſt cauſa adæquata, & perfectiſsima omnium, continens perfectiſsimè omnia in eſſe, & cognoſcit: eo quod eſſentia Dei eſt ſimpliciter infinita. Non tamen Angelus, cuius eſſentia eſt finita, & limitata.

27 Cont. Licèt eſſentia, & ſubſtantia Angeli ſit finita, & limitata, poteſt perfectè continere, & repræſentare alia: ergo. Prob. ant. Admiſſo, quod Angelus ſupremus vnica ſpecie cognoſcat omnia, talis ſpecies perfectè continet, & repræſentat cuncta; ſed eſt finita, & limitata: ergo. Min. eſt certa: Cum creata ſit. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia quæ ſunt inſtituta, vt ſint, ſolùm repræſentant intellectui ſe ipſa, & quæ in eſſe entis continent perfectè. Quæ verò ſunt inſtituta, vt repræſentent, repræſentant illa, pro quibus ſunt inſtituta, quin ea contineant ita in eſſe entis, ſed in eſſe ſigni repræſentativi. Quod non arguit infinitatem, ſed limitationem, & determinationem dictam inducit. Cumque eſſentia Angeli ſit inſtituta, vt ſit; & talis ſpecies, vt repræſentet: ideò illa ſe ipſam repræſentat, & ea, quæ in eſſe entis perfectè continet; hæc autem omnia prædicta. Nec repræſentat cuncta: ſiquidem ipſum Angelum ſupremum non repræſentat, ſed alia, præter illum.

28 Cont. Licèt eſſentia Angeli

geli ſit finita, & inſtituta, vt ſit, poteſt repræſentare ſaltem res materiales, & ſpirituales: ergo has, etſi non alias, Angelus cognoſcet per ipſam. Prob.ant. Eſſentia, & ſubſtantia Angeli continet perfectè rationem immaterialis, & ſpiritualis: ergo. Probat. conſ. Quia animal continet hominem, & brutum, ſpecies finita animalis repræſentat Angelo hominem, & brutum; ſed: ergo. Prob.conſ. Sicut animal eſt genus ad hominem, & brutum, ita ratio immaterialis, & ſpiritualis ad omnia immaterialia, & ſpiritualia; ſed: ergo. Reſp. nego conſeq. Diſcrimen eſt: Quia ſubſtantia Angeli ſolùm repræſentat rationem immaterialis, & ſpiritualis contrahacti ab ipſa; quam ſolum continet in eſſe entis. Non verò rationem genericam, & communem: cum non ſit inſtituta, vt eam tanquam continentem ſpecies repræſentet; ſicut ſpecies animalis, quæ eſt inſtituta, vt repræſentet animal, vt continens hominem, & brutum.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *VTRVM ANGELVS intelligat alia per ſpecies infuſas.*

1 SVppono: Quod Angelus omnia alia, præter relata art. ant. cognoſcit per ſpecies proprias illorum, ita Ang. Præcept. quæſ. 55. art. 1. quod fundat cum S. Dionyſio aſſerente: *Angeli illuminantur rationibus rerum:* ergo cognoſcunt per rationes rerum. Et concludit: *Oportet intellectum eius aliquibus ſpeciebus perfici ad res cognoſcendas*. Durandus tamen, Gregor. Cab. & Ocham negaverunt has ſpecies. P. Vazquez exiſtimavit: Non eſſe rationem eas convincentem. Veruntamen art. ant. conſtat, requiri ſpeciem, vel aliquid gerens vices ſpeciei, vt Angelus cognoſcat. Et cum per ſuam ſubſtantiam non cognoſcat omnia alia obiecta; reſtat vt ea cognoſcat per ſpecies proprias accidentales, & ſuperadditas. Controverſia eſt: An Angelus habeat illas infuſas à Deo: An acceptas ab obiectis? Primũ tenent Thomiſtæ cum Divo Thoma, & Beatus Alb 2 part. quæſ 14 art. 2. Secundum, Scotiſtæ cum Scoto; qui concedit aliquas ſpecies, ſaltim vniverſales, Angelo infuſas initio ſuæ creationis, etſi reliquas ſingularium reputet acquiſitas.

2 Concluſio: Angelus intelligit alia obiecta per ſpecies ei à Deo infuſas, & non ab obiectis acceptas. Ita Ang. Mag. ar. 2. Eam fundat in illo Ezechiel. 28. v. 12. vbi dicitur de primo Angelo ante caſum: *Plenus ſapientia, & perfectus decore, in delicijs Paradyſi Dei fuiſti.* Et v. 15. *Perfectus in vijs tuis*

*à die conditionis tuæ*; ſed plenitudo, & perfectio ſapientiæ, & cognitionis requirit ſpecies expreſſas pro omnium cognitione: ergo cum in illo inſtanti, & brevi morula non poſſet eas accipere ab obiectis, ipſas habuit infuſas à Deo. Vnde in corp. ait D. Thomas de Angelis: *Et ideò ſuam perfectionem intelligibilem conſequuntur per intelligibilem effluxum, quo à Deo ſpecies rerum cognitarum acceperunt ſimul cum intellectuali natura.*

3 Nec ſubſiſtit interpretatio: Quod Angelus ab initio habuit ſpecies vniverſales omnium, & particulares aliquas: Non tamen ſingulorum, quæ decurſu temporis fiunt: has enim accepit ſucceſsivè ab ipſis. Nam Ang. Doct. proſequitur: *Vnde Auguſtinus dicit: quod cæteras, quæ infra Angelos ſunt, ita cauſantur, vt prius fiant in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in genere ſuo.* Et ad 1. refert ipſum aſſerentem: *Sicut ratio, qua creatura conditur, prius eſt in Verbo Dei, quàm ipſa creatura quæ conditur, & ſic eiuſdem rationis cognitio prius fit in creatura intellectuali: ac deinde eſt ipſa conditio creaturæ.* Cuius rationem prævenit D. Thomas dicens: *In mente Angeli ſunt ſimilitudines creaturarum, non quidem ab ipſis creaturis acceptæ, ſed à Deo, qui eſt creaturarum cauſa, & in quo primò ſimilitudines rerum exiſtunt.*

4 Prob. 1. concl. ratione Divi Thomæ: Angelus eſt creatus plenus ſapientia, & decore in primo inſtanti, perfectus in vijs ſuis, etiam in ſtatu gratiæ, iuxta illud M.P. Auguſt. 12. de Civit. Dei cap. 12. *Simul erat in eis condens naturam, & largiens gratiam.* Ad quam ſe diſpoſuit per actum proprium ſupernaturalem: cum ea fuerit iuſtificatus vt adultus, & non vt parvulus; ſed omnia hæc requirunt ſpecies obiectorum, quæ tunc cognoſcebat, tam in eſſe naturali, quàm ſupernaturali: ergo cum in tam brevi morula non poſſet accipere eas à rebus, habuit eas infuſas à Deo. Mai. conſtat num. ant. Quinimò & primum hominem condidit Deus in ſtatu perfecto corporis, & animæ. Min. patet: Nam ſi defuiſſent ſpecies, non foret ita plenus, ornatus, nec perfectus. Sicut puer non dicitur talis: quia etſi habeat intellectum, & omnes potentias, deficiunt ei ſpecies obiectorum. Angelus enim conditus eſt plenus ſapientia in actu ſecundo, cum in ipſo inſtanti ſuæ conditionis eliciuſſet cognitionem perfectam.

5 Prob. 2. concl. ratione ipſius: Ordinem, & diſtinctionem creaturarum ſpiritualium debemus intelligere iuxta ordinem, & diſtinctionem corporalium; ſcilicèt Deus in ſubſtantijs corporeis inferioribus, in prima condi-

tione, non perfeciſſet totaliter potentiam materiæ per formam, in ſupremis eam totaliter perfecit: ergo licèt in prima creatione non perficiat totaliter per formas, & ſpecies intelligibiles inditas, & infuſas potentiam intellectivam animæ rationalis, quæ eſt ſubſtantia ſpiritualis inferior, perfecit potentiam Angeli, quæ eſt ſuperior. Mai. eſt Divi Thomæ. Minor patet ex ipſo: ideòque in ſublunaribus materia prima non ſatiatur vnica forma, ſed recipit ſucceſsivè vnam poſt aliam. Materia verò Cœleſtis vnica forma eſt perfecta, & perſeverat. Conſ. conſtat: Et propterea intellectus humanus non eſt ab initio omnibus ſpeciebus perfectus, ſed ſucceſsivè perficitur ſpecie accepta ab obiecto, pro qualibet cognitione.

6 Negabis conſ. Nam Deus per vnam formam perfecit potentiam materiam Cœli; & non perfecit per vnicam ſpeciem intellectum Angeli: Similiter illum non perfecit ſic ab initio, licèt talem potentiam ita perfecerit. Reſp. autem: Hoc eſſe, quia ad hoc non eſt capacitas, ſicut ad illud. Quod, & rationem confirmat Ang. Doctor, ita ediſſerens: *Hoc etiam ex ipſo modo eſſendi huiuſmodi ſubſtantiarum apparet. Subſtantiæ enim ſpirituales inferiores, ſcilicet animæ, habent eſſe affine corpori, in quantum ſunt corporum formæ: & ideo ex ipſo modo eſſendi competit eis, vt à corporibus, & per corpora ſuam perfectionem intelligibilem conſequantur, alioquin fruſtra corporibus vnirentur. Subſtantiæ verò ſuperiores, id eſt Angeli, ſunt à corporibus totaliter abſolutæ immaterialiter, & in eſſe intelligibili ſubſiſtentes: & ideo ſuam perfectionem intelligibilem conſequuntur per intelligibilem effluxum, quo à Deo ſpecies rerum cognitarum acceperunt ſimul cum intellectuali natura.*

7 Quæ veritas, & ſtabilita art. 1. & 2. Conſtat ex S. Doctore quæſt. 56. art. 2. ita aſſante: *Vnicuique ſpiritualium creaturarum à Verbo Dei impreſſæ ſunt omnes rationes rerum omnium tàm corporalium, quàm ſpiritualium: ita tamen quod vnicuique Angelo impreſſa eſt ratio ſuæ ſpeciei ſecundum eſſe naturale, & intellectuale ſimul: ita ſcilicet quod in natura ſuæ ſpeciei ſubſiſteret, & per eam ſe intelligeret. Aliarum verò naturarum tàm ſpiritualium, quàm corporalium rationes ſunt impreſſæ ſecundum eſſe intellectuale tantùm, vt videlicet per huiuſmodi ſpecies impreſſas tàm creaturas corporales, quàm ſpirituales cognoſceret.*

8 Prob. autem quod non accipiat ſpecies à rebus materialibus, ſed ſpecies earum habeat infuſas à Deo: Angelus nec poteſt accipere mediatè, nec immediatè ſpecies à rebus materialibus: ergo nullo

nullo modo poteſt. Ant. eſt certum quoad 1. part. Cum non poſsit eas accipere media cognitione ſenſitiva: nam in Angelo eſt ſola intellectiva, cum in eo ſit intellectus, & non ſenſus. Prob. quoad 2. Si immediatè acciperet illas, acciperet eas non purificatas omninò à materia, & conditionibus individualibus; ſed non poteſt ſic accipere illas: ergo. Mai. eſt certa: Siquidem obiectum materiale non mittit ſpeciem iam purificatam: ſed depuratur, & purificatur per intellectum agentem; qui non eſt in Angelo, ne eſſet fruſtraneus: cum nec ad hoc, nec ad aliud, ſit neceſſarius; vt ſtatuit Divus Thomas quæſt. 55. art. 4. Min. patet: Nam cum Angelus ſit omninò immaterialis, non poteſt recipere quod non eſt omninò immateriale. Et quia ſpecies ita acceptæ, & purificatæ, repræſentant immediatè, & directè rationes communes; & mediatè, atque indirectè ſingularia, ita ei propoſita. Hinc Ang. Mag. quæſt. 55. art. 2. cum S. Dion. ait: *Angeli non congregant divinam cognitionem à rebus diviſibilibus, aut à ſenſibilibus.*

9 Reſpondebis: Solum ſequi: quod Angelus eas non accipiat miniſterio ſenſuum, ſicut anima. Non quod non accipiat eas à rebus materialibus, vt ab obiecto. Cont. Angelus nequit accipere ſpecies vt materiales, & non vt repræſentantes immediatè, & directè ſingularia; ſed obiectum materiale non mittit, nec præbet niſi ſpeciem materialem; quę non ſic, ſed mediatè, & indirectè repræſentat ſingularia: ergo. Deinde: Res materialis in ſe, & ad extra eſt obiectum materiale, & cum materia. In imaginatione, & phantaſia eſt ſine materia, ſed cum conditionibus materialibus, à quibus depuratur per intellectum agentem: Sicque fit immaterialis, & intelligibilis ab intellectu paſsibili; ſed non poteſt trāſire de extremo ad extremum, niſi per medium: ergo cum hoc fiat miniſterio ſenſuum, qui non ſunt in Angelo, hic nequit ita accipere ſpecies à rebus materialibus. Sic Divus Thomas ad 2. Præterea: Angelus in cognoſcendo nequaquam dependet à corporibus; ſed ſi acciperet ſpecies à rebus materialibus, vt obiectis, ita dependeret ab illis: ergo non accipit. Quin, & Angel. Mag. ad 2. ait: *Dato etiam quod poſſet abſtrahere ſpecies intelligibiles à rebus materialibus: non tamen abſtraheret, quia non indigeret eis, cum habeat ſpecies intelligibiles connaturales.*

10 Prob. quod non accipiat eas ab immaterialibus. Ut eas acciperet, res immaterialis mitteret ſpeciem Angelo, vel Angelus educeret ſpeciem ex illa; ſed neutrum

trum poteſt fieri: ergo. Prob. min. quoad 1. vnus Angelus nequit mittere alteri ſpeciem, nec præbere immediatè illam, operando immediatè in ipſo; ſed nec poteſt mittere mediatè illam, ſeu emittere ſpeciem, quæ tranſeat per medium, & perveniat ad intellectum Angeli cognoſcentis: ergo. Mai. patet: Nam ad hoc requirebatur, quod vnus Angelus illaberetur alteri. Quod repugnat: quia vt ait Ang. Doct. q. 56. art. 2. arg. 3. *Sola Trinitas illabitur menti.* Et 3. part. quæſ. 64. art. 1. dicit: *Solus Deus illabitur animæ.* Min. conſtat, cum medium, quia materiale, ſit incapax recipiendi ſpeciem omninò immaterialem, vt eſſet prædicta, quæ nec poſſet multiplicari per media, ſicut multiplicatur ſpecies miſſa ab obiecto materiali, cum tràſeat de ſubiecto in ſubiectum: quod nequit competere eidem numero accidenti. Quoad 2. part. ex dictis patet: Siquidem cum Angelus non habeat illapſum in altero, non operatur immediatè in illo. Quare non ſumit ab eo ſpeciem. Quam nec extrahit mediatè, cum hæc non poſsit per medium pertranſire. Reſtat ergo, vt Angelus cognoſcat illas per ſpecies infuſas. Quod etiam docet D. Thomas q. 56. art. 2.

11 Ex his reſultat dubium: An tales ſpecies oriantur vt proprietates ex natura ipſius Angeli? Negant communiter Thomiſtæ, vt Mag. Ferrarièſis, Navarrete, Joãnes à S. Thoma, Serra, Lezana, Ferre, Gonet, Zumel, & alij. Probatur ratione: Quælibet eſſentia radicat, & continet ſuas proprietates; ſed eſſentia Angeli non radicat, nec continet in ſe ſpecies omniũ rerum, quas habet infuſas: ergo. Prob. min. Eſſentia determinata ad genus, & ſpeciem, non radicat, nec continet in ſe ea, quæ pertinent ad diverſa genera, & ſpecies; ſed eſſentia Angeli eſt determinata ad genus, & ſpeciem eius; prædictæ autem ſpecies pertinent ad diverſa genera, & ſpecies: ergo. Præmiſæ ſunt D. Thomæ art. 1.

12 Reſp. Quod eſſentia Angeli vt intelligibilis non radicat, nec continet tales ſpecies: cum eius intelligibilitas, ſicut ipſa, ſit ita determinata in genere, & ſpecie. Ratione autem intellectualitatis activæ completæ radicat, & continet eas: cum ratione illius debeatur ei intellectus completus, & perfectus omnibus ſpeciebus. Cont. Si eſſentia Angeli prout ſic radicaret, & contineret ſpecies omnium rerum, ipſa foret intelligibilitas radicalis earum; ſed nequit eſſe: ergo. Prob. mai. eſſentia radicans, & continens aliquas proprietates, dicitur radicaliter talis, ſicut ipſæ; ſed eſſentia Angeli prout ſic radi-

dicaret, & contineret ſpecies omnium rerum, quæ ſunt intelligibilitates proximæ earum: ergo. Mai patet: nam eſſentia hominis eſt radicaliter riſibilis: quia radicat, & continet riſibilitatem proximam, vt proprietatem.

13 Illuſtratur: Si eſſentia Angeli radicaret, & ita contineret in ſe, vt proprietates, omnes ſpecies rerum, Angelus cognoſcens comprehenſivè alium Angelum, cognoſceret in ea omnes ſpecies rerum, omneſque res; ſed non cognoſcit illas: ergo non radicat, nec ita continet eas. Mai. eſt certa: Siquidem comprehendens eſſentiam, cognoſcit omnes eius proprietates, & quæ iſtæ repræſentant. Min. eſt certa: Etenim ille iam non egeret ſpeciebus; eique eſſentia alterius Angeli deſerviret vt ſpecies, pro cognoſcendis omnibus rebus.

14 Reſpondebis: Hoc eſſe verum. Nihilominus alia obiecta non cognoſceret per eſſentiam Angeli, ſed per ſpecies, quæ ſunt proximæ intelligibilitates eorum, & quæ mediant inter eſſentiam Angeli, & obiecta. Cont. Etſi volitio oriatur proximè à voluntate, & hæc, medio intellectu, ab eſſentia Angeli, & in homine ab anima; cognoſcens comprehenſivè Angelum, & animam, etiam per eſſentiam vtriſque cognoſcit volitionem: quia voluntas, quę eſt principium proximum illius, radicatur, & continetur in eis vt proprietas: ergo etſi omnia obiecta cognoſcerentur medijs ſuis ſpeciebus, vt principijs proximis, ſi ſpecies radicarentur, & continerentur, vt proprietates, in eſſẽtia Angeli, cognoſcens comprehenſivè hanc in ea, & per eam cognoſceret omnia obiecta: ſicque quilibet Angelus per ſuam ſubſtantiam, non ſolum ſe cognoſceret, ſed etiam omnia alia.

15 Arg. 1. cont. ſup. Angelus per ſuam eſſentiam cognoſcit alia obiecta: ergo non per proprias ſpecies eorum. Prob. ant. ex Sancto Dionyſio cap. 7. de divin. nomin. aſſerente: *Angeli ſciunt ea, quæ ſunt in terra ſecundùm propriam naturam mentis*; ſed natura Angeli eſt eius eſſentia: ergo. Reſp. admitto, & explico author. cum Divo Thoma art. 1. ad 1. dicente: *Ly ſecundùm non determinat medium cognitionis, quod eſt ſimilitudo cogniti: ſed virtutem cognoſcitivam, quæ convenit Angelo ſecundùm ſuam naturam.*

16 Cont. Angelus per ſuam eſſentiam, vt medium cognitionis, cognoſcit alia obiecta: ergo. Prob. ant. Eſſentia Angeli eſt repræſentativa omnium: ergo. Probatur ant. Intellectus Angeli eſt potentia intellectiva omnium: ergo. Prob. conſ. Intellectus Angeli radicatur in eſſentia Angeli; ſed

ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: quia eſſentia Angeli, cum ſit determinata ad genus, & ſpeciem, non comprehendit in ſe omnia, nec actu continet illa, adhuc in eſſe intelligibili. Quod neceſſe erat, vt tanquam ſimilitudo repræſentaret illa. Intellectus autem Angeli ſe extendit ad intelligendum omnia: cum obiectum eius ſit ens, & verum commune: non quia per ſe actu contineat omnia, ſed quia habet virtutem perceptivam omnium, quæ ei repræſentantur per proprias ſpecies.

17 Cont. Eo ipſo, quod intellectus Angeli poſsit intelligere omnia, Angelus per ſuam eſſentiam, vt medium cognitionis, poteſt cognoſcere illa: ergo. Prob. ant. Angelus per ſuam eſſentiam, vt medium cognitionis, cognoſcit comprehenſivè intellectum eius; ſed vt cognoſcat comprehenſivè illum, debet per ſuam eſſentiam, vt medium cognitionis, cognoſcere omnia: ergo. Prob. minor. Per medium, per quod comprehenditur aliquid, cognoſcuntur omnia, quæ poteſt; ſed intellectus Angeli poteſt cognoſcere omnia: ergo.

18 Reſp. diſt. mai. Quæ poteſt incompletè, & vt cauſa inadæquata, nego mai. Completè, & vt cauſa adæquata, conc. mai. & diſt. min. Poteſt incompletè, & vt cauſa inadæquata, conc. min. Completè, & vt adæquata, nego min. & conſ. Vt aliquid, ſive aliqua potentia comprehendatur, per idem medium, & per eandem ſpeciem cognoſcitur quidquid per ſe, completè, & adæquatè poteſt: ſive illud, cuius eſt cauſa completa, & adæquata. Si verò egeat concurſu alterius cauſæ, poteſt in ſe comprehendi, quin illud ſic cognoſcatur. Cumque intellectus Angeli ex ſe non ſit potentia, nec cauſa completa, & adæquata cognitionis omnium: nam pro hac eget ſpeciebus eorum: ideò per ſuam eſſentiam, vt medium, & ſpeciem comprehendit ſuum intellectum, & cognoſcit quantum poteſt: cum cognoſcat, quod poteſt cognoſcere omnia; non tamen cognoſcit omnia, quæ poteſt cognoſcere per ſpecies illorum. Per ſuam enim eſſentiam, vt ſpeciem, cognoſcit, quod intellectus Angeli poteſt per proprias ſpecies cognoſcere omnia: cum hæc ſit virtus cognoſcitiva illius; non tamen, quod poteſt per ſuam eſſentiam, vt ſpeciem, omnia cognoſcere: cum per eam non poſsit cognoſcere illa. Ita Divus Thomas art. 1.

19 Arg. 2. cont. concluſ. Ex eo Angelus non poſſet accipere ſpeciem ab obiectis, quia ſpecies tranſiret per medium, & in tali tranſitu multiplicaretur; ſed poteſt

teſt accipere ſpeciem ab obiectis, quæ veniat ad ipſum, quin tranſeat per medium: ergo. Probat. min. Angelus poteſt tranſire de extremo ad extremum, quin tranſeat per medium; ergo. Ant. patet quæſt. ant. art. 4. num. 9.

20 Reſpondebis nego conſeq. Ratio eſt: Quia Angelus eſt in loco, & movetur per locum per operationem liberam, & non vt commenſuratus ſpatio: Sicque operatur, & eſt vbi vult; & tranſit ad extremum, quin ſit in medio, quia ibi non vult operari. Obiectum autem non mittit liberè ſpeciem, nec ſpecies tranſit liberè ad intellectum. Quare nequit tranſire de obiecto ad intellectum Angeli, quin tranſeat per medium; per quod tranſiens, multiplicaretur: quod inconvenit, vt viſum eſt. Præterea: Nam ſpecies obiecti materialis eſt materialis, & non omninò ſpiritualis, ſicut Angelus: & materiale non poteſt tranſire ſic de extremo ad extremum, quin tranſeat per medium; etſi poſsit ſpirituale. Species quoque obiecti materialis, cum ſit materialis, tranſit ad eſſe ſpirituale, vt intellectus per eam cognoſcat obiectum; ad quod non poteſt tranſire, quin tranſeat per medium, quo depuretur à materia; & hoc fit miniſterio ſenſuum, dum eſt in imaginatione, & phãtaſia. Et cum Angelus his careat: ideò ſpecies non poteſt tranſire ex obiecto ad ipſum, quin tranſeat per medium, cum ab eo non ſit pertranſibile. Ita Divus Thomas art. 2. ad 2.

21 Cont. Etſi obiectum ſit materiale, Angelus ſpiritualis poteſt accipere immediatè ſpeciem ab illo: ergo. Prob. antec. Etſi phantaſma ſit materiale, intellectus agens ſpiritualis hominis accipit immediatè ſpeciem ab illo: ergo. Prob. conſ. Virtus Angeli eſt maior, quàm virtus intellectus agentis hominis; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: quia obiectum in phantaſmate iam non eſt entitativè materiale, ſicut in ſe, & extra ſenſus, ſed repræſentativè: nam in phantaſia iam eſt ſine materia, licèt ſit cum conditionibus individualibus, & materialibus, à quibus intellectus agens abſtrahit illud: Sicque depuratum defert in ſpecie ad intellectum patibilem, qui ipſum in ſpecie immateriali cognoſcit. Obiectum autem in ſe eſt entitativè materiale: ideoque præbet ſpeciem materialem, quam Angelus ſpiritualis nequit accipere immediatè, neque purificare, & immaterializare illam: cum careat miniſterio ſenſuum. Nec ipſa poteſt immediatè fieri immaterialis, ne trãſeat de extremo ad extremum, & non per medium. Nec hoc arguit minorem, ſed maiorem vir-

tutem Angeli: nam homo intellectu agente id exequitur, ob imperfectionem, & defectu complementi, atque ſpecierum ad cognoſcendum: cum eas non habeat ab initio ſuæ conditionis, ſicut Angelus; ſed ſucceſsivè, & modo prædicto eas accipiat, & adquirat. Ita Ang. Mag. ad 2.

22 Arg. 3. Angelus poteſt dependere à corpore materiali, vt ab obiecto: ergo poteſt accipere ſpeciem ab illo. Prob. ant. Angelus poteſt dependere à corpore, vt à loco: ergo. Ant. eſt certum: Nam locatur in ſpatio corporeo, & materiali; vt dictum eſt quęſt. ant. Prob. conſeq. Sicut locus eſt extrinſecus Angelo, ita obiectum; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia Angelus non eſt in loco vt perfectus à loco, ſed vt perficiens locum: cum ſit in illo vt continens, & non vt contentus; per modum ſuperioris, & vt ſubjiciens ſibi locum. Nec ipſe eſt dependens à loco; imò locus, & corpus pendent ab ipſo: etſi non poſsit habere præſentiam localem ſine illis: cum debeat eſſe in corpore, & loco. Accipiens autem ſpeciem ab obiecto, perficitur in eſſe intelligibili ab illo: Sicque dependet ab eo, vt ab obiecto: quod repugnat Angelo omninò independenti à corpore, etſi requirat obiectum corporeum, vt corpus terminet cognitionem ipſius.

23 Cont. Angelus non ſolum pendet ita à corpore, vt à loco, ſed etiam vt ab obiecto: ergo. Prob. ant. Si non penderet ita à corpore, vt ab obiecto, fruſtra moveretur localiter; ſed Angelus non movetur fruſtra localiter: ergo. Prob. mai. Angelus non pendens ita à corpore, vt ab obiecto, æque cognoſceret corpus diſtans, & propinquum: ergo. Ant. conſtat: Cum æque habeat ſpecies vtriuſque. Conſ. patet: Nam ſine tali motu poſſet cognoſcere, & operari circa illud. Reſp. diſting. conſ. Ad cognitionem accipiendam, conc. conſ. Ad operandum in loco, nego conſ. Angelus etenim ęque cognoſcit obiectum diſtans, & immediatum: cum in ſe habeat vtriuſque ſpeciem infuſam à Deo; & motus localis eius foret fruſtraneus, ſi eſſet ad acquirendam ſpeciem, & eliciendam cognitionem ipſius. Veruntamen non eſt, ſed proficuus: cum ſit, vt corpus perficiat, & vt aliquid operetur in loco. Quod evenit ſine dependentia Angeli à corpore, vt obiecto; imò cum indigentia corporis, vt ab Angelo perficiatur. Ita Ang. Doct. ad 3. inquiẽs: *Non tamẽ propter hoc motus eius localis eſt fruſtra. Nõ enim movetur localiter ad cognitiõne accipiendam, ſed ad operandũ aliquid in loco.*

24 Cont. Angelus etiam movetur localiter, vt accipiat ſpe-

ciem obiecti, & eliciat cognitionem ipſius: ergo. Prob. ant. Anima rationalis in corpore etiam movetur localiter, vt accipiat ſpeciem obiecti, & eliciat cognitionem ipſius: ergo. Prob. conſ. Potentior eſt Angelus in cognoſcendo, quàm anima rationalis; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: nam anima rationalis hoc exequitur ob indigentiam, cum ſit creata ſine ſpeciebus obiecti, & *eius intellectus vt tabula raſa, in qua nihil eſt ſcriptum*, vt ait Angel. Præceptor quæſt. 48. art. 3. Vnde per motum localem etiam inquirit ſpeciem, & cognitionem obiecti. Quare natura provida ei conceſsit ſenſus, & intellectum agentem, quorum miniſterio intellectus accipiat ſpecies, & cognoſcat obiecta. Angelus verò non habet hanc indigentiam: cum ab initio ſuæ conditionis habeat inditas ſpecies omnium. Quod non arguit minorem, ſed maiorem potentiam. Sicut & cognoſcere ſimplici intuitu, & ſine diſcurſu, quo homo cognoſcit: nam hoc, & illud evenit ob imperfectionem hominis.

25 Cont. Angelus etiã movetur localiter ob indigentiam ſui intellectus ad cognoſcendum: ergo. Prob. ant. Intellectus Angeli ab initio non eſt completus ad cognitionem omnium rerum: ergo. Prob. ant. Voluntas Angeli ab initio non eſt completa ad amorem omnium rerum: ergo. Prob. conſ. Tam perfecta eſt voluntas Angeli, ac intellectus eius; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: quia vltimum complementum voluntatis eſt propoſitio obiecti per intellectum, quæ non eſt omnium rerum ab initio, ſed ſucceſsivè vniuſcuiuſque prout oportet: præcipuè cum propoſitio, quia actus intellectus, non ſit permanens, ſed parum durans; & non ſint ſimul omnes actus intellectus, proponentes voluntati cũcta amabilia. Species autem ſunt vltimum complementum intellectus; & cum ſint permanentes, ab initio ſunt ſimul inditæ Angelo, itaque eius intellectus eſt completus, & eis vtitur, vt opus eſt: Sicque Angelus poſtea elicit actus voluntatis, quæ vt ſit ſatis perfecta, ſufficit prædictum complementum intellectus, vt eo vtens, voluntatem ducat: nam cum natura Angeli ſit primario intellectiva, & ſecundario volitiva, requirit præcipuè complementum intellectus.

26 Arg. 4. Angelus cognoſcit directè ſingularia per proprias ſpecies; ſed non poteſt cognoſcere directè ſingularia per ſpecies infuſas: ergo cognoſcit ea per ſpecies acceptas ab illis. Prob. min. Species infuſæ eſſent vniverſales; ſed Angelus non poteſt cognoſcere

cere

cere directè ſingularia per ſpecies vniverſales: ergo. Mai. conſtabit art. ſeq. Min. patet: Siquidem ſpecies vniverſalis immediatè, & directè repræsẽtat naturam communem; mediatè verò, & indirectè ſingularia, à quibus eſt abſtracta.

27 Reſp. diſt. mai. Vniverſales, quia repręſentent plura, conc. mai. Quia repræsẽtent ſolam naturam communem, nego mai. & diſt. min. Vniverſales, quia repręſentent ſolam naturam communem, conc. min. Plura, nego min. & conſ. Species vtique poteſt dupliciter dici vniverſalis. Quia repræſentet ſolam naturam communem, aut quia plura repræſentat. Et licèt prima repræſentet immediatè, & directè naturam in communi, & ſolum mediatè, & indirectè ſingularia, à quibus eſt abſtracta; & per eam intellectus ſolum indirectè cognoſcat ſingularia: nam ex cognitione naturæ abſtractæ tranſit ad cognoſcendum ea, à quibus abſtracta eſt. Secunda tamen repręſentat immediatè, & directè naturam communem, vt exiſtentem in omnibus ſingularibus, ipſaque ſingularia. Cumque ſpecies Angeli hoc ſecundo modo ſint vniverſales, cum repræſentent plura vt deſcendunt à ratione, & idea divina, & vt ſunt in Deo, vt in cauſa, in quo ſunt modo prædicto: ideò repræſentant immediatè, & directè ſingularia, quæ Angelus ita per eas cognoſcit; quo modo ea nõ cognoſceret per ſpecies ab ipſis acceptas: cum hæ repræſentent immediatè, & directè naturam abſtractam, & indirectè ſingularia, à quibus abſtracta eſt, ita D. Thomas ad 1. & quæſ. 57. art. 2.

28 Cont. Licèt natura communis, vt eſt in ſingularibus, ſit, & repræſentetur in ratione, & idea divina, ſpecies Angeli nequit immediatè, & directè repręſentare illam, vt exiſtentem in ſingularibus: ergo. Prob. ant. Licèt Antichriſtus nunc ſit, & repræſentetur vt exiſtens in ratione & idea divina, ſpecies Angeli nequit repręſentare nunc Antichriſtum, vt exiſtentem: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: quia repræſentatio ideæ, & rationis divinæ menſuratur æternitate, in qua ſemel exiſtentia ſemper exiſtunt, & repræſentantur pro omni differentia temporis vt exiſtentia. Repręſentatio autem ſpeciei Angelicæ non menſuratur æternitate, ſed evo; in quo res non exiſtunt, niſi dum ſunt, & exiſtunt in ſe. Cum igitur Antichriſtus nunc exiſtat in æternitate, & non in ſe: ideò repræſentatur vt exiſtens in ratione, & idea divina, & non in ſpecie Angeli. In hac enim repræſentabitur vt exiſtens, dum ſit,

ſit, & exiſtat in ſe: quomodo repræſentatur quælibet natura in ſingularibus, dum eſt exiſtens in illis. Species namque Angeli non participat repræſentare omnia, vt ſemper exiſtẽtia: cum hoc pertineat ad æternitatem, quæ eſt imparticipabilis ab illa. Participat autem repręſentare omnia, vt ſunt in ratione diuina, à qua ipſa deſcendit, dum in ſe ſunt.

29 Arg. 5. Angelus poteſt accipere ſpecies à rebus immaterialibus: ergo non habet ſpecies earum infuſas. Prob. ant. Res immaterialis poteſt mittere Angelo ſpeciem: ergo. Prob. ant. Species miſſa â re immateriali poſſet tranſire ex illa ad intellectũ Angeli, qui tranſiret per medium: ergo. Prob. ant. Eſſet ſpiritualis, ſicut Angelus: ergo. Prob. conſeq. Sicut Angelus eſt ſpiritualis, ita talis ſpecies eſſet ſpiritualis; ſed Angelus poteſt tranſire de extremo ad extremum, quin tranſeat per medium: ergo. Reſpondebis, nego conſ. Cuius diſcriminis eſt duplex ratio: Nam Angelus eſt ſubſtantia ſpiritualis, quæ non indiget ſubiecto, ſed per ſe ſubſiſtit: & tranſit per operationem liberam, quia, & quomodo vult. Prædicta autem ſpecies ſpiritualis foret accidens; quod requirit ſubiectum, in quo ſit. Nec tranſiret per operationem liberam: cum hanc non haberet. Vnde debebat pertranſire medium; quod non poſſet recipere illam, cum materiale eſſet.

30 Cont. Quia Angelus eſt ſubſtantia ſpiritualis, & ſe mouens per operationem liberam, tranſit de extremo ad extremum, quin tranſeat per medium: ergo ita poteſt tranſire vſque ad alium Angelum, & accipere immediatè ſpeciem ab ipſo: aut hic venire ad illum; adducens ſpeciem ſui. Conſeq. patet: Nam tunc ſpecies iam eſſet in ſubſtantia Angeli, vt in ſubiecto; & talis tranſitus foret per operationem liberam Angeli. Reſp. nego conſeq. Ratio eſt: quia neuter Angelus poteſt illabi intellectui, aut ſubſtantiæ alterius: cum non ſit cauſa perfecta, nec adæquata illius, ſicut Deus, qui propterea illabitur: Sicque non haberet coniunctionem immediatam, vt præberet, aut acciperet ſpeciem.

31 Cont. Ut Angelus præbeat ſpeciem, aut accipiat illam ab altero, non requiritur talis illapſus: ergo. Prob. ant. Angelus non habet illapſum in intellectu hominis; ſed poteſt adducere ſpeciem ad illum: ergo. Maior. eſt certa: Cum nec ita efficiatur ab Angelo. Prob. min. ex Ang. Doct. quæſt. de Anima art. 18. ad 13. & art. 20. ad 11. aſſerente: *Animæ ſeparatæ infunduntur ſpecies mediantibus Angelis*: ergo. Reſp. admit-

to, & explico auth. Cuius ſenſus eſt: quod ſpecies cauſantur principaliter à Deo, qui eas infundit animæ, cui illabitur; etſi medient Angeli, quaſi Magiſtri, eas ordinantes, & extrinſecè proponentes. Quare Divus Thomas quæſt 89. art. 3. ait: *Anima ſeparata intelligit per ſpecies ſeparatas, quas recipit ex influentia divini luminis, ſicut & Angeli.* Et loc. cit. de Anima aſſerit: *Cauſantur huiuſmodi formæ in anima ſeparata per Angelum, non per modum creationis, ſed ſicut id, quod eſt in actu reducit aliquid ſui generis de potentia in actum.*

32 Arg. 6. Angelus poteſt illabi rei immateriali, etſi non efficiat illam: ergo poteſt accipere ſpeciem ab illa. Probat. antec. Angelus non efficit corpus; ſed poteſt illabi corpori: ergo. Reſp. diſt. min. Illapſu locali, conc. min. Eſſentiali, nego minor. & conſeq. Illapſus localis eſt: eſſe intra terminos quantitatis, & loci alterius. Eſſentialis eſt: eſſe intra terminos eſſentiæ; vt ſunt prædicata eſſentiæ, exiſtentia, & ſubſiſtentia. Cumque Angelus poſsit eſſe intra terminos quantitatis, & loci corporis: eo quod ibi operatur, & eſt vt in loco; non verò intra terminos ſuæ eſſentiæ, nec rei immaterialis, cum in eis non operetur: nam ſolus Deus, vt Creator, efficit ſic omnia: ideò habet illapſum localem in corpore; eſſentialem autem, nec in corpore, nec in re immateriali. Ita Ang. Mag. in 2. diſt. 8. quæſt. 1. artic. 3. ad 5. dicens: *Duplex eſt terminus, alter quantitatis, alter eſſentiæ. Angelus autem operans intra terminos corporalis quantitatis, corpori illabitur; non autem ita quod ſit intra terminos eſſentiæ ſuæ, nec ſicut pars, nec ſicut virtus dans eſſe, quia eſſe eſt per creationem à Deo.*

33 Cont. Licèt Angelus non habeat illapſum eſſentialem, poteſt habere quaſi illapſum localem in alio Angelo; ſed hoc ſufficit, vt præbeat ei, vel accipiat ab eo ſpeciem: ergo. Mai. patet: Siquidem duo Angeli poſſunt eſſe ſimul in eodem ſpatio, & loco materiali, in quo producant diverſos effectus, & non ſimul eumdem. Prob. min. Sufficit hoc, vt vnus Angelus operetur erga alium: ergo. Ant. conſtat: Nam vt dicitur Tobiæ 8. *Angelus Raphael apprehendit dæmonium, & religavit illum in deſerto.* Et Apocalip. 20. *Alter Angelus apprehendit draconem, qui eſt Angelus malus, & religavit illum per annos mille.*

34 Reſp. diſt. ant. Operetur per motum localem, conc. antec. Aliter, nego ant. & conſeq. Talis enim approximatio, quaſi indiſtantia, & coexiſtentia vtriuſque Angeli in eodem ſpatio, & loco materiali, quæ re vera non eſt

illap-

illapſus, ſufficit, vt vnus per motum localem operetur in alium. Vt patet in exemplis adductis: cum Angelus per eum nó efficiat quid intrinſecum in alio, ſed procedat quaſi ſuperior, & miniſter Dei, cui alter obedit. Veruntamen non ſufficit, vt præbeat alteri ſpeciem, nec vt accipiat illam ab altero: cum ad hoc requiratur virtus activa, & immutativa intellectus ipſius Angeli, per quam aliquid intrinſecum recipiat, & ſit intra alterum Angelum, aut intra intellectum illius. Cum igitur hoc repugnet: ideò allegatum obeſt, & Angelus nequaquam illabitur alteri, nec accipit ſpeciem ab illo.

35 Arg. 7. Si ſpecies forent ipſi Angelo per ſe infuſæ à Deo, eſſent ſupernaturales; ſed non ſunt ſupernaturales: ergo. Min. eſt certa: Cum ſint naturales; vt docet Ang. Mag. art 2. Prob. mai. Species per ſe infuſa à Deo, quæ non poteſt proprijs actibus acquiri ab intellectu creato, eſt ſupernaturalis: ergo. Prob. ant. Virtus per ſe infuſa à Deo, quam creatura proprijs actibus non poteſt acquirere, eſt ſuperntural̃is: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Nam in natura creaturæ non eſt exigentia talis virtutis, ſicut in Angelis eſt exigentia naturalis ſpecierum. Cum ergo in natura nulla ſit exigentia rei ſupernaturalis: ideò talis virtus eſt ſupernaturalis, non tamen ſpecies.

36 Arg 8 ex Ang. Præcept. quæſt 55. art. 2. aſſerente: *Species, per quas Angeli intelligunt, non ſunt à rebus acceptæ ſed eis connaturales:; Potentia verò intellectiva in Angelis naturaliter completa eſt per ſpecies intelligibiles connaturales, in quantum habent ſpecies intelligibiles connaturales ad omnia intelligenda, quæ naturali er cognoſcere poſſunt;* ſed quod ita eſt connaturale alicui, & complet naturaliter ipſum, dimanat vt proprietas ab illo: ergo ſpecies intelligibiles ſunt proprietates ipſius Angeli.

37 Reſp. admitto, & explico author. De connaturalitate principij paſsivi: cum Angelus, & intellectus Angeli connaturaliter exigat recipere tales ſpecies. Non de connaturalitate activi: cum non poſsit producere, nec aliquomodo cauſare illas. Quod requirebatur, vt eſſent proprietates eius. Huius connaturalitatis meminit Ang. Mag. 1. 2. quæſt 6 artic. 5 ad 2. Et nihilominus art. 2. oſtendit: Species non eſſe emanatas, ſed à Deo productas, dum ait: *Et ideo ſuam perfectionem intelligibilem conſequuntur per intelligibilem effluxum, quo à Deo ſpecies rerum cognitarum acceperunt.*

38 Cont. Licèt ſpecies ſint connaturales Angelo connaturalitate principij paſsivi, produ-

cun-

cuntur ſecundariò à Deo, eadem actione, qua primariò producit, & creat naturam Angeli: ergo vt proprietates illius. Prob.ant. Ang.Doct.loc. cit. docet: Quod ſicut materia Cœli producitur completa per ſuam formam, ita potentia intellectiva Angeli per ſpecies; ſed Deus eadem actione producit, & creat materiam, & formam Cœli: ergo. Reſp.nego conſ. Ratio eſt: Nam comparatio S.Doctoris non ſtat in productione vtriuſque,ſed in ſimultate, & non ſucceſsione: quia ſicut potentia materiæ Cœli ſimul completur vnica forma, & non ſucceſsivè pluribus, ſicut materia corporis inferioris; ita potentia intellectus Angeli completur ſtatim, & ſimul ab initio ſpeciebus intelligibilibus, & non ſucceſsivè ſicut intellectus hominis; non quia productio vtriuſque ſit ſimilis: nam cum materia, & forma ſubſtantialis Cœli ſint compartes eiuſdem compoſiti ſubſtantialis, fiunt eadem actione compoſiti. Enim verô cum ſpecies Angeli ſint accidentales, non petunt fieri eadem actione. Nec ſecundariò: cum præcisè ſint exaptæ à principio receptivo; non ab activo, nec dimanativo. Uni autem dicunt: quod fiunt à Deo eadem actione creativa Angeli:cū eadem actione creativa compoſiti, producat accidētia communia illius. Alij aſſerunt: quod in eodem inſtanti educit illas, ſicut educit gratiam.

## ARTICVLVS QUARTUS.

### *VTRVM ANGELVS intelligat per ſpecies vniverſales, & ſuperior per vniverſaliores.*

1 NOTO: Quod ſpecies poteſt dici vniverſalis ex parte rei repræſentatæ: vt cum repræſentat naturam in communi, & à ſingularibus abſtractam, & ex parte medij repræſentativi: vt cum per vnum medium plura repræſentantur. Ita Divus Thomas quæſt 55. art.3 de hac vniverſalitate procedit difficultas. Quæ non eſt vniverſalitas in eſſendo, & prædicando: cum ſpecies non ſit communis, nec præciſa ab inferioribus, nec repræſentans naturam in communi vt abſtractam. Eſt igitur vniverſalis in repræſentando, modo prædicto. Cuius dubij ſenſus eſt: An Angelus indigeat diſtincta ſpecie pro quolibet obiecto particulari cognoſcendo? An ſufficiat vnica pro pluribus? Thomiſtæ affirmant cum Divo Thoma art 3. & Beat. Albert. quæſt. 14. artic.2. & multi Jeſuitæ cum P. Suar. Scotiſtæ negant cum Subt. Doctor.

2 Concluſio: Angelus intelligit per ſpecies vniverſales, & ſuperior per vniverſaliores. Eam fundat Ang. Mag. art. 3. cum Sãct. Dion. aſſerente: *Superiores Angeli participant ſcientiam magis in vniverſali, quam inferiores.* Et in eo, quod dicitur in lib. de Cauſis: *Angeli ſuperiores habent formas magis vniverſales.*

3 Prob. 1. concluſ. ratione Divi Thomæ: Species repræſentans multa, & vniverſalis: & repræſentans plura, & vniverſalior; ſed Angelus intelligit per ſpeciem repræſentantem multa, & ſuperior per repræſentantem plura: ergo. Prob. min. Creatura intellectiva proximior, & ſimilior Deo, participat magis de medio cognitionis divinæ; ſed hoc eſt vnicum, repræſentans omnia: & Angelus eſt creatura intellectiva proximior, & ſimilior Deo, magiſque Angelus ſuperior: ergo. Mai. eſt certa: Nam ex proximitate, & ſimilitudine cum Deo, vt primo, & ſupremo in linea intellectiva, ſumitur maior, & perfectior participatio ipſius in tali linea. Min. quoad 1. part. conſtat ex dictis cum Ang. Mag. Siquidem Deus ſe ipſum, & omnia cognoſcit per eſſentiam divinam, vt ſpeciem. Quoad 2. part. patet ex ipſo ad 2. aſſerente: *Ex hoc ſunt in rebus aliqua ſuperiora, quod ſunt vni primo, quod eſt Deus, propinquiora, & ſimiliora.*

4 Roboratur: Deus, ſupremus in linea intellectiva, cognoſcit omnia per eſſentiam ſuam, vt ſpeciem: & homo, infimus in tali linea, cognoſcit quodlibet obiectum per ſpeciem diſtinctam; ita, vt tot recipiat ſpecies, quot obiecta primariò cognoſcit: ergo Angelus, medius inter Deum, & hominem, nec cognoſcit omnia per vnicam, nec ſingula per diſtinctas, ſed per vnam ſpeciem multa obiecta, & quo ſuperior plura vel per pauciores ſpecies: quæ ſunt ſpecies vniverſales, cum multa repræſentent; & vniverſaliores cum ad plura ſe extendunt. Quare Ang. Doctor ita concludit: *Vnde oportet, quod ea quæ Deus cognoſcit per vnum, inferiores intellectus cognoſcant per multa: & tantò amplius per plura, quantò amplius intellectus inferior fuerit. Sic igitur quantò Angelus fuerit ſuperior, tantò per pauciores ſpecies vniverſitatem intelligibilium apprehendere poterit: & ideo oportet quod eius formæ ſint vniverſaliores, quaſi ad plura ſe extendentes vnaquæque eorum.*

5 Reſpondebis: Quod Angelus, quia Deo propinquior, & ſimilior, & medius inter Deum, & hominem, atque ſuperior homine, & alijs Angelis, non habet intelligere per ſpecies vniverſales, nec vniverſaliores, ſive per vnum repræſentans plura: nam hoc eſt proprium Dei. Solùm enim

enim habet, ob dicta, maiorem actualitatem, & carere compoſitione, & potentialitate phiſica, quam habet homo; atque habere methaphiſicam, ſicut homo, cum Deus vtraque careat.

6 Cont. Quælibet res, quo propinquior, & ſimilior ſuo principio, magis participat de perfectione ſui principij; ſed intelligere omnia per vnicam ſpeciem, ſive per eſſentiam divinam, vt ſpeciem, & perfectio Dei: ergo Angelus propinquior, & ſimilior Deo, vt eſt quilibet reſpectu hominis, & Angelus ſuperior reſpectu inferioris, magis participat de hac perfectione: ſicque Angelus infimus, ſuperior homine, pro quolibet obiecto intelligendo non indigebit peculiari ſpecie, ſicut homo, ſed per vnicam ſpeciem intelliget multa obiecta; & gradatim Angelus ſuperior intelliget plura. Mai. eſt commune principium: Nam cum quælibet res habeat eſſe, & perfectionem à ſuo principio, præcipuè à primo, & ſummo, vt eſt Deus; quo ipſi propinquior, magis participat, & evadit ſimilior, perfectior, nobilior, & ſuperior. Min. eſt certa: Siquidem non ſolùm intelligere eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ reperitur in Deo; ſed etiam intelligere omnia per vnum: vt advertit Caietanus. Et conſtat ex definitione talis perfectionis: Nā melius eſt ſic intelligere, quam non ſic intelligere. Omnia vtique, & ſe per vnicam ſpeciem intelligere, eſt proprium Dei; qui ſe, & cuncta intelligit per eſſentiam divinam. Hoc autem imparticipabile eſt ab Angelo, & à qualibet creatura. Aliquid tamen huius perfectionis participabile eſt, nempe: intelligere multa per vnum, & per vnam ſpeciem. Effectus namque nunquam participat totam perfectionem primi, & ſummi principij, ſed aliquid talis perfectionis. Vnde Angelus participat intelligere per vnam ſpeciem multa, & ſuperior plura. In quo ſtat: quod ſpecies ſit vniverſalis, & vniverſalior.

7 Dices: Quod non ſequitur, quod Angelus, etiam ſuperior, cognoſcat per vnam ſpeciem plura: ſed quod cognoſcat clarius, & expreſsius, quam homo, & inferior, quæ repræſentantur per ſpeciem. Quod S. Thomas videtur indicare exemplo hominis: qui ex debilitate intellectus non percipit veritatem, niſi ei per ſingula explicetur: quam alter nobilioris intellectus ſtatim capit, ex paucis percipiens multa. Verumtamen hoc eſt contra mentem expreſſam Divi Thomæ, qui art. 3. ſtatuit hanc vniverſalitatem ſpecierum. Adducit autem prædictum exemplum: non vt teneat quoad omnia, & ſit idem, ac eius

reſolutio; ſed vt teneat quoad aliqua, & eam amplius expreſſet. Vnde advertit: *Et de hoc exemplum aliqualiter in nobis perſpici poteſt.*

8 Prob. 2. concluſ. ratione Divi Thomæ: Angellus intelligit per ſpecies, non a rebus acceptas, ſed ei inditas, & à Deo infuſas; non vt menſuratas cum rebus in ſe, ſed vt in idea, & ratione divina conſtitutis; ſed eadem ratio, & idea divina repreſentat plura obiecta ereata: ergo eadem ſpecies Angeli, vt ex illa deſcendit, plura repræſentabit: Et ſic erit vniverſalis, & in Angelo ſuperiori vniverſalior: cum in eo amplius participet de perfectione divina. Mai. eſt Ang. Doct. art. 2. ad 1. aſſerentis: *In mente Angeli ſunt ſimilitudines creaturarum, non quidem ab ipſis creaturis acceptæ, ſed à Deo, qui eſt creaturarum cauſa, & in quo primò ſimilitudines rerum exiſtunt.* Et quæſt. 56. art. 2. cum Mag. P. Aug. ait: *Ea, quæ in Verbo Dei ab æterno præextiterunt, dupliciter ab eo fluxerunt. Vno modo in intellectum angelicum. Alio modo vt ſubſiſterent in proprijs naturis. In intellectum autem angelicum proceſſerunt per hoc quod Deus menti angelicæ impreſsit rerum ſimilitudines, quas in eſſe naturali produxit.*

9 Dices: Hæc eſſe vera. Veruntamen, cum in Deo ſit idea ſpecialis de qualibet particulari creatura, exinde deſcendit ad Angelum ſpecies propria pro quolibet obiecto creato cognoſcendo: Sicque nec repræſentat plura, nec eſt vniverſalis. Pro quo advertendum eſt: quod quælibet creatura poteſt conſiderari ſecundùm ſe: & pro ea ſic conſiderata eſt in Deo particularis idea. Et prout dicit ordinem ad aliquid, vt vnum; vt ad compoſitionem vniverſi: Et pro ea ſic ſumpta non eſt in Deo idea ſpecialis, ſed pro illo vno, ad quod dicit ordinem. Species igitur Angeli non ſumitur, fluit, nec deſcendit ab illa idea particulari creaturæ ſecundùm ſe, ſed ab alia illius vnius, & totius. Vnde deſcendit cum minori, aut maiori vniverſalitate, iuxtà capacitatem Angeli, Deo magis, aut minus propinqui. Quod ita exemplificatur. Dum enim homo concipit *montem* ſecundùm ſe, & *aurum* ſecundùm ſe, format peculiarem ſpeciem montis, & peculiarem auri. Dum autem apprehendit *montem aureum*, format vnicam ſpeciem pro vtroque: quia reſpiciuntur vt vnum per compoſitionem. Propterea artifex adunat in ſigillo plurima: vt Crucifixum, Crucem, Stellam, & alia: Ex quibus videtur vnicum ſigillum conſtitutum. Sic ergo in idea divina ſunt plura, quę ordinat Deus in vnica ſpecie Angeli, & exinde talia repræſentat: Sicque in quolibet Angelo eſt vniverſalis, & in

ſuperiori vniverſalior. In hoc conveniunt ferè omnes, (ſi Scotiſtas demas) vt fatetur P. Alarcon cit. à Doct. Euſebio.

10 Enim verò eſt aliquale diſſidium circa maioritatem huius vniverſalitatis. An in quolibet Angelo ſuperiori ſecundùm gradum ſpecificum ſit ſpecies vniverſalior? An verò iuxta diverſitatem hierarchiæ; ita vt in Angelis eiuſdem hierarchiæ ſpecies ſit æque vniverſalis? Hoc tenent M. Ferrarienſis, Bañez, & alij. Illud M. Joan. à S. Th. Serra, Lezana, Ferre, Salm. Euſeb. & communiter Thomiſtæ. Conſtat ſatis ex Divo Thoma quæſt. 55. artic. 3. dicente: *Quantò Angelus fuerit ſuperior, tanto per pauciores ſpecies vniverſitatem intelligibilium apprehendere poterit.* Vbi ſine addito hierarchiæ, abſolutè in quolibet Angelo ſuperiori ſtatuit maiorem vniverſalitatem ſpeciei.

11 Hoc patet ex ratione ipſius: Siquidem Angel. Mag. eam ſtatuit in Angelo ſuperiori, propinquiori, & ſimiliori Deo; quod non habet iuxta diſtinctionem hierarchię, ſed ſpeciei: cum propterea inter Angelos eiuſdem hierarchiæ vnus ſit ſuperior alio, propinquior, & ſimilior Deo. Vnde ſicut ipſi non ſunt ęquales, ſed vnus alio ſuperior; nec ſpecies eorum ſunt æquales, ſed ſpecies Angeli ſuperioris eſt vniverſalior. Confirmat hoc Ang. Doct. quæſt. 8. de Verit. art. 10. vbi docet: *Angelum intelligere per ſpecies tanto vniverſaliores, quantò in Angelo fuerit plus de actu, & minus de potentia.* Qui exceſſus eſt iuxta gradum ſpecificum, & non per diverſitatem hierarchicam.

12 Arg. 1. Species vniverſalis, per quam Angelus intelligeret, contineret in eſſe repræſentativo plures quidditates, & naturas; ſed ſpecies creata, eas ita continens, repugnat: ergo Angelus non intelligit per ſpecies vniverſales. Prob. minor. Repugnat ſpecies creata determinata ad vnicum eſſe ſpecificum, continens in eſſe repręſentativo plures quidditates, & naturas; ſed talis ſpecies creata eſſet determinata ad vnicum eſſe ſpecificum: ergo. Min. eſt certa: Nam omnis ſpecies creata eſt ita determinata. Prob. mai. Repugnat natura creata determinata ad vnicum eſſe ſpecificum, continens in ſe, & in eſſe reali plures quidditates, & naturas: ergo. Prob. conſ. Sicut omnis natura creata eſt finita, ita ſpecies; ſed: ergo.

13 Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia omnis natura creata eſt inſtituta, vt ſit, & determinata ad vnicum eſſe ſpecificum, vt ſolùm ſit ſecundùm tale eſſe: Sicque in eſſe reali non continet alias naturas, nec quidditates. Species

autem intelligibilis non tantùm eſt inſtituta, vt ſit, quantum vt alia repræſentet. Quare licèt ſecundùm proprium eſſe entitativum ſit determinata ad vnum eſſe ſpecificum: cum in tali eſſe ſit natura particularis, & determinata in ſua linea; in eſſe repræſentativo eſt inſtituta, vt Angelo repræſentet plura, & plures quidditates, & naturas, vt ſunt in idea divina: itaque continet illas. Si interroges: Unde hoc ſumimus? Ab Angelico Doct. à M.P. Auguſtino, & S. Dioniſio, iam relatis; & rationibus ex ipſis deductis, & propoſitis. Quin & Divus Thomas in 2. diſt. 13. quæſt. 2 artic 3. aſſerit: *Formæ, quæ ſunt in mente Angeli, ſunt ſimilitudinæ rationibus idealibus in mente divina exiſtentibus ſicut deductæ immediatè exemplariter ab eis.*

14 Cont. Licèt ſpecies intelligibilis Angeli ſit inſtituta, vt repræſentet, ſi eſt determinata ita ad vnum eſſe ſpecificum, non poteſt in eſſe repræſentativo continere plures quidditates, & naturas: ergo. Prob. antec. Species ita determinata, etiam eſt determinata ſpecificè in eſſe repræſentativo; ſed ſpecies determinata ſpecificè in eſſe repræſentativo, non poteſt in hoc eſſe continere plures quidditates, & naturas: ergo. Mai. eſt certa: Cum habeat determinatam repræſentationem, & non indifferentem.

15 Reſp. diſt. mai. In eſſe repræſentativo vnius, nego mai. Pluriũ, conc. mai. & diſt. min. Vnius conc. min. Plurium, nego min. & conſ. Deus enim infundit ſpecie Angelo, & cuilibet ſpeciei præbet repræſentationem determinatam nam amplius non repræſentabit niſi quod Deus ordinaverit: Sicque quælibet eſt ſpecificè determinata in eſſe repræſentativo non vnius obiecti, ſed plurium cum tribuat eas exemplificatas ab ideis divinis, in quibus ſimul ſunt plura. Cumque ſpecies ſic determinata contineat in eſſe repræſentativo plures quidditates, & naturas: ideò ſpecies Angeli continet, & repræſentat illas. Hoc patet in ſigillo: quod eſt ſpecificè, & numericè vnum, & continet ita diverſa: Et ſimiliter hic idem liber varias notitias.

16 Cont. Species ita determinata, non poteſt eſſe repræſentativa plurium: ergo debet eſſe determinata in eſſe repræſentativo vnius. Probat. ant. Idem non poteſt eſſe ratio multorum; ſed ſi ſpecies ita determinata foret repræſentativa plurium, eſſet ratio multorum: ergo. Reſp. diſt. mai. Ratio adæquata, conc. mai. Excellens, nego mai. & diſt. minor. Ratio excellens, conc. min. Adæquata, nego min. & conſ. Ratio excellens eſt nobilior, & ſuperior. Adæquata eſt eiuſdem ordinis

cum

cum re, cuius eſt ratio, aut repræſentatio. Eadem enim ratio adæquata non poteſt eſſe ratio, nec repræſentatio multorum: cum ea non contineat, adhuc in eſſe repræſentativo. Poteſt tamen eſſe ratio excellens, quæ ob ſui perfectionem, & excellentiam continet multa, ſaltim in eſſe repræſentativo. Cum ergo ſpecies Angeli ſit ratio excellens: ideò poteſt eſſe propria ratio, & ſimilitudo multorum, & continere in eſſe repræſentativo illa. Sic Angel. Mag. art. 3. ad 3. addens: *Similiter eſſentia divina accipitur propter ſui excellentiam, propria ratio ſingulorum, quæ ſunt in ea. Vnde ſingula ſibi ſimilantur ſecundùm proprias rationes. Et eodem modo dicendum eſt de ratione vniverſali, quæ eſt in mente Angeli, quod per eam propter eius excellentiam multa cognoſci poſſunt propria cognitione.*

17 Cont. Species Angeli, ita excellens, non poteſt eſſe ratio propria repræſentativa plurium: ergo. Probat. ant. Non poteſt eſſe ratio propria repræſentativa hominis, leonis, & equi: ergo. Prob. ant. Ratio propria repræſentativa hominis eſt in eſſe repræſentativo, & intelligibili homo: ratio leonis leo, & ratio equi equus; ſed ſpecies Angeli, ita excellens, non poteſt in eſſe repræſentativo, & intelligibili eſſe homo, leo, & equus: ergo. Reſp. diſt. min. Ut plura ſunt, conc. min. Ut non ſunt plura, nego min. & ita diſt. conſ. Homo, leo, equus, & quælibet alia natura, prout in ſe conſiderata ſunt plura: Cum ad invicem diſtinguantur ſpecificè. Vt autem conſiderantur vt partes vniverſi, & in idea divina, ſunt idem in ratione ideati. Et licèt eadem ratio, etſi excellens, non ſit propria ratio illorum vt in ſe, & vt plura ſunt; nec ſimul ita ſit homo, leo, & equus; eſt ratio eorum, vt ſecundo modo ſunt idem, & non plura. Cumque ſpecies Angeli ſit ratio illorum iſto modo, & ſub tali ordine: ideò in hoc ſenſu eſt ratio excellens eorum.

18 Cont. Si ſpecies vniverſalis Angeli eſſet propria ratio hominis, leonis, & equi, in eſſe repræſentativo, & intelligibili foret homo, leo, & equus, vt ſunt plura: ergo. Prob. ant. Quia ſpecies particulares hominis, leonis, & equi ſunt propriæ rationes eorum, in eſſe repræſentativo, & intelligibili ſunt homo, leo, & equus, vt ſunt plura: ergo. Prob. conſ. Tam expreſsè repræſentarentur per ſpeciem vniverſalem Angeli, ac per ſuas ſpecies particulares; ſed: ergo. Reſp. nego conſeq. Diſcrimen eſt: Quia ſpecies particulares propriæ repræſentant eos, vt ſunt in ſe, & vt mutuò diſtinguuntur; non vt conſtituunt vniverſum, & vt ſic ſunt idem in

idea divina: quomodo ſpecies Angeli repræſentat illos.

19 Cont. Species Angeli nequit ita, vt propria ratio excellens, repræſentare plures quidditates, & naturas, vt non plures, ſed vt vnum: ergo. Prob. antec. Nequit ita repræſentare quidditates, & naturas infinitas: ergo. Prob. conſ. Eadem eſt ratio reſpectu cuiuslibet quidditatis, & naturæ; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia nec ſunt, nec poſſunt eſſe quidditates, & naturæ creatæ infinitæ in actu; vt docet Ang. Mag. Vnde nec poteſt eſſe ſpecies creata repræſentans illas. Poſſunt autem eſſe infinitæ in potentia; quæ ſunt finitæ, & determinatæ in actu: quarum ſpecies Angeli poteſt eſſe repræſentativa. Enim verò Deus decrevit productionem huius vniverſi, & determinatum numerum creaturarum in eo producendum; qui eſt in ideis divinis, ex quibus iuxta ſuam voluntatem ordinavit ſpecies intelligibiles Angeli; quæ repræſentant plura, vel pauciora obiecta, ſecundùm ordinationem divinam, quæ ſe accomodavit naturæ angelicę, ita vt intellectui Angeli ſuperioris infuderit ſpecies vniverſaliores, & pauciores. Quo ordine? Non eſt facile aſſignare illum.

20 Authores huius reſolutionis conveniunt in hoc: Quod Angelus ſupremus, vt quilibet alius per ſuam ſubſtantiam, vt ſpeciem, cognoſcit ſe, ſuaque naturalia: Et per vnicam ſpeciem, ei additam, & inditam poteſt cognoſcere reliqua omnia. Angelus, ei immediatus, per vnam ſpeciem omnia ſibi inferiora, & per aliam Angelum ſibi ſuperiorem. Ita vt ſupremus habeat vnicam ſpeciem, & inferior immediatus duas: Sicque reſpectivè evenit vſque ad vltimum: nam quilibet poteſt per vnicam ſpeciem cognoſcere omnia ſibi inferiora, cum reſpectu eorum ſit ratio excellens; & reſpectu cuiuſcumque ſuperioris eget ſpecie diſtincta: cum ſit ratio adæquata. Quare Angelus omnibus inferior, pro cunctis obiectis creatis alterius naturæ habebit vnicam ſpeciem; & pro ſingulis Angelis ſingulas ſpecies, & tot ſpecies, quot ſunt Angeli ſuperiores. Cum igitur hæc omnia iam ſint in vniverſo determinata, & non infinita: ideò ſpecies Angeli ex vi præſentis providentiæ non eſt repræſentativa rei infinitæ, ſed continet in eſſe repræſentativo plures quidditates, & naturas, modo prædicto determinatas.

21 Nec obeſt: quod ſi Deus de novo produceret alium Angelum ſupremum, eſſet novitas in omnibus Angelis: nam quilibet reciperet novam ſpeciem pro eo repræſentando, & cognoſcendo.

Siquidem reſolutio noſtra procedit in præſenti providentia, & in his, quæ Deus fecit. Non in alia, nec in illis, quæ poteſt facere. Neſcimus namque quid eveniret in tali caſu. Si illa vtique providentia foret, ſicut hæc, talis novitas ſine inconvenienti accideret; & Angelus ſupremus de novo productus cognoſceret per vnicam ſpeciem omnia, modo, quo nunc ſupremus exiſtens ea cognoſcit; & hic haberet vnam ſpeciem ſuperadditam, qua cognoſceret novum Angelum. Et ſic de reliquis. Ita D. Thomas quęſt. 56. art. 2. ad 2.

22 Nec objicias: quod iuxta hæc ſpecies, quibus Angelus inferior cognoſcit ſuperiores, non ſunt vniverſales: cum repræſentent vnicum Angelum: ergo non omnes ſpecies Angeli ſunt vniverſales. Reſp. enim: quod ſpecies repræſentativæ ſuperiorum non ſunt vniverſales: cum ſint adæquatæ. Sunt tamen vniverſales ſpecies repræſentativæ inferiorum: cum ſint excellentes. Et de his procedit reſolutio. Nec inſtes: Angelus poteſt cognoſcere ſimul omnia repræſentata per vnicam ſpeciem; & non cognoſcit ſimul tot obiecta. Et præcipue Angelus ſupremus videtur non cognoſcere ſimul omnes creaturas vniverſi: ergo quia nec ſpecies repræſentativæ ſunt ita vniverſales, vt toto obiecta repręſentent. Reſp. enim: quod ſi Angelus velit, poteſt ſimul cognoſcere omnia obiecta repræſentata per vnicam ſpeciem: cum virtus eius cognoſcitiva ſit maximè perfecta, & prædicta ſpecies ſit ſimilitudo omnium. Veruntamen vtitur repræſentatione pro ſuo libito; vt refert M. Serra: & tunc cognoſcit, quæ vult cognoſcere. Et quia omnes creaturæ non exiſtunt ſimul, ſed ſuccesſivè in vniverſo, ſpecies Angeli eſt repræſentativa omnium; & actu repræſentat eas, quæ exiſtunt, quas & Angelus cognoſcit, quin cognoſcat non exiſtentes. Quod non eſt defectu ſpeciei, nec alicuius recti, ſed defectu ſolius connotati.

23 Arg. 2. Species Angeli non eſt vniverſalis: ergo Angelus non intelligit per ſpecies vniverſales. Prob. ant. Univerſale eſt quid abſtractum à particularibus; ſed ſpecies Angeli non eſt abſtracta à particularibus: ergo. Reſp. diſt. mai. Univerſale in repræſentando, nego mai. In eſſendo, conc. mai. & min. & ita diſt. conſ. Vel vt num. 1. Univerſale ex parte rei cognitæ, & repræſentatæ, conc. Ex parte medij cognoſcendi, & repræſentandi, nego. Vel aliter: Univerſale à *re*, conc. Ad *rem*, nego. Sic Angel. Doctor in 2. diſt. 3. quæſt. 2. art. 2. ad 1. dicens: *Triplex eſt vniverſale.*

*In re, à re, & ad rem.* Ipſum autem ſic explicat. Univerſale *in re* eſt ipſa natura, quæ eſt in particularibus, etſi non ſub ratione vniverſalitatis in actu. Univerſale à *re* eſt acceptum à re per abſtractionē. *Ad rem* quod eſt prius re ipſa. Sicut forma domus in mente ædificatoris eſt prior domo ipſa. Licèt ergo vniverſale à *re* ſit abſtractum à particularibu; non verò vniverſale *ad rem*. Et cum ſpecies Angeli ſint vniverſales *ad rem*, quatenus ſunt priores rebus, quæ in ipſis præexiſtunt modo explicato: ideò non ſunt abſtractæ à particularibus. Et in hoc artic.3.ad 1. iſtud vniverſale appellat: *Quodammodo ante res præexiſtens.* Illud inſinuat vt à rebus per cognitionem acceptum. Et loquens de vniverſali ad rem, ait: *Sicut vniverſales rerum rationes ſunt in intellectu angelico.*

24 Cont. Angelus non intelligit per ſpeciem vniverſalem in repræſentando, ex parte medij, & ad rem: ergo. Prob. ant. Vt Angelus intelligeret per ſpeciem ita vniverſalem, talis ſpecies debebat repræſentare vnum obiectum; ſed non repræſentat vnum obiectum: ergo. Mai. patet: Quia ſpecies eſſet vna, & ſumit vnitatem ab obiecto. Min. cōſtat: Nam repræſentat plura obiecta. Reſp. diſt. mai. Vnum obiectum in ſe, nego mai. In ratione ideati, & prout in ſpecie, conc. mai. & diſt. min. In ſe, conc. min. In ratione ideati, & prout in ſpecie, nego min. & conſ. Variant AA. in hac vnitate aſsignanda; vt poteſt videri in M. Joan. à S.Th. & Doct. Euſeb. Nos autem conſequenter ad prædicta, aſſerimus: Quod obiecta repræſentata per ſpeciem Angeli in ſe ſunt multa, & non vnum. In ratione autem ideati, in idea divina, & vt deſcendunt ad ſpeciem angelicam, ſunt vnum: Cum hoc ſit aliquid conſtitutum ex eis, vt totum: Sicut vniverſum ex omnibus creaturis, aut collectio hominum ex omnibus hominibus. Vbi quælibet pars, ſive creatura, eſt obiectum inadæquatum; & omnes ſimul ſunt vnicum adæquatum. Cum ergo ſufficiat hæc vnitas obiecti, vt ſpecies ſit vna, & ita vniverſalis: ideò eſt.

25 Hæc doctrina videtur expreſſa in Ang. Doct. quæſt.8. de Verit. art.10.ad 3. aſſerente: *Id quod vnum eſt, non poteſt eſſe ratio propria plurimorum, ſi ſit eis adæquatum; ſed ſi ſit ſuperexcedens, poteſt eſſe propria ratio plurium, quia continet in ſe vniformiter propria vniuſcuiuſque, quæ in eis diviſim inveniuntur. Et hoc modo eſſentia divina eſt propria ratio rerum omnium quia in ipſa vniformiter præexiſtit quidquid diviſim in omnibus creaturis invenitur, vt Dion. dicit. Et ſi*

*militer cum formæ intellectus Angeli ſint excellentiores rebus ipſis, vtpote diuinæ eſſentiæ propinquiores, non eſt inconueniens ſi vna forma intellectus angelici ſit propria ratio plurium ſecundùm diuerſas eius habitudines ad res diuerſas, ex quibus habitudinibus conſurgit pluralitas idearum.*

26 Arg.3. Angelus ſuperior habet ſcientiam perfectiorem, quàm inferior; ſed ſi cognoſceret per ſpecies vniuerſaliores, non haberet ſcientiam perfectiorem, ſed imperfectiorem: ergo. Prob. min. Cognitio rei in ſpeciali eſt ſcientia perfectior, quàm cognitio rei in vniuerſali; ſed ſi cognoſceret per ſpecies vniuerſaliores, eius ſcientia eſſet cognitio rei in vniuerſali: ergo. Min. patet: Nam eſſet in tali ſpecie vniuerſali. Reſp. diſt. mai. In vniuerſali ex parte rei cognitę, conc. mai. Ex parte medij cognoſcendi, nego mai. & diſt. min. Ex parte medij, conc min. Rei cognitæ, nego min. & conſ. Vniuerſale ex parte rei cognitæ eſt natura vniuerſalis cognita, vt præciſſa. Vniuerſale ex parte medij eſt medium cognoſcendi plura. Et licèt cognitio primi vniuerſalis ſit ſcientia imperfectior, quàm cognitio rei in ſpeciali: nam cognitio animalis abſtracti eſt ſcientia imperfectior, quàm cognitio animalis concreti in homine, vel ipſius hominis. Cognitio verò rei in vniuerſali ex parte medij eſt perfectior. Quare Ang. Doct. artic.3 ad 2. ait: *Perfectior enim eſt intellectus, qui per vnum vniuerſale medium poteſt ſingula propria cognoſcere, quàm qui non poteſt.* Et ad 3. addit: *Si ſit excellens.* Et cum ſpecies Angeli ſit vniuerſalis in ratione medij: ideò cognitio rei in illa, & per illa non eſt perfectior; & quo ipſa vniuerſalior, erit perfectior: Sicque Angelus ſuperior intelligit per ſpeciem vniuerſaliorem. Vnde Diuus Thomas concludit: *Et eodem modo dicendum eſt de ratione vniuerſali, quæ eſt in mente Angeli.*

27 Cont. Vt cognitio Angeli ſuperioris ſit perfectior, non exigitur, quòd intelligat per ſpeciem vniuerſaliorem in ratione medij: ergo. Prob ant. Etſi omnes Angeli intelligant per eandem ſpeciem, aut per æquales, ſcientia ſuperioris erit perfectior: ergo. Prob ant. Etſi omnes intelligant per vnum intellectum, perfectior eſt intellectus, & intellectio ſuperioris: ergo Prob conſ. Sicut ſpecies concurrit vt medium ad intellectionem, ita intellectus vt potentia; ſed: ergo.

28 Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia perfectio intellectus non ſumitur à receſſu à pluralitate intellectuum, ſed ab actualitate, & re-

receſſu à potentialitate: cum per hoc accedat magis ad intellectum divinum. Et cum intellectus Angeli ſuperioris recedat magis à potentialitate, & ſit actualior, quàm intellectus inferioris: ideò etſi omnes intelligant vnico intellectu, intellectus erit perfectior, ſicut & intellectio ipſius. Perfectio autem ſpeciei intelligibilis ſumitur ex receſſu à pluralitate ſpecierum, quibus homo intelligit, & ex acceſſu ad vnitatem ſpeciei, qua Deus cognoſcit: cum hoc arguat maiorem continentiam obiectorum, & excellentiam ſpeciei. Et cum homo intelligat per plures ſpecies, & Deus per vnicam, erit ſpecies perfectior, quæ ſit magis vna, & plura repræſentet; quæ eſt vniverſalior: Sicque cognitio per illam erit perfectior. Cumque Angelus ſuperior ſit diſtantior ab homine, & proximior Deo: ideò ita procedit, vt eius ſpecies, ſcientia, & cognitio ſit perfectior.

29 Cont. Species, quò vniverſalior, non eſt perfectior: ergo etſi Angelus ſuperior intelligat per ſpeciem perfectiorem, non per vniverſaliorem. Probat. ant. Species deſervientes ſcientię infuſæ Animæ Chriſti, ſunt perfectiores ſpeciebus Angeli; ſed non ſunt vniverſaliores: ergo. Mai. patet ex Ang. Mag 3 part. quæ. 11. art. 4. propterea aſſerente: *Scientia indita Animæ Chriſti, fuit multo excellentior, quàm Angelorum ſcientia.* Min. conſtat ex eodem art. 6. dicente: *Scientia indita Animæ Chriſti habuit modum connaturalem animæ humanæ. Eſt autem connaturale animæ humanæ, vt recipiat ſpecies in minori vniverſalitate, quàm Angeli.*

30 Reſp. diſt mai. Ex parte modi recipientis, nego mai. Ex parte Dei influentis, conc. mai. & min. & ſimiliter diſt. conſeq. Hæc eſt gravis difficultas, ad Tractat. de Incarnat. pertinens. Vt autem hic ſatisfiat, verba Ang. Doct. art. 6. ad 1. audite: *Scientia Animæ Chriſti eſt perfectiſsima, & excedens Angelorum ſcientiam, quantum ad id quod conſideratur in ea ex parte Dei influentis: eſt tamen infra ſcientiam angelicam, quantum ad modum recipientis. Et ad huiuſmodi modum pertinet, quod ſcientia illa per multos habitus diſtinguatur, quaſi per ſpecies magis particulares exiſtens.*

31 Arg. 4. Angeli iuxta diſtinctionem hierarchiæ, intelligunt per ſpecies vniverſaliores: ergo non ſecundùm ſuperioritatem in gradu ſpecifico. Prob ant. ex D Thoma quæſt. 108. art. 1. it aſſerente: *Superiores Angeli habent vniverſaliorem cognitionem veritatis quàm inferiores. Huiuſmodi autem vniverſalis acceptio cognitionis ſecundum tres gradus in Angelis diſtin-*

ſtingui poteſt. In primo gradu collocat Angelos primæ hierarchiæ, in ſecundo ſecundæ, & in tertio tertiæ: ergo.

32 Reſp. admitto, & explico auth. In qua Ang. Doct. non diſtinguit hierarchias Angelorum iuxta diſtinctionem ſpecierum, ſed ſecundùm varietatem acceptionis earum, & cauſarum, à quibus eas immediatè accipiunt, & Angeli illuminantur. Sic enim proſequitur: *Poſſunt enim rationes rerum, de quibus Angeli illuminantur, conſiderari tripliciter. Primò quidem ſecundùm quod procedunt à primo principio vniverſali; quod eſt Deus. Et iſte modus convenit primæ hierarchiæ, quæ immediatè ad Deum extenditur. Secundo verò, prout huiuſmodi rationes dependent ab vniverſalibus cauſis creatis, quæ iam aliquo modo multiplicantur. Et hic modus convenit ſecundæ hierarchiæ: Tertio autem modo ſecundum quod huiuſmodi rationes applicantur ſingulis rebus, prout dependent à proprijs cauſis. Et hic modus convenit infimæ hierarchiæ.* Cuius ratio eſt: Nam hierarchia non eſt ordo naturæ, ſed principatus, gubernationis, & diſpoſitionis: qui ordo in Angelis eſt triplex, iuxta triplicem ordinem aſsignatum acceptionis, & vſus ſpecierum. Cognitio autem abſoluta Angelorum attendit ordinem naturæ, ita vt omnes Angeli ſint diverſæ ſpeciei, & nullus æqualis cum alio, ſed vnus alio ſuperior; qui, propter prædicta, intelligit per ſpecies vniverſaliores.

## ARTICULUS QVINTUS.

### *DE HIS, QVÆ ANGELVS cognoſcit.*

1 PRÆMITTO 1. Quod Angelus cognoſcit ſe ipſum. Ita D. Thomas quæſt. 56. art. 1. Quod fundat cum D. Aug. dicente de Angelo: *Cognoſcit ſe ipſum.* Cuius rationem præbet, inquiens: *Angelus autem cum ſit immaterialis, eſt quædam forma ſubſiſtens: & per hoc intelligibilis actu. Vnde ſequitur, quod per ſuam formam, quæ eſt ſua ſubſtantia, ſe ipſum intelligat.* Et objiciens ſibi illud S. Dion. cap. 6. de Coel. hierarch. *Angeli ignorant proprias virtutes.* Reſpondet ad 1. Quod talis litera antiquæ tranſlationis correpta eſt in nova, in qua dicitur: *Angelos cognoviſſe proprias virtutes.* In hoc conveniunt omnes. Imò Thomiſtæ propugnant: Angelum ſemper, & neceſſario ſe ipſum cognoſcere. Nec de lege ordinaria poſſe à cognitione ſui ceſſare.

2 Conſtat ex Ang. Præcept. quæſt. 8 de Verit. art. 6. ad 7. ſic affante: *Intellectus Angeli non eſt in potentia reſpectu eius eſſentiæ, ſed*

*reſpectu eius ſemper eſt in actu.* Et art.14.ad 6. *Mens Angeli intelligit ſe per eſſentiam ſuam, quæ ſemper informatur.* Et ratio eſt: Quia intellectio propriæ ſubſtantiæ Angeli eſt quaſi proprietas naturæ ipſius, eo quod ex vi creationis accipit a Deo omnia requiſita ad illam: nempe, principium radicale intelligendi, intellectum, ſpeciem, & obiectum idem cum ipſa. Sicut propterea motus cordis dicitur proprietas illius, & motus deorſum corporis gravis: quia habent omnia requiſita à generante.

3 Confirmatur: Vivens habet ſemper aliquam operationem vitalem, nec ceſſat ab aliquo exercitio vitæ: cum actu vivat; ſed Angelus eſt perfecte vivens: ergo cum non habeat aliam operationem vitalem, niſi intellectivam, & volitivam, ſemper erit intelligens in actu: cum volitio requirat intellectionem. Cum igitur propria ſubſtantia ſit obiectum magis proportionatum ipſius, & modo inſinuato ſit vnita proprio intellectui, eam ſemper ita intelligit. Quapropter dum Angelus intelligit alia, non poteſt diverti à propria cognitione: cum ipſe ſit intimè præſens proprio intellectui. Ideò Mag.Serra oſtendit: quod ſemper ſe cognoſcit intuitivè; nec poteſt ſe cognoſcere abſtractivè: cum non præſcindat à ſua præſentia.

4 Dices: Quod datur vivens ſenſitivum ſine actuali ſenſatione. Et rationale, atque intellectivum ſine actuali cognitione. Vt quotidie patet in homine dormiente: ergo vivens, & Angelus poteſt ceſſare ab actuali operatione. Reſp. Quod vivens, potens elicere plures operationes, poteſt ceſſare ab aliquibus, dummodo ſemper exerceat aliquam; ne verificetur eſſe ſine exercitio vitæ. Et cum homo dormiens iam exerceat nutritionem vitæ, quæ eſt exercitium, & operatio vitæ vegetativæ; ceſſat à ſenſatione, & intellectione in ſomno, ob ligationem ſenſuum, & non vigilantiam intellectus. Enimverò cum vivens eſt capax vnica operatione, vt Angelus, ab ea non ceſſat, vt ſemper actu vivat. Propterea Divus Thomas art.1.ait: Angelum eſſe in actu, & non in potentia ad ſui cognitionem. Et quęſt. 58 art.1.ad 3. dicit: *Nec intellectus Angeli ſic eſt in potentia, quod ſit abſque actu.*

5 Præmitto 2. Quod Angelus per ſua naturalia cognoſcit Deum, vt Authorem naturæ. Ita Ang.Mag.quæſt.56.art.3. Quod probat ſic: Angeli ſunt potentiores in cognoſcendo, quàm homines; ſed homines per ſua naturalia Deum cognoſcere poſſunt: ſecundùm illud Rom.1. *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis*: ergo

go

go multò magis Angeli. Cuius rationem præbet: Nam in ipſa natura Angeli eſt impreſſa imago, & ſimilitudo Dei, vt Authoris naturæ: quare dum Angelus ſe ipſum cognoſcit, ſic etiam Deum intelligit; iuxta illud Rom. *Inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* Vnde eſt communis intelligentia: quod Angelus ita etiam cognoſcit neceſſariò Deum; cum ſe ipſum neceſſariò cognoſcat, & in eo ſplendeat imago, & ſimilitudo Dei, ad quem dicit habitudinem, ſubordinationem, & dependentiam, & neceſſariam connexionem cum ipſo. Quapropter Ang. Doctor concludit: *Ipſa natura Angeli eſt quoddam ſpeculum divinam ſimilitudinem repræſentans.*

6 Præmitto 3. Angelum cognoſcere alios Angelios, omniaque immaterialia, & materialia. Ita Ang. Doct. quæſt. 56. artic. 2. & quæſt. 57. art. 1. Primum fundat art. 2. in illo lib. de Cauſis: *Omnis intelligentia ſcit res, quæ non corrumpuntur.* Vtrumque autem oſtẽdit, dicens: *Naturarum tàm ſpiritualium, quàm corporalium rationes ſunt ei impreſſæ ſecundùm eſſe intellectuale tantum, vt videlicet per huiuſmodi ſpecies impreſſas tàm creaturas corporales, quàm ſpirituales cognoſceret.* Et ratio eſt: Quia omnia obiecta prædicta ſunt ens verum creatum, intra obiectum Angeli contentum; qui eſt ornatus omnibus ſpeciebus, vt valeat cognoſcere illa. Hæc autem non ita neceſſariò cognoſcit, quin poſsit à cognitione eorum ceſſare: cum ea non cognoſcat per ſua naturalia, ſed per ſpecies inditas, & additas. Hæc patent in B. Alb. 2. part. quæſt. 14. art. 2.

7 Præcipua difficultas eſt: Utrum Angelus inferior comprehendit ſuperiorem? Et non procedit de comprehenſione lata, quæ eſt quelibet cognitio obiecti. Sic enim eum comprehendit: cum ipſum quidditativè cognoſcat. Sed de rigoroſa, quæ eſt cognitio obiecti omni modo, quo ex natura ſua cognoſcibile eſt. Quare, cum quilibet Angelus ita ſe cognoſcat, ſimiliter ſe comprehendit. Sicut & ſuperior comprehendit inferiorem: cum virtus cognoſcitiva illius adæquet cognoſcibilitatem obiecti. Circa quæſitum autem eſt diviſio, etiam inter Thomiſtas: Nam affirmant Em. Caiet. M. Nazar. Joan. à S. Thoma, Serra, Lezana, Gonet, Zumel, & alij. Et negant M. Ferrarienſ. Sotus, Victoria, Araujo, Gonzalez, PP. Salm. & multi.

8 Concluſio: Angelus inferior non comprehendit ſuperiorem. Probat. 1. concluſ. ratione: Cognitio comprehenſiva propria obiecti, eſt cognitio illius, quantum ex natura ſua cognoſcibile

eſt; ſed Angelus inferior non cognoſcit ſuperiorem quantum ex natura ſua cognoſcibilis eſt: ergo. Mai. eſt D. Thomæ quæſt. 12. art. 7. aſſerentis cum D. Auguſt. *Illud comprehenditur, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumſpici, aut circumſcribi poſſunt: tunc autem fines alicuius circumſpiciuntur, quando ad finem in modo cognoſcendi illam rem pervenitur.* Min. conſtat ex Ang. D. 2. cont. Gent cap. 98. dicente: *Cognoſcit igitur ſubſtantia ſeparata inferior ſuperiorem ſecundùm modum ſubſtantiæ cognoſcentis, non ſecundum modum ſubſtantiæ cognitæ, ſed inferiori modo; ſuperior autem inferiorem eminentiori modo.*

9 Confirmatur: Vt cognoſcens comprehendat obiectum, debet eius virtus cognoſcitiva adæquare, aut excedere cognoſcibilitatem obiecti quantum ad ſubſtantiam, & modum; ſed virtus cognoſcitiva Angeli inferioris nec adæquat, nec excedit modum cognoſcibilitatis Angeli ſuperioris: ergo. Mai. patet: Aliunde non cognoſcit obiectum omni modo, quo eſt cognoſcibile. Prob. min. Modus virtutis cognoſcitivæ, & cognoſcibilitatis alicuius eſt iuxtà modum ſuæ ſubſtantiæ, & naturæ; ſed modus ſubſtantiæ, & naturæ Angeli inferioris eſt inferior modo ſubſtantiæ, & naturæ Angeli ſuperioris: ergo. Mai. patet: Cum virtus cognoſcitiva, & ratio cognoſcibilis radicentur in propria ſubſtantia, & natura.

10 Illuſtratur: Modus virtutis cognoſcitivæ Angeli ſuperioris adæquat modum cognoſcibilitatis ſui; ſed modus virtutis cognoſcitivæ Angeli ſuperioris excedit modum virtutis cognoſcitivæ Angeli inferioris: ergo hic non adæquat modum cognoſcibilitatis ſuperioris. Mai. eſt certa: Nam ſe comprehendit, & eſt tantum cognoſcitivus, quantum cognoſcibilis: eo quod virtus cognoſcitiva, & cognoſcibilitas eius ſequitur immaterialitatem ipſius. Min. conſtat: Cum ſubſtantia, & natura Angeli ſuperioris, ad quã ſequitur virtus cognoſcitiva, excedat in gradu ſpecifico ſubſtantiam, & naturam inferioris. Pręterea: Modus virtutis cognoſcitivæ Angeli inferioris non excedit, ſed adæquat modum proprię cognoſcibilitatis; ſed modus cognoſcibilitatis Angeli ſuperioris excedit modum cognoſcibilitatis inferioris, propter talem exceſſum in ſubſtantia, & natura: ergo modus virtutis cognoſcitivæ Angeli inferioris non adæquat modum cognoſcibilitatis Angeli ſuperioris.

11 Reſpondebis: Quod Angeli poſſunt cõſiderari in eſſe rei, & quoad gradus: quomodo ſupe-

rior excedit inferiorem. Et in eſſe intelligibili formaliter ſumpto: quomodo omnes conveniũt. Quod ſufficit, vt inferior adæquet, & comprehendat ſuperiorem. Cont. Gradus immaterialitatis, intellectivi, & intelligibilis cuiuslibet ſubſtantiæ, & naturæ ſequitur gradum eſſendi ipſius: ergo ſi Angelus ſuperior excedit in hoc inferiorem, etiam in illo. Antec. docetur ab Ang. Mag. quæſt. 12. art. 4. Vbi inſinuat: in natura divina, angelica, & corporea diverſos modos immaterialitatis, atque intellectivi, & intelligibilitatis, pœnes diverſos modos eſſendi vniuſcuiuſque.

12 Roboratur: Immaterialitas in eſſe rei, & in eſſe intellectualitatis, atque intelligibilitatis ſumpta, non eſt adæquatè diſtincta, ſed inadæquatè, & pœnes munera diverſa eiuſdem formæ: Sicut diſtinguitur eſſentia à natura, quia vt eſſentia eſt ad ſe, & vt natura ad operandum, & radix operationis: Vt eſſentia reſpicit exiſtentiam, & vt natura operationem: ergo ſi Angelus ſuperior, & inferior ita differunt in immaterialitate in eſſe rei, in qua ſuperior excedit inferiorem, etiam in ipſa vt radice intellectivi, & intelligibilitatis, in qua erit excedens. Sicut excedens in eſſentia aliud, etiam excedit in natura. Et excedens in eſſe, excedit in operari. In hoc ſenſu D. Thomas in 4. diſt. 49. quæſt. 2. artic. 3. ait: *Tunc dicitur aliquid per cognitionem comprehendi, quando cognitum ſtat ſub actu cognoſcitivæ virtutis, & non excedit ipſum.*

13 Prob. 2. concluſ. ratione: Angelus inferior non poteſt propria virtute comprehendere ſpecies impreſſas Angeli ſuperioris: ergo nec ipſum Angelum ſuperiorem. Ant. eſt D. Thomæ quæſt. 16 de Malo art. 8. dicentis: *Vnuſquiſque intellectus aliter ſe habet ad ſpecies intelligibiles ſuperioris intellectus, & aliter ad ſpecies intelligibiles inferioris intellectus: nam ſpecies intelligibiles ſuperioris intellectus ſunt vniverſaliores, & ideo non poſſunt comprehendi per ſpecies intelligibiles inferioris intellectus, & ideò inferior intellectus non poteſt eas perfectè cognoſcere, poteſt autem perfectè cognoſcere eas, quæ ſunt in inferiori intellectu, tanquam magis particulares.* Prob. conſeq. Species impreſſæ Angeli ſuperioris non ſunt perfectioris intelligibilitatis, quam ipſe Angelus ſuperior. Imò ſunt minoris: cum non contineant ſubſtantiam, & naturalia ipſius Angeli, quæ cognoſcit per ſuam ſubſtantiam, & non per ſpeciem inditam; ſed: ergo.

14 Reſpondebis: Ang. Doctorem loqui de ſpeciebus Angeli ſuperioris collatis cum ſpeciebus intellectus humani. Quare

concludit: quod intellectus Angeli poteſt cognoſcere ſpecies exiſtentes in anima rationali; & intellectus hominis non poteſt cognoſcere exiſtentes in intellectu Angeli. Non tamen de illis collatis cum ſpeciebus Angeli inferioris. Cont. Ang. Mag. affert pro principio doctrinam vniverſalem: quod intellectus inferior non poteſt comprehendere ſpecies impreſſas ſuperioris: ergo licèt ad propoſitum inferat: intellectum humanum non poſſe comprehendere ſpecies Angeli; etiam debet ſimiliter intelligi: quod intellectus Angeli inferioris nequit comprehendere ſpecies Angeli ſuperioris.

15 Ex his deducitur: Quod Angelus inferior, nec vt illuminatus à ſuperiori, poteſt comprehendere illum. M. Joan. à S. Th. cum aliquibus tenet oppoſitum. Veruntamen Ang. Mag. quæſt. 8. de Verit. art 4. ad 1. ſatis illud inſinuat, dicens: *Non autem oportet, quod Angelus ſciens aliquam rem, ſciat omnes rationes intelligibiles de ipſa, ut forte ſciat omnes proprietates naturales, quæ comprehenſione eſſentiæ cognoſcuntur, non tamen ſcit eam ſecundùm omnes rationes, quibus ſubſtat ordini divinæ providentiæ, qua vna res ordinatur ad varios eventus; & de his rationibus inferiores Angeli à ſuperioribus, vel ſupremis illuminatur.* Vbi oſtendit: Angelum inferiorem illuminari à ſuperiori, non omnimodè de rebus, ſed de rationibus intelligibilibus rerum, ſecundùm quas ordinantur ad diverſos fines, & varios eventus per providentiam naturalem, aut ſupernaturalem; ſed cognitio harum rationum nec requiritur, nec conducit ad comprehenſionem Angeli ſuperioris: ergo. Minor patet: Cum ſolùm pendeant ex voluntate extrinſeca Dei. Quare circa ea, quæ Angelus inferior cognoſcit comprehenſivè, poteſt à ſuperiori illuminari, etiam quoad has rationes. Requirebatur enim cognitio rerum, & omnium, quæ ſunt intrinſeca Angelo ſuperiori.

16 Prob. ratione: Angelus inferior, quomodolibet à ſuperiori illuminatus, non cognoſcit illum omni modo, quo ex natura ſua cognoſcibilis eſt: ergo non comprehendit illum. Prob. antec. Cognoſcit ſuperiorem iuxtà modum ipſius inferioris; ſed modus intellectualitatis ipſius inferioris non eſt ſicut modus intelligibilitatis Angeli ſuperioris, ſed inferior ipſo: ergo. Minor. patet ex Divo Thoma quæſt. 107. artic. 4 aſſerente: *Illuminatio non recipitur ab inferioribus ita excellenter, ſicut eſt in ſuperioribus, & ideò ſuperiores ſemper remanent in altiori ordine, & perfectiorem ſcientiam habentes* Reſolutio autem procedit de potentia

tia

tia ordinaria; non de abſoluta: cum Deus poſsit infundere Angelo inferiori lumen naturale perfectius intellectu Angeli ſuperioris, in quo caſu cognitio elicita medio tali lumine, foret comprehenſiva ſuperioris.

17 Arg.1.cont.1.pręmiſ.Angelus non cognoſcit, ſaltim directè, ſingulare; ſed ipſe, & eius ſubſtantia eſt ſingularis: ergo ita non cognoſcit ſe ipſum. Probat. maior. Singulare non eſt directè cognoſcibile: ergo.Reſp.diſt.ant. Singulare materiale, conc.antec. Immateriale, nego ant.& conſeq. Singulare enim materiale non eſt directè, ſed indirectè cognoſcibile. Hoc autem non eſt ratione ſingularitatis, ſed materiæ à qua debet præſcindi, & cognita directè natura præciſa, deinde ipſum cognoſcitur. Immateriale verò per ſe eſt directè cognoſcibile in actu: cum non habeat tale impedimentum. Cumque Angelus, eiuſque ſubſtantia, ſit ſingularis immaterialis: ideò eſt directè cognoſcibilis, & intelligibilis: Sicquè ſe ipſum cognoſcit, & intelligit. Ita Divus Thomas quęſt. 56. art.1.ad 2.& quæſt.57. art.2. docet: Quod Angelus cognoſcit ita omnia ſingularia, etiam materialia: Cum Deus illis per Angelos provideat, & Angeli homines cuſtodiant; qui debent habere notitiam particularem omnium ſingularium, vt talis providentia, & cuſtodia ſit perfecta. Angelus autem, & non homo, cognoſcit directè omne ſingulare: quia non accipit ſpecies à rebus, nec ſeparat naturam à ſingularibus, vt cognoſcat, ſicut homo; cum eas habeat infuſas à Deo, vt res ſingulas perfectè cognoſcat. Unde Ang.Doct.ait: *Angeli per ſpecies à Deo inditas, res cognoſcunt; non ſolùm quantum ad naturam vniverſalem, ſed etiam ſecundùm earum ſingularitatem.*

18 Cont. Angelus nec ita cognoſcit ſingulare: ergo. Prob. ant. ex Ariſt.1. Poſter. aſſerente: *Senſus eſt ſingularium; ratio verò, vel intellectus vniverſalium*: ergo. Reſp. cum Angel. Mag.ad 1. ita aſſante: *Philoſophus loquitur de intellectu noſtro, qui non intelligit res niſi abſtrahendo; & per ipſam abſtractionem à materialibus conditionibus id quod abſtrahitur, fit vniverſale. Hic autem modus intelligendi non convenit Angelis.*

19 Cont. Nec in tali ſenſu Angelus eſt ita intelligibilis à ſe ipſo: ergo. Prob.ant. Intellectus movetur ab intelligibili; ſed nil movetur à ſe ipſo: ergo. Reſp. diſt.mai. Intellectus non exiſtens in potentia, nego mai. Exiſtens in potentia, conc.mai.& min. & nego conſeq. Solutio conſtat in Ang.Doct. quæſt 56. art 1. ad 3. aſſerente: *Moveri, & pati conve-*

*nis intellectivi ſecundùm quod eſt in potentia. Vnde non habet locum in intellectu angelico, maximè quantum ad hoc quod intelligit ſe ipſum.* Vbi loquitur de motione paſsioni ſociata: nam ea motione, qua intellectus, eiuſque actus movetur ab obiecto, vt ſpecificativo, certum eſt, quod intellectus Angeli movetur à propria ſubſtantia, quę eſt obiectum primarium præcipuum illius. Nec ita movetur idem à ſe ipſo: cum intellectus Angeli ſit realiter diſtinctus ab eius ſubſtantia; vt dictum eſt art. 1. num 4.

20 Arg 2. Subſtantia Angeli non neceſsitat proprium intellectum: ergo non eſt neceſsitatus, vt ſemper cognoſcat ipſum. Prob. ant. Intellectum creatum, qualis eſt intellectus Angeli, ſolum neceſsitat obiectum clarè viſum, ſatiativum ipſius, quia continet omnes perfectiones eius, eo quod eſt ſummè perfectum, & ſummè bonum; ſed ſubſtantia Angeli non eſt huiuſmodi: ergo. Minor. eſt certa: Cum hoc ſit proprium Dei.

21 Reſp. diſt. mai. Ex meritis naturæ, nego mai. Obiecti, conc. mai & min. & ita diſt. conſ. Duplex eſt neceſsitas, vt intellectus cognoſcat obiectum. Vna ex meritis obiecti: cum hoc eſt ſummè perfectum, ſatiativum, & clarè viſum; quod rapit, & neceſsitat intellectum, vt cognoſcat ipſum. Alia ex meritis naturæ: quæ debet habere ſemper aliquam operationem; & debet eſſe intellectio, cum aliam non eliciat, quæ requirit etiam intimam vnionem cum proprio intellectu. Et licèt ex meritis obiecti ſolus Deus neceſsitet intellectum Angeli. Ex meritis naturæ neceſsitat ipſum propria ſubſtantia, ei intimè vnita, & requirens aliquam operationem, quia vivens; & non habens, niſi intellectionem. Cumque hoc ſufficiat, vt Angelus ipſum, & ſe neceſſariò, & ſemper cognoſcat: ideò ita cognoſcit. Quin & ipſa ſubſtantia Angeli eſt clarè viſa proprio intellectui, cum ei ſemper ſine obſtaculo ſit præſens: Sicque videtur neceſsitare ipſum ad ſui cognitionem. Sicut propterea, in demonſtratione aſſenſus præmiſſarum neceſsitat intellectum ad aſſenſum concluſionis.

22 Cont. Subſtantia Angeli nec ex meritis naturæ neceſsitat proprium intellectum ad ſui cognitionem: ergo. Prob. ant. Subſtantia hominis nec ex meritis naturæ neceſsitat proprium intellectum ad ſui cognitionem: ergo. Prob. conſ. Sicut intellectus Angeli oritur à propria ſubſtantia, ita intellectus hominis; ſed, ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Nam in homine eſt alia operatio,

tio, præter intellectionem; nempe, nutritio, quam habet in hac vita cum vivit, etiam dum dormit. Angelus autem habet ſolam intellectionem. Quare ſemper debet eam habere, & propter dicta cognoſcere ſe ipſum. Nec homo vigilans eſt ſemper in actuali cognitione ſui, nec propriæ ſubſtantiæ: quia nec ſe, nec eam cognoſcit per ſe ipſam; ſed in hoc ſtatu cognoſcit ad modum rerum materialium, & per ſpecies acceptas ab illis. Unde ei non proponitur vt intimè vnita, & clarè viſa, quomodo proponitur intellectui Angeli, qui propterea ſemper eſt in actuali cognitione ipſius. Quare D. Thomas quæſt 8. de Verit. art. 6. ad 7. loquit: *Intellectus Angeli non eſt in potentia reſpectu eſſentiæ eius, ſed reſpectu eius ſemper eſt in actu.* Cuius rationem reddit art. 4. ad 6. *Quia mens Angeli ſe cognoſcit per eſſentiam ſuam, qua ſemper informatur.*

23 Cont. Etiam in Angelo eſt alia operatio, præter intellectionem: ergo. Prob. ant. In Angelo eſt volitio: ergo. Reſp. diſt. ant. Supponens intellectionem, conc. ant. Non ſupponens, nego ant. & ita diſt. conſ. Cum enim nil ſit volitum, quin præcognitum, volitio Angeli requirit intellectionem: nam etiam dum ſe amat, ſe intelligit: cum intelligat quod amat, & eius ſubſtantia ſit intimè vnita intellectui, & voluntati ipſius.

24 Cont. In Angelo eſt alia intellectio, præter cognitionem ſui, qua ſola exerceatur: ergo. Prob. ant. In Angelo eſt cognitio obiecti perfectioris, ex qua adveniat ei maius bonum, quàm ex cognitione ſui: ergo. Ant. patet: Cum cognoſcat plures ſubſtantias perfectiores. Reſp. diſt. ant. Maius abſolutè, conc. ant. Connaturalius, nego ant. & conſeq. Licèt ſubſtantiæ ſpirituales ſuperiores ſint bonum maius, & excellentius abſolutè, & in eſſe entis; reſpectivè ad Angelum, & titulo connaturalitatis propria ſubſtantia eſt maius bonum, & cognitio ipſius eſt connaturalior, & proprior. Quare earum cognitio non divertit eam, ſed cohæret ei; & dum Angelus eas cognoſcit, etiam ſe ipſum intelligit: Nec cognitio obiecti excellentioris divertit à cognitione propriæ ſubſtantiæ, dum hæc eſt componibilis cum ipſa; ſicut componitur cognitio propriæ ſubſtantiæ Angeli cum cognitione Dei Authoris naturæ, & alterius obiecti perfectioris.

25 Arg. 3. cont. 2. præmiſ. Angelus nequit per ſuam ſubſtantiam cognoſcere Deum, vt Authorem naturæ: ergo ſic non cognoſcit neceſſariò illam. Prob. ant. ex S. Dion. cap. 9. de div. Nomin.

di-

dicente: *Deus eſt ſuper omnes cœleſtes mentes incomprehenſibili virtute collocatus*: *Quia eſt ſupra omnem ſubſtantiam, ab omni cognitione eſt ſegregatus*: ergo. Reſp. admitto, & explico auth. cum Angel. Magiſt. quæſt. 56. art. 1. ad 1. vbi ait: Quod S. Dionifius loquitur de cognitione comprehēſiva, quomodo Deus à nullo intellectu creato cognoſcitur. Non de alia, qua cognoſcitur ex creaturis, & per creaturas; & qua Angelus in ſua ſubſtantia, vt ſpeculo, & per illam, dum ſe neceſſario intelligit, Deum neceſſariò cognoſcit.

26 Cont. Angelus nec tali cognitione poteſt per ſuam ſubſtantiam cognoſcere Deum, vt Authorem naturæ: ergo. Prob. ant. Angelus nec tali cognitione poteſt cognoſcere infinitè diſtans; ſed Deus, vt Author naturæ, diſtat infinitè à ſubſtantia, & intellectu Angeli: ergo. Reſp. diſt. mai. A quo non dependet, conc. mai. A quo dependet, nego mai. & diſt. min. & dependet ab illo, conc. min. & non dependet, nego min. & conſ. Diſtantia infinita intellectus creati, & Angeli à Deo Authore naturæ infert, quod ipſum non comprehendat, ob talem improportionem. Non tamen obeſt aliquali cognitioni: præcipue cum eſt habitudo dependentiæ ad ipſum, vt effectus ad cauſam, & creaturæ ad creatorem. Cum ergo hæc ſit in præſent ideò Angelus cognoſcit tali cognitione ita Deum, Authorem naturæ. Sic D. Thomas ad 2.

27 Arg. 4. cont. 3. præmi Intellectus Angeli habet naturam, ſeu eſſentiam ſpiritualem ſicut alius Angelus: ergo non cognoſcit alium Angelum. Prob. con ex Ariſt. 3. de Anima aſſerent *Quod ſi intellectus humanus haber in ſe aliquam naturam de numero naturarum ſenſibilium, illa natura interius exiſtens prohiberet apparere extranea. Sicut etiam ſi pupilla eſſet colorata aliquo colore, non poſſet videre omnem colorem*; ſed ſicut intellectus humanus ſe habet ad cognoſcendas res ſenſibiles, ſe habet intellectus Angeli ad ſpirituales: ergo. Reſp. admitto, & explico dictum Ariſt. cum Divo Thoma quæſt. 56. art. 2. ad 1. loquitur enim caſu, quo illa natura intellectus humani non eſſet determinata, nec ſe haberet vt potentia reſpectu aliarum, ſicut accideret in pupilla ſic colorata. Nam cum intellectus, vt potentia determinetur per ſpeciem ad intellectionem, & actuetur per illam, non debet habere aliquid non determinabile per ipſam. Et cum intellectus Angeli ſit ſpiritualis per modum qualitatis, & potentiæ determinabilis per intellectionem, & habeat maximam affinitatem cum natura aliorum

An-

Angelorum: ideò non eſt ineptus, ſed aptus, vt intelligat alium Angelum.

28 Arg. 5. Res materiales non poſſunt eſſe intellectę ab Angelo: ergo non cognoſcit res materiales. Prob. ant. Intellectum eſt perfectio intelligentis; ſed res materiales non poſſunt eſſe perfectio Angeli intelligentis: ergo. Mai. patet: Nam intellectus perficitur intellectione. Min. conſtat: Cum ſint imperfectiores Angelo. Reſp. diſt. maior. Intellectum ſecundùm ſe, nego mai. Secundùm ſpeciem intelligibilem, conc. mai. & diſt. min. Secundùm ſe, conc. min. Secundùm ſpeciem intelligibilem, nego min. & conſ. Cum enim obiectum intelligitur, intellectus perficitur eius intellectione, quæ eſt actus illius; & per ſpeciem obiecti, quam recipit, & à qua actuatur. Non tamen ab obiecto ſecundùm ſe; maximè cum non accipit ſpeciem ab illo. Cumque intellectus Angeli ſit huiuſmodi, qui habet ſpecies infuſas à Deo, quæ non ſunt materiales, ſicut obiecta, ſed ſpirituales: ideò cum intelligit res materiales, non perficitur ab eis, ſed à ſpecie, & intellectione earum; quæ non eſt perfectio ſubſtantialis, ſed accidentalis, Angelo conveniens. Ita Ang. Doctor quæſt. 57. art 1. ad 1.

29 Cont. Res materiales non poſſunt per ſui ſpeciem eſſe in intellectu Angeli: ergo nec ita ſunt perfectiones eius, nec cognitæ ab illo. Prob. ant. Intellectus facit intelligibile in actu obiectum, quod per ſui ſpeciem eſt in illo; ſed intellectus Angeli nequit facere res materiales intelligibiles in actu: ergo. Reſp. diſt. mai. Speciē infuſam à Deo, nego mai. Acceptam ab obiecto, conc. mai. & min. & ita diſt. conſ. Cum enim intellectus accipit ſpeciem ab obiecto, reddit obiectum intelligibile in actu: quia abſtrahit ipſum à materia, & conditionibus individualibus: quo modo fit actu intelligibile. Non verò cum non accipit ſpeciem ab illo, ſed illam habet infuſam à Deo. Cum ergo intellectus Angeli non accipiat ſpeciem à rebus materialibus, ſed ipſam habeat infuſam à Deo: ideò non facit illas intelligibiles in actu, ſed cognoſcit eas per ſpecies inditas. Sic Ang. Mag. art. 1. ad 3.

30 Arg. 6. cont. concluſ. ex D. Thoma 2. cont. Gent. cap. 98. aſſerente: *Ex hoc autem, quod ſubſtantia aliqua eſt intellectualis, comprehenſiva eſt totius entis*; ſed Angelus ſuperior comprehenditur ſub ente: ergo Angelus inferior, qui eſt ſubſtantia intellectualis, comprehendit ſuperiorem. Reſp. admitto, & explico auth. de comprehenſione lata, ſumpta pro qua-

qualibet cognitione: quod eſt intentum Sancti Doctoris. Non de rigoroſa, de qua procedit præſens difficultas. In eodem ſenſu ait cap. 99. de ſubſtantijs ſeparatis: *Cum enim intellectus earum ſit perfectior naturali perfectione, vtpote totus in actu exiſtens, oportet, quod ſuum obiectum, ſcilicet ens intelligibile, vniverſaliter comprehendat.*

31 Cont. Angelus inferior comprehendit rigoroſè ſuperiorem: ergo. Prob. ant. ex D. Aug. Epiſt. 112. cap. 2. vbi loquens de comprehenſione rigoroſa, & propria, ait: *Totum comprehenditur, quando nihil eius latet videnti*; ſed nihil naturale Angeli ſuperioris latet inferiori: ergo. Reſp. admitto, & explico author. Cuius ſenſus eſt: quod obiectum comprehenditur, quando nihil illius ex parte rei, & modi latet videnti, ſed cognoſcit ipſum quantum ex parte vtriuſque cognoſcibile eſt. Cumque Angelus inferior, etſi cognoſcat omnia prædicata Angeli ſuperioris, non tamen eo modo, & perfectione, quibus ſunt intelligibilia, & Angelus ſuperior illa cognoſcit: ideò non comprehendit rigoroſè illum. In quo ſenſu explicatur Divus Thomas, dum ait: quod Angelus cognoſcit omnes veritates naturales, & non eſt in potentia ad cognitionem earum.

32 Cont. Ut Angelus inferior comprehendat rigoroſè ſuperiorem, ſufficit, quod cognoſcat omnia naturalia illius, etſi non omni modo, & perfectione, quibus ſunt in ſe: ergo. Prob. antec. Vt vna quantitas comprehendat rigoroſè aliam, ſufficit, quod intra ſuperficiem concavam continentis ſit tota ſuperficies convexa contenti, etſi non cum tanta perfectione: ergo. Ant. patet: Sic enim quantitas ferri comprehendit quantitatem auri, etſi hæc perfectior ſit illa. Prob. conſeq. Comprehenſio ſpiritualis cognitionis dicitur ad modum comprehenſionis materialis quantitatis; ſed: ergo.

33 Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia comprehenſio quantitativa eſt entitativa, & materialis; quæ ſolum requirit, quod vna quantitas contineat intra ſe quantitatem alterius: ad quod per accidens ſe habet perfectior maior, vel minor vtriuſque. Comprehenſio autem cognoſcitiva eſt intellectiva, requirens adæquationem obiecti, nedū ex parte rei, verùm, & ex parte modi, formalitatis, & perfectionis: cum hæc omnia cadant ſub cognitione. Unde non ſufficit, quod Angelus inferior cognoſcat omnia naturalia ſuperioris, vt propriè, & rigoroſè comprehendat illum: cum ea non cognoſcat omni modo, & perfectione. Nec dicas: Quod ſpecies,

qua inferior cognoſcit ſuperiorem, eſt comprehenſiva ſuperioris in repræſentando: ergo per eam comprehendit illum. Nam cum ſpecies recipiatur ad modum recipientis, ſicut intellectus Angeli inferioris non poteſt adæquare in modo, & perfectione intelligibilitatem ſuperioris, ita nec ſpecies.

34 Cont. Comprehenſio cognoſcitiva non requirit adæquationem cum obiecto in tali modo, & perfectione: ergo. Prob. antec. Angelus ſuperior comprehendit propriè ſe ipſum; ſed cognitio ſui non adæquat in modo, & perfectione ſe ipſum: ergo. Min. patet: Nam eius cognitio eſt accidens, & ſolum eſt immaterialis per modum actionis. Ipſe autem eſt ſubſtantia, quæ eſt immaterialis per modum radicis; quæ excedit illam in entitate, & modo.

35 Reſp. diſt. min. Non adæquat materialiter, conc. minor. Formaliter, nego min. & ita diſt. conſ. Cognitio Angeli ſuperioris, & ipſe Angelus pro materiali dicunt ſuam entitatem. Pro formali autem cognitio dicit perceptionem obiecti, & Angelus ſuam intelligibilitatem perceptam. Et licèt prædicta cognitio materialiter ſumpta non adæquet ſubſtantiam Angeli, nec ipſum Angelum; eam, & illum adæquat formaliter accepta: cum percipiat totam eius intelligibilitatem ex parte rei, & modi: nam cum medio intellectu oriatur à ſubſtantia ipſius Angeli, eſt tanta intellectio, ſicut Angeli intelligibilitas, quæ etiam radicatur in tali ſubſtantia. Cumque hæc ſola adæquatio requiratur ad comprehenſionem cognoſcitivam: ideò Angelus ſuperior, & quilibet ſe ipſum comprehendit. Cognitio tamen Angeli inferioris nec ſic poteſt adæquare ſuperiorem: quia cum oriatur à ſubſtantia inferioris, in eſſe virtutis, & vt perceptiva obiecti non eſt æqualis cum intelligibilitate ſuperioris, orta ab huius ſubſtantia. Hæc eſt illa communis doctrina: quod potentia proxima operativa, licèt in ſe ſit accidens, ſua actione produxit ſubſtantiam; non propria virtute, ſed virtute ſubſtantiæ, cuius eſt virtus intranſitiva. Sic ergo intellectus, vt virtus Angeli ſuperioris, cognoſcit ſuperiorem, & inferiorem.

## ARTICVLVS SEXTVS.

### *VTRVM ANGELVS COGnoſcet ſimul plura, vt plura.*

1 SVPPONO 1. Quod Angelus cognoſcit omnia prædicta cognitione naturali; qua non cognoſcit myſte-

ria gratiæ: cum hæc dependeant ex ſola voluntate Dei. Ita Divus Thom.quæſt.57.art.5. Quod fundat ſic: Nullus diſcit quod cognoſcit; ſed Angelus, etiam ſupremus, diſcit myſteria gratiæ: ergo cognitione naturali nõ cognoſcit illa. Prob. min.ex S.Dion. cap.7. de Cœl.hierarch. Vbi refert Angelos addiſcentes, & Jeſum eos docentem. Et addit: *Vt patet Iſa.63. Vbi quærentibus Angelis, quis eſt iſte qui venit de Edora, reſpondit Jeſus: Ego qui loquor iuſtitiam*: ergo. Probat deinde ratione: Angelus non cognoſcit cognitione naturali quæ pendent ex voluntate alterius Angeli, aut hominis: ergo multò minus quæ pendent ex pura voluntate Dei, vt ſunt myſteria gratiæ. Nunc addit: *Et ſic argumentatur Apoſtolus 1.Cor.2. Quæ ſunt hominis nemo novit niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt, ita & quæ ſunt Dei, nemo novit niſi ſpiritus Dei.* Advertit autem M.Serra: Quod S.Doctor per myſteria gratiæ intelligit, non ſola ſupernaturalia, ſed quæcumque gratuita, quæ ſua voluntate decrevit.

2 Exinde Ang. Mag. docet: Quod Angeli cognitione ſupernaturali, quæ eos beatos facit, vident Verbum, & res in Verbo, eaque cognoſcunt myſteria gratiæ, non omnia, nec omnes æqualiter, ſed ſecundum quod Deus voluerit eis revelare. Conſtat ex illo 1.Cor.2. *Nobis autem revelavit Deus per ſpiritum ſuum.* Addit autem: *Superiores Angeli perſpicacius divinam ſapientiam contemplantes, plura myſteria, & altiora in ipſa viſione cognoſcunt, qui inferioribus manifeſtant, eos illuminando. Et horum etiam myſteriorum quædam à principio ſuæ creationis cognoverunt, quædam verò poſtmodum ſecundum quod eorum officijs congruit, edocentur.*

3 Dices: quod Angeli nõ cognoverunt myſterium Incarnationis, inter myſteria gratiæ excellentius: nam D.Aug.5. ſup.Gen. ad liter. ait: *Sic fuit hoc myſterium abſconditum à ſæculis in Deo, vt tamen innoteſceret principibus, & poteſtatibus cœleſtibus.* Quare Apoſt.1. Tim.3.dicit: *Magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis.* Reſp. D.Thomas ad 1. Quod omnes Angeli cognoverunt tale myſterium in generali: nam omnia eorum officia ad illud ordinantur: quia vt dicitur ad Heb.1. *Omnes ſunt administratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Quod fit per myſterium Incarnationis. Quoad ſpeciales autem conditiones illius, non omnes à principio ſunt edocti, nec cognoverunt ipſum. Imò quidam, etiam ſu

periores, poſtmodum didicerunt.

4 Suppono 2. Quod Angelus reſpectu eorum, quæ naturaliter cognoſcit, nunquam eſt in potentia quoad habitum: cum ornatus ſit omnibus principijs, & ſpeciebus, vt cognoſcat illa. Nihilominus poteſt eſſe in potentia quoad actum: quia non omnia, quæ naturaliter cognoſcit, ſemper actu conſiderat. Ita Ang. Mag. quæſt. 58. art. 1. & addit: *Ad cognitionem Verbi, & eorum quæ in Verbo videt, nunquam hoc modo eſt in potentia, quia ſemper actu intuetur Verbum, & ea, quæ in Verbo videt.* Prævenit autem: *Sed quantum ad quæ eis diuinitus reuelantur, nihil prohibet intellectus eorum eſſe in potentia.* Et ad 3 ait: *Nec intellectus Angeli ſic eſt in potentia, quod ſit abſque actu.* Ex quibus conſtat: Quod Angelus videt Deum per eſſentiam diuinam. Cognoſcit ſe per ſuam ſubſtantiam. Et alia à ſe per ſpeciem inditam. Exinde excitatur dubium: Vtrum cognoſcat ſimul plura, vt plura? Affirmant Durandus, Valencia, Molina, Vazq. & alij. Negant Thomiſtæ cum Diuo Thoma, & B. Alb. & communiter Scotiſtæ.

5 Concluſio: Angelus non poteſt cognoſcere ſimul plura, vt plura. Ita Angel. Mag. quæſt. 58. art. 2. Eam fundat ex D. Auguſt. aſſerente: *Potentia ſpiritualis mentis angelicæ cuncta, quæ voluerit, facillimè ſimul comprehendit.* Et ad 1. ſuperaddit D. Thomas: *Multa vt vnum:* ergo non vt plura.

6 Prob. 1. concluſ. ratione Diui Thomæ: Intelligere plura, vt vnum, & cum aliquo ordine non eſt cognoſcere plura, vt plura; ſed Angelus omnia, quæ ſimul cognoſcit, intelligit vt vnum, & cum aliquo ordine: ergo. Maior. patet: Nam intelligere plura, vt plura, eſt cognoſcere illa vt diuerſa, ſine vnitate, & ordine. Quod ſic explicat S. Doctor: *Si enim vnaquaque pars continui per ſe accipiatur, ſunt plures. Si vt in vno toto, ſunt vnum:* Sicque cognoſcuntur vnico actu ſenſus, & intellectus, ſicut cognoſcitur totum continuum. Et intellectus noſter intelligit ſimul ſubiectum, & prædicatum, vt ſunt in vna propoſitione: quia ita ſunt vnum, etſi ſecundùm ſe ſint plura. Et ſimiliter duo relata vt conueniunt in relatione. Prob. minor. Angelus omnia, quæ cognoſcit ſimul, intelligit per vnicam ſpeciem; ſed quæ repræſentantur, & cognoſcuntur per vnicam ſpeciem, ſe habent vt vnum, & cum ordine: ergo. Mai. conſtat ex dictis: Cum vnica ſpecie cognoſcat omnia ſibi inferiora. Min. patet ex Angel. Mag. aſſerente: *Vnumquodque autem eſt intelligibile in actu ſecundùm quod eius ſimilitu-*

*do eſt in intellectu. Quæcumque igitur per vnam ſpeciem intelligibilem cognoſci poſſunt, cognoſcuntur vt vnum intelligibile. Et ideò ſimul cognoſcuntur.*

7 Prob. 2. concluſ. ratione Divi Thomæ: Angelus nec pluribus cognitionibus, nec vnica poteſt cognoſcere ſimul plura, vt plura: ergo minimè poteſt. Prob. ant. quoad 1 part. Etſi Angelus ſimul eliciat plures cognitiones, per ſpecies diverſi generis inter ſe ſubordinatas; nequit elicere illas per ſpecies eiuſdem generis, non ſubordinatas: ergo. Probat. ant. Angelus cognoſcit alia à ſe per ſpecies inditas; quæ ſubordinantur ſubſtantiæ Angeli: cum per eas intelligat ad modum propriæ ſubſtantiæ. Se ipſum cognoſcit per ſuam ſubſtantiam, vt imitantem modum repræſentandi eſſentiæ divinæ; per quam videt, & cognoſcit Deum in gloria; ſed Angelus elicit ſimul plures cognitiones dum ſe, Deum, & alia ita cognoſcit: ergo. Propterea Ang. Mag. in corp. ait: *Angeli igitur ea cognitione, qua cognoſcunt res per Verbum, omnia cognoſcunt vnica intelligibili ſpecie, quæ eſt eſſentia divina. Et ideò quantum ad talem cognitionem omnia ſimul cognoſcunt. Ea verò cognitione, qua cognoſcunt res per ſpecies innatas, omnia ſimul poſſunt intelligere, quæ vna ſpecie cognoſcuntur: non autem illa quæ diverſis.* Prob. ant. quoad 2. part. Cognitio ſumit ſpeciem, & vnitatem ab obiecto, ſicut motus à termino ad quem; ſed vnicus motus nequit reſpicere ſimul plures terminos, vt plures: ergo. Mai. eſt Divi Thomę ibi aſſerentis: *Sicut ad vnitatem motus requiritur vnitas termini, ita ad vnitatem operationis requiritur vnitas obiecti.*

8 Confirmatur quoad 1. part. Idem corpus nequit terminari ſimul pluribus figuris; vt docet Ang. Mag. arg. 2. Nec vna linea pluribus punctis, niſi inter ſe habeant ordinem: ergo nec idem intellectus poteſt actuari ſimul pluribus cognitionibus, niſi inter ſe habeant ordinem, ex eo, quod reſpiciant obiecta, vt vnum, & ſub aliquo ordine. In hoc ſenſu Ang. Doct. artic. 7. ad 2. aſſerit: *Duæ operationes poſſunt ſimul eſſe vnius potentiæ, quarum vna ad aliam refertur: vt patet cum voluntas ſimul vult, & finem, & ea, quæ ſunt ad finem.* Quare in 2. diſt. 10. quæſt. art 4. ediſſerit: *Et ideò ſicut artifex ſimul conſiderat rationem artis, & exequitur opus: ita Angelus ſimul contemplatur Deum, & miniſtrat nobis.*

9 Arg. 1. Scire eſt cognoſcere; ſed Angelus poteſt ſimul ſcire plura, vt plura: ergo etiam cognoſcere. Prob. min. ex Ariſt. 2. Topic. dicente: *Contingit mul*

*ſcire, ſed vnum tantum intelligere*; ſed Angelus poteſt intelligere ſimul plura, vt vnum; ergo. Reſp. admitto, & explico dictum Ariſt. cum Angel. Mag. ad 1. aſſerente: *Quod intelligere multa, vt vnum, eſt quodammodo vnum intelligere.* In hoc ſenſu etiã ſcit plura, vt vnum. Contingit autem habitu ſcire plura; non actu: nam licèt intellectus ſit ornatus ſcientia, & habitu, quo poſsit diverſa cognoſcere; nequit elicere ſimul cognitionem, qua ſciat ea, vt diverſa.

10 Cont. Angelus de facto ſcit, cognoſcit, & intelligit ſimul plura, vt plura: ergo & actu. Prob ant. In Angelo eſt conceptus repræſentans plura, vt plura: ergo. Conſ. patet: Nam cognitio correſpondet conceptui. Probat. ant. Homo, & Leo ſunt plura, vt plura; ſed in Angelo eſt conceptus repræſentans hominem, & leonem: ergo. Mai. patet: Nam ſunt ſpecies diverſæ animalis. Min. conſtat: Quia ſicut vnica ſpecies Angeli repræſentat hominem, & leonem; ita & vnicus conceptus. Reſp. diſt. mai. Homo, & leo, vt conveniunt, nego mai. Ut differunt, conc. mai. & diſt. min. Ut conveniunt, conc. min. Ut differunt, nego min. & conſ. Homo, & leo poſſunt conſiderari ſecundùm ſuas differentias ſpecificas; ſicque differunt. Et prout adunantur ſub vna ſpecie Angeli, qua repræſentantur: & ſic conveniunt. Licèt enim idem conceptus Angeli repræſentet hominem, & leonem, vt adunantur ſub eadem ſpecie, & ita conveniunt; non verò, vt illo modo differunt. Cumque vt differunt ſint plura, vt plura; & vt conveniunt, vnum: ideò non repræſentat, nec cognoſcit plura, vt plura, ſed vt vnum. Ita D. Thomas in corp. dicens: *Multa ſecundùm quod ſunt diſtincta, non poſſunt ſimul intelligi, ſed ſecundùm quod vniuntur in vno intelligibili.*

11 Cont. Conceptus Angeli repræſentat hominem, & leonem, vt differunt: ergo vt plura. Prob. ant. Repræſentat hominem, & leonem, vt vniuntur in eadem ſpecie, & ea repræſentantur; ſed vniuntur, & ea repræſentantur, vt differunt: ergo. Prob. minor. Homo, & leo ſecundùm ſuas vltimas differentias differunt; ſed repræſentantur per ſpeciem ſecundùm ſuas vltimas differentias: ergo. Reſp. diſt. min. Differentias ex parte rationis *quæ*, conc. min. Sub *qua*, nego min. & diſt. conſeq. eodem modo. Ratio *quæ* repræſentata per talem ſpeciem, & conceptum Angeli eſt homo, & leo ita differentes. Ratio ſub *qua* repræſentantur, eſt vnio eorum in vno intelligibili, atque in eadem repræſentatione, & ſimili-

tu-

tudine. Et licèt ex parte rationis *quæ* repræſentantur vt ita differunt, & ſic cognoſcantur: nam Angelus cognoſcit omnes, & ſingulas vltimas differẽtias illorum; ex parte tamen rationis ſub *qua* repræſentãtur vt ita conveniunt. Cumque hoc ſufficiat, vt conceptus ſit idem, & Angelus ſimul cognoſcat eos, vt vnum: ideò ita illos cognoſcit, & non vt plura. Sicut Deus per eſſentiam divinam, & ſimiliter beatus, cognoſcit ſimul creaturas, vt vnum.

12 Cont. Homo, & leo ex parte rationis ſub *qua* repræſentantur per ſpeciem, differunt: ergo ſic repræſentantur, vt differunt Prob. ant. Ex parte talis rationis ſub *qua* non conveniunt: ergo. Prob. ant. Si convenirent, eſſet in ratione obiecti; ſed non conveniunt in ratione obiecti: ergo. Min. patet: Cum ſint obiecta ſpecificè diverſa. Reſp. diſt. mai. In ratione obiecti ſub ratione entis, nego mai. Intelligibilis, conc. mai. & diſt. min. Sub ratione entis, conc. minor. Intelligibilis, nego minor. & conſeq. Homo, & leo ſub ratione entis dicunt quod pertinet ad eſſe. Sub ratione intelligibilis, quod ad repræſentabilitatem, & intelligibilitatem eorum. Et licèt in ratione obiecti quantum ad eſſe non conveniant: cum ſpecificè differant; in eſſe intelligibili conveniunt: cum vniantur in vno intelligibili, & in eadem ſpecie, & ſimilitudine. Cumque hoc ſ[it] convenire in ratione ſub *qua* i[n] eſſe obiecti: ideò ita conveniunt repræſentantur, & cognoſcuntur.

13 Cont. Non conveniunt in ratione obiecti, ſub ratione intelligibilis: ergo. Prob. ant. Hæc convenientia non habet principium, à quo proveniat: ergo Prob. ant. Non provenit ab homine, & leone in ſe ipſis; ſed ne[c] ab eis vt in conceptu: ergo. Mai patet: Nam in ſe ipſis differunt Prob. min. Conceptus Angeli non dat vnitatem obiectis: ergo. Probat. ant. Conceptus Angeli ſumit vnitatem ab obiectis: ergo. Ant eſt certum: Nam ſpecificatur ab obiectis.

14 Reſp. diſt. ant. Ab obiectis ſecundùm ſe, nego antec. Vt repræſentatis, & in eſſe intelligibili, conc. ant. & ita diſt. conſeq. Vt viſum eſt cum Divo Thoma, conceptus, & intellectio ſumit ſpeciem, & vnitatem ab obiectis; non ſecundùm ſe ſumptis, ſed in eſſe repræſentabili, & intelligibili acceptis: ita vt ſint vnum, quæ erant plura, ſi ſub vno intelligibili vniantur. Cumque homo, & leo, qui ſecundùm ſe ſunt plures, vniantur ſub vna repræſentatione, & vno intelligibili: ideò in eſſe intelligibili ſunt vnum: & ab eis prout ſic conceptus ſumit

formaliter ſpeciem, & vnitatem, quam in diverſo genere ſumunt ab illo. Nam talis convenientia, & vnitas provenit effectivè ab idea divina, à qua exemplificatur;& inde deſcendit ſpecies Angeli, repræſentans hominem, & leonem; exindeque Angelus,cognoſcens illos, format vnum conceptum de illis. Obiecta enim ſumunt à poſteriori vnitatem à conceptu, & ſpecie. Conceptus verò, & ſpecies à priori ſumunt vnitatem ab obiectis, ita acceptis.

15 Nec dicas: Homo, & leo non habent talem convenientiam in eſſe obiecti reſpectu hominis, nec poſſunt ita ſpecificare eundem conceptum: ergo nec reſpectu Angeli. Nam reſpectu hominis non adunantur in vno intelligibili: cum non eadem, ſed diverſa ſpecie repræſententur; eo quod homo à quolibet accipit ſpeciem diverſam, per quam quilibet ſolus repræſentatur. Reſpectu autem Angeli adunantur modo dicto.

16 Cont. Conceptus,& ſpecies Angeli non ſumit à priori vnitatem ab obiectis prædictis, ita acceptis: ergo. Prob.ant. Species non deſumpta à rebus, non ſumit à priori vnitatem ab illis, vt obiectis; ſed ſpecies Angeli non eſt deſumpta ab homine, & Leone: ergo. Mai.patet, cum non dependeat ab illis. Minor. conſtat: ſiquidem eſt infuſa à Deo. Reſp.diſt.mai. Obiectis terminativis, nego mai. motivis, conc. maior. & min. & ita diſt. conſ. Etſi ſpecies non deſumpta à rebus non ſumat à priori vnitatem ab illis, vt ab obiecto motivo: cum non moveant media ſpecie ad cognitionem ſui. Sumit eam ab illis,vt ab obiecto terminativo, cum ſit obiectum primarium terminativum cognitionis. Cumque homo, & leo vt obiectum primarium terminent cognitionem Angeli: ideò eius ſpecies ita ſumit vnitatem ab illis, & ſimiliter conceptus ab eis ſic repræſentatis.

17 Cont. Species Angeli non ſumit vnitatem à rebus,vt ab obiecto terminativo: ergo. Probatur ant. Species Angeli eſt exemplificata ab idea, & eſſentia divina; ſed eſſentia divina, vt ſpecies, non ſumit vnitatem à rebus, vt obiecto terminativo: ergo. Reſp. diſt.mai. Per adæquationem, nego mai. Per imitationem, conc. mai.& min.& nego conſ. Species vtique Angeli imitatur, modo poſsibili, in repræſentando eſſentiam divinam; ſed non adæquat illam, ſicut nec in continendo obiecta: Cum eſſentia divina contineat perfectiſsimè omnia, quæ ſpecies Angeli non ita perfectè continet. Deus namque per eſſentiam divinam cognoſcit omnia

nia creata, vt obiectum ſecundarium; non vt primarium, adhuc terminativum. Quare nec ipſa, vt ſpecies, nec cognitio Dei ſumit vnitatem, nec ſpeciem à creaturis, vt obiecto terminativo. Angelus autem hominem, & leonem, aliaſque creaturas reſpicit vt obiectum primarium terminativum ſui intellectus: ideòque ſpecies, & cognitio Angeli ſumit vnitatem ab illis, vt ab obiecto terminativo.

18 Arg.2. Quæ repræſentantur, & cognoſcuntur per diverſas ſpecies, ſunt plura, vt plura; ſed Angelus cognoſcit ſimul quæ repræſentãtur, & cognoſcuntur per diverſas ſpecies: ergo. Mai. eſt Divi Thomæ. Prob.min. Angelus beatus ſimul cognoſcit Deum per eſſentiam divinam, ſe ipſum per ſuam ſubſtantiam, & alia à ſe per ſpecies inditas: ergo. Antec. patet: Nam ſemper videt Deum; & à ſui cognitione non ceſſat, vt dictum eſt. Quare hæc omnia ſimul ita cognoſcit, dum extra Verbum alia à ſe per ſpecies eorum intelligit.

19 Reſp.diſt.ant. Cognoſcit cum ſubordinatione, conc.antec. Sine ea, nego ant. & ſimiliter diſt. conſeq. Per ſpecies enim eiuſdem ordinis, & non ſubordinatas nequit intellectus Angeli cognoſcere ſimul plura: quia ita ſe haberent vt plura: cum obiecta carum nullum haberent ordinem nec vnitatem. Poteſt autem per ſpecies diverſi ordinis, & ſubordinatas: Sicque cognoſcit ea, vt vnum, & non vt plura: cum reſpiciat illa cum ordine. Cumque ſubſtantia Angeli ſubordinetur eſſentiæ divinæ, quam imitatur vt poteſt in repræſentando; & ipſi ſubſtantiæ Angeli ſubordinentur ſpecies eius, cum ipſa ſit ratio cognoſcendi omnia, cui, vt imperfectæ, ſuperadduntur ipſæ: ideò cum cognoſcit Deum per eſſentiam divinam, ſe per ſuam ſubſtantiam, & alia per ſpecies inditas, intelligit plura, non vt plura, ſed cum ordine, & vt vnum. Ita Ang. Doctor quæſt.8. de Verit. art.14. ad 6. inquiens, *Vnde cum intelligit ſe, & illa, non intelligit ſimul multa, niſi vnum.*

20 Cont. Angelus poteſt cognoſcere ſimul plura repræſentabilia per ſpecies eiuſdem ordinis, non ſubordinatas: ergo Prob.ant. Dum Angelus ſe cognoſcit per propriam ſubſtantiam, ſimul cognoſcit omnia, quæ ſunt perfectiones illius; ſed omnia repræſentabilia per ſpecies eiuſdem ordinis, non ſubordinatas, vt cognita ſunt perfectiones illius: ergo. Mai. eſt certa: cum ſit cognitio comprehenſiva ſui. Min. patet: cum ſit perfectio intellectus Angeli fieri intelligibiliter omnia; quod fit, cum ſunt cognita ab illo.

Reſp.

21 Reſp.diſt.mai, ſecundum ſe, nego mai. Ut ſunt perfectiones illius, conc.mai. & min.& ita diſt. conſ. cum enim cognitio ſit perfectio intelligentis, obiectum vt cognitum ſuo modo etiam eſt perfectio; & eſt maxima, poſſe fieri, aut actu fieri intelligibiliter plura, vel omnia: quod cognoſcit Angelus dum ſe per propriam ſubſtantiam cognoſcit. Enim verò tunc non cognoſcit ea in ſe, ſecundum ſe, nec in particulari, ſed vt conveniunt in vno, quod eſt eſſe intelligibile ab Angelo; & perfectiones illius, ſeu in communi, prout intelligit, ſe poſſe cognoſcere omnia, & hoc eſſe perfectionem eius. Cum igitur hoc ſit repræſentabile per eandem ſpeciem, imò & per ſubſtantiam Angeli: nam per ſpecies proprias prædictas cognoſcit plura in ſe, ſecundum ſe, & in particulari: ideò ita cognoſcit talia cum ſubordinatione, vt vnum, & non vt plura. Quare Ang. Mag. quæſt.55. art.1. ad 3. ait de illis, eſſe in ſubſtantia Angeli: *Secundum quandam rationem communem.*

22 Cont. Licèt prędicta conveniant in ratione perfectionis Angeli, cognoſcit ea vt repreſentata per diverſas ſpecies eiuſdem ordinis, non ſubordinatas, & vt plura: ergo. Prob antec. Etiam conveniunt in eſſe partes vnius obiecti adæquati Angeli; ſed Angelus cognoſceret ea per ſpecies eiuſdem ordinis, non ſubordinatas, & vt plura, ſi ea ſimul intelligeret: ergo. Reſp. nego conſeq. Ratio eſt: Quia conveniunt in ratione obiecti adæquati reſpectu eiuſdem intellectus; non reſpectu eiuſdem ſpeciei, & cognitionis: Sicque poſſunt attingi vnico intellectu, & non vnica cognitione, reſpectu cuius non habent vnitatem, nec convenientiam. Vnde ſi ſimul cognoſceret ea, intelligeret illa, vt plura. In ratione autem perfectionis conveniunt, modo aſſignato, reſpectu eiuſdem ſubſtantiæ quæ vnica cognitione intelligitur cum omni ſua perfectione; Sicque conveniunt reſpectu talis cognitionis, & ſunt vnum: itaque cognoſcuntur per eandem ſubſtantiam, & non per tales ſpecies; nunquam tamen vt plura.

23 Cont. Ex eo, quod conveniant in ratione obiecti adæquati intellectus, & non intellectionis, ſolum ſequitur, quod non poſſint cognoſci eadem cognitione; non, quod non poſſint diverſis cognitionibus: ergo Angelus, ſaltim diverſis cognitionibus, poteſt cognoſcere plura per ſpecies diverſas eiuſdem ordinis, non ſubordinatas. Prob. conſ. Si ita convenirent reſpectu eiuſdem cognitionis, poſſet ſimul illa cognoſcere eadem cognitione; ergo quia

ita conveniunt reſpectu diverſarum, poteſt diverſis cognitionibus, cum intellectus ſit potens elicere diverſas cognitiones.

24 Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia ſi convenirent reſpectu eiuſdem cognitionis, obiecta eſſent ordinata, imò vnita in vno intelligibili: Nec ſic eſſent repræſentata per ſpecies diverſas: quare ſimul cognoſcerentur. Verumtamen licèt ita conveniant reſpectu intellectus, nequeunt ſimul cognoſci, adhuc diverſis cognitionibus: nam intellectus non poteſt elicere ſimul cognitiones diverſas, inter ſe non ſubordinatas. Cumque cognitiones elicitæ medijs ſpeciebus eiuſdem ordinis, & non ſubordinatis, non ſint ſubordinatæ: ideò Angelus nequit ſimul elicere illas. In hoc ſenſu concludit Divus Thomas corpus articuli, dicens: *Ea verò cognitione, qua cognoſcunt res per ſpecies innatas, omnia illa ſimul poſſunt intelligere quæ vna ſpecie cognoſcuntur: non autem illa, quæ diverſis.* Præterea: Nam obiectum adæquatum intellectus Angeli non conflatur ſolùm ex his, quæ poteſt ſimul cognoſcere: ſed cum ſit potentia, coaleſcit ex omnibus, quæ ſucceſſivè, & per varias ſpecies poteſt intelligere. Obiectum autem cognitionis, cum hæc ſit actus, comprehendit omnia, quæ illas ſimul poſſunt cognoſci: nam ſi aliquod non poſſet ea percipi, iam non eſſet obiectum illius, ſed alterius cognitionis.

25 Arg. 3. Intra obiectum adæquatum Angeli ſunt plura, vt plura; ſed Angelus poteſt cognoſcere ſimul omnia, quæ ſunt intra obiectum adæquatum ſui intellectus: ergo. Mai. patet: Cum ſint plura obiecta non ordinata, & per ſpecies non ſubordinatas cognoſcibilia. Probat. minor. Angelus per ſuam virtutem locativam poteſt ſimul occupare omnia ſpatia ſui loci adæquati: ergo. Prob. conſ. Sicut Angelus habet virtutem locativam, ita intellectivam; ſed: ergo. Reſp nego conſ. Ratio eſt: Quia eſt locus adæquatus correſpondens rationi formali exiſtendi in illo, vt patet in loco corporis, correſpondente ſuæ quantitati. Et cum in Angelo ratio formalis exiſtendi in loco ſit operatio, locus adæquatus illius correſpõdet vni operationi eius: itaque eſt vbi poteſt ſimul operari, & omnia ſpatia eius vnica operatione ſimul occupat. Obiectum autem adæquatum intellectus Angeli non correſpondet intellectioni, ſed potentiæ intellectivæ. Nec eſt ſolùm quod intelligit, ſed quod poteſt intelligere vnica, aut pluribus cognitionibus, ſimul, vel ſucceſſivè. Et cum ſub hoc contineantur plura non ordinata, ſ

diſparata, per ſpecies non ſubordinatas repræſentabilia, quæ ſimul cognoſci nequeunt: ideò non poteſt ſic cognoſcere ſimul omnia, quæ continentur intra obiectum adæquatum illius.

26 Conc. Angelus poteſt cognoſcere ſimul omnia contenta intra obiectum adæquatum ſui intellectus, etſi per ſpecies non ſubordinatas repræſentabilia: ergo. Prob. ant. Angelus ſuperior, & homo ſunt obiecta contenta intra obiectum adæquatum intellectus Angeli inferioris, & repræſentabilia per ſpecies diverſas non ſubordinatas; ſed Angelus inferior poteſt cognoſcere ſimul Angelum ſuperiorem, & hominem: ergo. Mai. patet art. ant. Prob. min. Angelus inferior poteſt formare hanc propoſitionem: *Angelus ſuperior non eſt homo*; ſed in hoc caſu cognoſcit ſimul Angelum ſuperiorem, & hominem: ergo. Mai. patet ex dictis: & quia propoſitio mentalis eſt ſimplex qualitas, præcipuè in Angelo: qua cognoſcit ſimul omnia extrema, & obiecta illius.

27 Reſp. diſt. min. Et hominem ſecundùm ſe, nego min. Vt componunt propoſitionem, conc. min. & ita diſt. conſ. Licèt homo, & Angelus ſuperior ſecundùm ſe ſint obiecta repræſentabilia per diverſas ſpecies, non ſubordinatas: itaquè ſint plura, vt plura. Vt componunt talem propoſitionem, ſunt ſub aliquo ordine, & quaſi vnum repræſentatum per vnicam ſpeciem propoſitionis. Cumque Angelus inferior ſolùm prout ſic cognoſcat ſimul Angelum ſuperiorem, & hominem: ideò non cognoſcit eos vt repræſentatos per ſpecies non ſubordinatas, ſed per vnicam: nec vt plures, ſed vt vnum. Ita D. Thomas in corp. dicens: *Et ſic etiam intellectus noſter ſimul intelligit ſubiectum, & prædicatum prout ſunt partes vnius propoſitionis.*

28 Conc. Angelus inferior non cognoſcit ſimul Angelum ſuperiorem, & hominem, vt extrema talis propoſitionis, quaſi vnum: ergo cognoſcit eos, vt plures. Prob. ant. Cognoſcit hominem, removendo ipſum ab Angelo ſuperiori: ergo. Ant. eſt certum: Cum talis propoſitio ſit negativa vera, in qua prædicatum verè removetur à ſubiecto, de quo negatur. Prob. conſeq. Quod removetur à ſubiecto, non cognoſcitur vt vnum cum ſubiecto; ſed: ergo. Reſp. diſt. maior. Vt vnum ex parte rationis ſub *qua*, nego mai. Ex parte rationis *quæ*, conc. mai. & min. & ita diſt. conſ. Ratio *quæ* talis prædicati eſt natura hominis: Sicut & ſubiecti natura Angeli ſuperioris. Ratio ſub *qua* eſt vnio vtriuſque in tali propoſitione, vt toto logico, cuius

ſunt partes. Et licèt in prædicta propoſitione homo verè negetur, & removeatur ab Angelo ſuperiori; & propterea in natura, & ratione *quæ* non ſit vnum cum eo, ſed quid diverſum ab illo; in ratione ſub *qua* vnum ſunt: cum eadem ſit vnio vtriuſque extremi talis propoſitionis, & ſpecies repræſentans eius extrema. Cumque hoc ſufficiat, vt Angelus inferior cognoſcat ſimul ea, vt vnum: ideò ſic cognoſcit Angelum ſuperiorem, & hominem.

## ARTICVLVS SEPTIMVS.

### *VTRVM ANGELVS COGnoſcat futura.*

1 NOTO: Quod futura poſſunt conſiderari in ſua cauſa, & in ſe ipſis. Futura enim neceſſaria, quæ neceſſariò erunt, Angelus certò cognoſcit in ſua cauſa. Sic enim cognoſcit ſolem manè oriturum. Futura regularia, & quæ ſæpè eveniunt, cognoſcit coniecturaliter in ea. Sicut Medicus præcognoſcit ſanitatem infirmi. Futura omninò contingentia nequaquam cognoſcit in ſua cauſa, præcipuè ſi pendeant ex voluntate libera alterius: vt curſus, & conſenſus craſtinus. Futura ex ſe ipſis ſunt prædicta ſumpta ſecundum ſuam eſſentiam, & exiſtentiam, vt extra ſuas cauſas. Ita Ang. Mag. quæſt. 57. artic. 3. Specialis autem difficultas eſt de futuris contingentibus.

2 Concluſio: Angelus non poteſt naturaliter cognoſcere certò futura omninò contingentia. Ita D. Thomas, & B. Alb. loc. cit. Et eſt de fide; vt præveniunt MM. Serra, & Lezana. Eam ſtatuit Ang. Mag ſic: Quod eſt ſignum divinitatis, non convenit Angelis; ſed ita cognoſcere talia futura, eſt ſignum divinitatis: ergo. Min. probat ex illo Iſa. 41. *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dij eſtis vos.* Et S. Hieronimus cit. à M. Serra prævenit: *Si aliquis dixerit: multa ab idolis eſſe prædicta; hoc ſciendum, quod ſemper mendacium iunxerint veritati; & ſic ſententias temperarint, vt ſeu boni, ſeu mali quid accidiſſet, vtramque poſſet intelligi.* Et Ang. Doct. quæſt. 8. de Verit. art. 12. ait: *Cognitione naturali illa per formas innatas præſcire poſſunt, quæ in cauſis naturalibus ſunt determinata, vel in vna tantum cauſa, vel in collectione plurium: quia aliquid eſt contingens reſpectu cauſæ vnius, quod reſpectu concurſus plurium cauſarum eſt neceſſarium. Angeli autem omnes cauſas naturales cognoſcunt; vnde quædam, quæ contingentia videntur aliquibus cauſis eorum penſatis, Angeli vt neceſſaria cognoſcunt, dum omnes cauſas iſtorum cognoſcunt.*

3 Prob.concluſ.ratione Divi Thomæ: Angelus naturaliter non cognoſcit certo futura contingentia in ſe ipſis, nec in ſuis cauſis: ergo nequiquam cognoſcit ea. Conſ. patet: Cum non ſit alius modus cognoſcendi illa. Probat. ant.quoad 1.part.Futura contingentia non exiſtunt in ſe ipſis: ergo. Conſ.patet: Nam ſolus Deus cognoſcit in æternitate, vt in menſura ſuperiori, futura exiſtentia in illa, & non in tempore, nec in ſe ipſis. Prob. quoad 2. part. Cauſæ eorum non ſunt determinatæ, ſed omninò indifferentes ad productionem illorum; ſed Angelus non poteſt naturaliter cognoſcere certò effectum in cauſa non determinata, & ita indifferente: ergo. Quare Ang.Mag. concludit: *Et ſic ſolius Dei eſt futura cognoſcere.* Et licet Angelus cognoſcat futura neceſſaria, & regularia modo dicto; non tamen cognitione intuitiva, ſed abſtractiva: quia non cognoſcit ea, vt in ſe exiſtentia, ſed vt contenta in ſua cauſa.

4 Hoc ita ſtabilito, AA.conveniunt in eo: quod Deus poteſt Angelo revelare prædicta futura: quæ cognoſcet certiſſimè ex vitalis revelationis. Vnde excitatur dubium: An talis cognitio ſit intuitiva futurorum? Illuſt.Herrera Ep. Tiraſonenſ. M. Alvarez, Cornejo, & alij affirmant. Negant autem M. Bañez, Joan. à S.Thoma, Godoy 3.part.queſt.11. art.1.§ 6. Lerma in Curſ. Phil. Candamo de ſign. & not.& multi. Prob.ratione: Cognitio intuitiva eſt cognitio rei, vt phiſicè præſentis; ſed Angelus non cognoſcit futura revelata, vt phiſicè præſentia: ergo. Mai.eſt definitio notitiæ intuitivæ. Et patet ex D.Thoma quæſt.14.art.9.dicente: *Quæ videntur apud nos, habent eſſe diſtinctum extra videntem.* Et notitia intuitiva rei, eſt viſio illius. Min.conſtat: Cum non cognoſcat ea, vt præſentia in æternitate; nec in ſe ipſis.

5 Reſpondebis: quod ad notitiam intuitivam ſufficit cognitio rei obiectivè præſentis, dummodo terminetur clarè ad exiſtentiam, & ad reliquas circumſtantias, quibus afficitur. Cont. Ad notitiam intuitivam non ſufficit præſentia obiectiva rei: ergo requiritur phiſica. Prob.ant. Ad notitiam intuitivam requiritur præſentia rei, per quam differt ab abſtractiva; ſed per obiectivam non differt: ergo. Prob min. Obiectum notitiæ abſtractivæ etiam eſt obiectivè præſens intellectui: ergo. Ant.patet: Cum ſit cognitum ab illo.

6 Dices: Quod notitia abſtractiva eſt cognitio ſolius eſſentiæ, & quidditatis; quæ eſt præſens obiectivè dum cognoſcitur:

In-

Intuitiva autem eſt etiam cognitio exiſtentiæ, etſi hæc non ſit phiſicè, dum cognoſcitur, ſed obiectivè. Hoc impugnatum eſt Tract. 3. quæſt. 1. art. 10. Inſuper rejicitur: Notitiam, quam habet Deus de futuris contingentibus, vt reduplicativè contentis in ipſo, vt in cauſa, eſt cognitio perfectiſsima quidditatis, exiſtentiæ, & ſingularitatis eorum; ſed licet exiſtentia ſit obiectivè præſens, non eſt cognitio intuitiva: ergo requiritur inſuper præſentia phiſica rei pro cognitione intuitiva. Prob. min. Præterea, requiritur præſentia phiſica eorum in æternitate, vt Deus cognoſcat intuitivè illa: ergo. Ant. patet in Divo Thoma loc. cit. & quæſt. 14. artic. 13.

7 Ex his colligitur: Quod Angelus non cognoſcit naturaliter cogitationes cordis, nec actus liberi arbitrij. Ita Div. Thomas quæſt. 57. art. 4. Quod fundat hoc diſcurſu: Proprium Dei non convenit Angelis; ſed cognoſcere cogitationes cordis, & actus liberi arbitrij, eſt proprium Dei: ergo. Min. probat ex illo Jer. 17. v. 9. *Pravum eſt cor omnium, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor.* Et Pſal. 17. *Scrutans corda, & renes Deus*: ergo. Dices: Quod loquitur de cogitationibus futuris; quas ſolus Deus cognoſcit. Non de præſentibus, quas etiam Angelus cognoſcit. Cont. Vt legenti patebit Deus ibi laudatur propter duo quia cognoſcit futura, ante quam ſint: & quia cognoſcit cogitationes liberas; ſed ſi eius ſingularitas eſſet, cognoſcere ipſas futuras non daretur ſecundum motivum laudis: cum includeretur in primo: ergo eſt prærogativa ipſius, cognoſcere eas, vt præſentes.

8 Prob. ratione: Quod pendet ex voluntate libera alicuius, dum non manifeſtetur exterius, ſolum poteſt cognoſci ab eo, cui talis voluntas ſubiacet, & qui habet dominium ſuper eam, & actus eius; ſed cogitatio cordis, vt eſt effectus, & quilibet actus liberi arbitrij creaturæ rationalis, pendet ex libera ipſius voluntate, quæ ſubiacet ſoli Deo, habenti dominium ſuper eam, & actus eius; non tamen Angelo: ergo non Angelus, ſed ſolus Deus poteſt naturaliter cognoſcere cogitationes cordis, & actus liberi arbitrij. Vnde Ang. Mag. concludit cum illo 1. Cor. 2. *Quæ ſunt hominis nemo novit, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt.* Loquitur autem de cogitationibus, vt ſunt in intellectu; & de affectionibus, vt in voluntate: nam in ſuo effectu Angelus cognoſcit ſubtiliſsimè illas, etſi effectus occultiſsimus ſit; melius quam homo per mutationem vultus, & Medicus

per pulſum, affectiones animi percipiat.

9 Arg. 1. Angelus cognoſcit naturaliter ea, quorum habet ſpecies repræſentativas; ſed ab initio habet ſpecies repræſentativas futurorum contingentium: ergo. Reſp. diſt. mai. Repræſentativas in actu ſecundo, conc. maior. In actu primo, nego mai. & diſting. min. In actu primo, conc. minor. Secundo, nego min. & conſ. Species repræſentativa in actu primo eſt ſpecies, quantum eſt de ſe potens repræſentare. In actu ſecundo eſt ſpecies repræſentans. Ut enim Angelus naturaliter cognoſcat aliquod obiectum, non ſufficit, quod habeat ſpeciem repræſentativam; requiritur namque, quod habeat ſpeciem actu repræſentantem illud. Non ſufficit, quod poſsit repræſentare, ſed requiritur, quod actu repræſentet. Cumque ſpecies inditæ Angelo non repræſentent, ſed ſint repræſentativæ futurorum contingentium, antequam exiſtant: ideò Angelus per eas non cognoſcit actu futura, ſed cognoſcet ea dum exiſtant. Patet hoc in Ang. Doct. ad 3. dum ait: *Quod poſſunt repræſentare: quantum eſt de ſe*; & non repræſentant defectu futurorum; reddens rationem, cum aſſerit: *Quæ futura ſunt, nondum habent naturam, per quam illis aſsimileantur. Unde per eas cognoſci non poſſunt.* Sicut in patre habente vnicum filium eſt relatio, quæ adhuc non refertur ad ſecundum, cum nondum ſit; ea autem reſpicit illum, cum exiſtat: quia quantum eſt de ſe eſt reſpectiva ſecundi; quem defectu eius non reſpicit, quid licèt ſit futurus, non eſt præſens.

10 Cont. Licèt futura non exiſtant, ſpecies Angeli repræſentat in actu ſecundo illa: ergo. Prob. antec. Licèt præterita non exiſtant, ſpecies Angeli in actu ſecundo repræſentat illa: ergo. Prob. conſ. Sicut futura non ſunt, ſed erunt, ita præterita non ſunt, ſed fuerunt; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt inſinuata ab Ang. Mag. ad 3. Nam præterita iam habuerunt in ſe naturam, per quam aſsimilarentur ſpeciebus Angeli, quæ ex vi talis aſsimilationis ſunt determinatæ, vt repræſentent illa; eaque repræſentant, adhuc dum ſunt præterita, quia reliquerunt veſtigium, & memoriam ſui: & propterea, etiam homo cognoſcit præterita. Futura autem nondum habent naturam, per quam aſsimilentur ſpeciebus: Sicque hæ non repræſentant actu illa. Nec propterea in ſpecie deficit, nec ei advenit quid intrinſecum: nam talis defectus, & adventus eſt ex parte connotati, & non recti.

11 Cont. Species Angeli eſt actua-

actualis ſimilitudo futurorum: ergo. Probat. antec. Se habet vt ſimilitudo ad obiecta diſtantia ſecundùm tempus: ergo. Prob. anteced. Se habet vt ſimilitudo ad obiecta diſtantia ſecundum locum: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Nam diſtantia ſecundum locum, ſunt in rerum natura, & participant naturam, & ſpeciem, cuius ſimilitudo eſt in Angelo. Diſtantia autem ſecundum tempus futurum, non ſunt in rerum natura; & non participant naturam, nec ſpeciem, cuius ſimilitudo ſit in Angelo. Ita Divus Thomas ad 4.

12 Arg. 2. Poteſt dari notitia intuitiva rei phiſicè abſentis; ergo & in Angelo futurorum, quæ ſunt phiſicè abſentia. Prob. antec. Poteſt dari notitia abſtractiva rei phiſicè præſentis: ergo. Ant. patet: Cum obiectum eſt phiſicè præſens, & intellectus cognoſcens ipſum, non advertit talem præſentiam. Prob. conſ. Sicut notitia intuitiva dicitur cognitio rei præſentis, ita abſtractiva rei abſentis; ſed: ergo. Reſp diſt. min. Præſentis in re, conc. min. Obiectivè, nego min. & conſ. Præſentia phiſica rei in re eſt: exiſtentia ipſius in ſe, & iuxta cognoſcentem. Obiectiva eſt ipſa phiſica præſentia animadverſa, & cognita. Licèt enim poſsit dari notitia abſtractiva rei phiſicè præſentis in re, cum ſimul non eſt phiſicè obiectivè præſens, quia eius præſentia phiſica non eſt cognita: vt cum cognoſco Petrum, quin advertam ipſum mihi præſentem; non verô, cum etiam eſt obiectivè præſens. Quare non datur notitia abſtractiva rei, vt præſentis; nec intuitiva rei, vt abſentis.

13 Cont. Datur notitia abſtractiva rei phiſicè præſentis, & non obiectivè, ſive præſentia non cognita: ergo poteſt dari notitia intuitiva rei phiſicè abſentis, & non obiectivè, ſive abſentia non cognita. Prob. conſ. Hæ notitiæ conſtituuntur oppoſito modo; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia notitia intuitiva reſpicit obiectum, vt phiſicè præſens, ita vt advertat, & cognoſcat præſentiam phiſicam ipſius: cum intueatur, & videat ipſum: & intellectus per hoc, quod in re abſente non percipiat abſentiam, non reſpicit illam vt phiſicè præſentem, nec ipſam intuetur, nec videt. Notitia autem abſtractiva non eſt cognitio rei, vt phiſicè abſentis, ita vt abſentia advertatur, & cognoſcatur; præciſè enim eſt cognitio rei non præſentis, ſive non cognitæ vt præſentis; quæ eſt abſentia negativa, ſive non præſentia. Cumque datur huiuſmodi cognitio rei phiſicè præſentis, cum non cognoſcitur præſen-

tia ipſius : ideò datur notitia abſtractiva eius.

14 Cont. Cognitio rei phiſicè præſentis, ſi non eſt ipſius, vt præſentis, eſt notitia abſtractiva: ergo cognitio rei phiſicè abſentis, ſi non eſt ipſius, vt abſentis, erit intuitiva. Reſp. nego conſ. Diſcrimen patet in ipſa inſtantia: Nam ſi cognitio rei phiſicè præſentis deſinit eſſe intuitiva, quia non eſt ipſius, vt præſentis, ſive quia non advertit, nec conſiderat præſentiam phiſicam; multò minus erit intuitiva cognitio rei phiſicè abſentis, etſi non vt abſentis, ſive abſentia nō cognita: cum non ſit cognitio ipſius, vt præſentis; nec cognoſcat præſentiam eius, quam nec cognoſcere poteſt, cum in re ſit abſens. Ratio efficax eſt: Nam cum notitia intuitiva ſit de genere boni, requirit omnia: quod ſit rei præſentis, & quod eius præſentia cognoſcatur. Abſtractiva, cum de genere mali, conſurgit ex quocumque defectu: Sicque deficit intuitiva, & fit abſtractiva, ſive ſit cognitio rei abſentis, ſive rei, non vt præſentis. De hoc latè Tract. 3. quæſt. 1. art 10. à num 9.

15 Arg. 3. Deus poteſt facere, quod detur in Angelo notitia intuitiva rei abſentis: ergo & futurorum. Prob. ant. Poteſt Deus ſupplere concurſum obiecti intellectus creati; ſed res præſens eſt obiectum intellectus creati, ſive notitiæ intuitivæ illius: ergo. Prob. mai. Deus ſupplet concurſum exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ creatæ, dum Verbum divinum terminat humanitatem Chriſti Domini: ergo. Ant. eſt certum: Cum humanitas Chriſti exiſtat, & ſubſiſtat exiſtentia, & ſubſiſtentia Verbi divini. Prob. conſ. Sicut Deus continet perfectionem exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ creatæ, ita & obiecti creati; ſed: ergo.

16 Reſp. nego conſeq. Ratio eſt: Quia licèt natura creata exigat connaturaliter actuari propria exiſtentia, & terminari propria ſubſiſtentia creata; eſſentialiter ſolum exigit actuari, & terminari ea, vel alia ſuperiori, in qua illa contineatur; aut ſaltim dicit ad hoc non repugnantiam. Et cum hoc non repugnet Deo; cum fiat purè actuando, & terminando, vt dicitur Tract. de Incarnatione: ideò ſupplet ita concurſū exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ creatæ. Ad cognitionē autem alicuius requiritur concurſus proprij obiecti: nam ſi aliud ſubſtituat pro illo, non illud, ſed aliud erit obiectum cognitum. Unde nec Deus poteſt facere, quod obiectum abſens, ſit per aliud ita præſens, quod ipſum terminet notitiam intuitivam. Quare, nec quod in Angelo ſit cognitio intuitiva futurorum. Si verò Deus præbeat

obiecto exiſtentiam, tunc iam terminat talem notitiam. Sicut humanitas Chriſti, exiſtens exiſtentia divina, terminat cognitionem intuitivam videntis illam.

17 Cont. Humanitas non exiſtens, nec phiſicè præſens, fit exiſtens, & phiſicè præſens per exiſtentiam Dei: ergo quodlibet obiectum abſens, & non phiſicè preſens, poteſt fieri phiſicè præſens per exiſtentiam, & præſentiam ipſius Dei, & ſic terminans cognitionem, & notitiam intuitivam. Reſp. nego conſeq. diſcrimen eſt: quia humanitas Chriſti Domini per aſſumptionem fit intimè vnita Verbo Divino: ſicque & exiſtens, atque ſubſiſtens. Obiectum autem aliud creatum non fit ita intimum Deo, vt Dei præſentia reddatur phiſicè præſens intellectui creato, etſi Angelico, taliter quod intueatur, & videat ipſum: nam vt ait M.P. Aug. 11. confeſſ. cap. 18. *Videri etenim non poteſt, quod non eſt*. Pro quo vidend. Angel. Mag. quæſt. 8. art 3. ad 2. Nec dicas: quod exiſtentia, & præſentia obiecti accidit cognitioni, & notitiæ ipſius; cuius obiectum eſt quidditas eius. Nam accidit cognitioni, & notitiæ in communi; non intuitivæ, quæ requirit eam.

18 Arg. 4. Propheta cognoſcit intuitivè obiectum abſens, media revelatione divina; ergo etiam Angelus futura. Prob. ant. Cognitio, qua videtur obiectum futurum, eſt intuitiva obiecti abſentis; ſed Propheta ſua cognitione videt obiectum futurum: ergo. Mai. eſt certa: Nam viſio eſt intuitio obiecti. Minor. conſtat: Quia prophetia dicitur *viſio*, & Propheta appellatur *videns*: & non vt cumquè, ſed *procul videns* nominatur à Divo Thoma quęſt. 12. de Verit. art. 1. Eo quod eius cognitio, & viſio eſt futuri; quod non eſt, ſed erit.

19 Reſp. diſt. mai. Vt futurum, nego mai. Vt præſens, conc. mai. & diſt. minor. Vt futurum, conc. minor. Ut præſens, nego min. & conſeq. Hæc obiectio varium diſcurſum excitavit; vt videri eſt in M. Candamo loc. cit. cap. 4. quæſt. 8. ad 5. Veruntamen ſi D. Thomas conſulatur quæſt. 14. art. 13. & Tract. 3 quæſt. 2. art. 2. noſtra ſolvitur diſtinctione. Obiectum namque futurum poteſt ſumi vt futurum, & vt præſens. Pro futuritione, ſive ordine ad exiſtentiam; & pro eventu, ſeu exiſtentia, quam habebit. Propheta quidem videt futurum, vt futurum, pro futuritione, & ordine ad exiſtentiam conſideratum; in quo ſenſu cognitio eius dicitur viſio, & intuitio, ſed non rigoroſe: itaque cognoſcit exiſtentiam, & circunſtantias illius, atque omne ſibi à Deo revelatum.

Quod eſt ei obiectivè præſens; non verò phiſicè, nec in ſe. Vnde non videt, nec intuetur futurum, vt præſens, ſive pro eventu, & exiſtentia acceptum: cum non reſpiciat illud in ſua præſentialitate, vt Deus, qui ita videt ipſum in æternitate. Cumque hoc exigatur ad rigoroſam intuitionem: ideò nec Propheta, nec Angelus media revelatione videt, nec intuetur obiectum abſens, nec futura. Hoc conſtat ex doctrina communi Thomiſtarum: qui q. 14. art. 13. fatentur cum D. Thoma: Eſſe in Deo ſcientiam futurorum; quam propugnamus Tractat. 3. quæſt. 2. art 2. Et non admittunt in illo ſtrictam præſcientiam, quam tribuunt Prophetis; quia ſcientia viſionis, de qua eſt ſermo, terminatur ad phiſicè præſentia; quomodo Deus reſpicit futura in æternitate; non tamen Propheta. Præſcientia autem terminatur ad futura, vt futura; & non vt præſentia phiſicè, nec in ſe, ſed obiectivè, eo quod actu cognoſcantur. Propterea Deus ſcit, & non præſcit futura: Propheta verò præſcit, & non ita ſcit futura.

20 Arg. 5. Angelus cognoſcit naturaliter ea, quorum habet ſpecies intelligibiles, ſi habeant naturam, per quam aſsimilentur ſpeciebus; ſed Angelus habet ſpecies intelligibiles cogitationum cordis, quæ habent naturam, per quam aſsimilantur ſpeciebus: ergo. Mai. patet num. 9. Min. conſtat: Nam omnes ſpecies ſunt ei inditæ ab initio: & actus intellectus, & voluntatis, qui ſunt cogitationes, ſeu ſecreta cordis, habent ſuam eſſentiam, & naturam, cum actu exiſtant; & per eam aſsimilantur ſpeciebus.

21 Reſp. diſt. mai. Naturam manifeſtam, conc. maior. Occultam, nego maior. & diſting. min. Occultam, conc. min. Manifeſtam, nego min. & conſeq. Angelus enim ab initio ſuæ creationis habet ſpecies repræſentativas omnium; quæ ei repræſentant ſingula exiſtentia, eo quod actu participant naturam, per quam aſsimilentur ſpeciebus, ſi manifeſta ſint, & non occulta. Cumque cogitatio cordis ſit occulta: ſiquidem per voluntatem clauditur, ideoque ſecretum dicitur: adeò Angelus non cognoſcit illam, vſquequo manifeſtetur in effectu. Ita Ang. Mag. art. 4 addens: *Sic ſolus Deus cogitationes cordium, & affectiones voluntatis cognoſcere poteſt.* Et ad 1. ait: *Cogitatio vnius hominis non cognoſcitur ab alio propter duplex impedimentum ſcilicet, propter groſitiem corporis, & propter voluntatem claudentem ſua ſecreta. Primum autem obſtaculum tollitur in reſurrectione, nec eſt in Angelis. Sed ſecundum impedimentum*

*manebit poſt reſurrectionem , & eſt modo in Angelis.*

22 Cont. Non ſolus Deus, etiam ipſe homo cognoſcit cogitationes cordis ſui : ergo & Angelus. Prob.conſ. Angelus eſt amplioris ſcientiæ, quam homo; ſed: ergo. Reſp nego conſ. Ratio eſt: Nam quæ pendent à libera voluntate , vt cogitationes cordis, cognoſcuntur ab ipſo, qui vult;& ab eo , qui facit , vt velit : cum vterque ſciat quid faciat , & libertas requirat cognitionem. Quare homo volens , & Deus faciens , vt velit , cognoſcit illas. Alius autem , etſi Angelus , non percipit eas; niſi per voluntatem eius , & per ſignum exterius ei manifeſtentur : cum voluntate præcludantur. Ex quo non limitatur ſcientia Angeli , qui cognoſcit multa , & paucis ſignis intelliget eas.

23 Cont. Angelus debet etiam cognoſcere cogitationes in corde : ergo non ſunt ei occultæ. Prob.ant. Angelus cognoſcit per ſuas ſpecies omne , quod eſt pars vniverſi ; ſed cogitationes in corde ſunt pars vniverſi : ergo.Mai. patet : Cum ordine quodam repræſentent partes vniverſi. Min. conſtat : Cum exiſtant in vniverſo. Reſp.diſt.mai. Pars occulta, nego mai. Manifeſta, conc.mai. & diſt.min. Occulta, conc min. Manifeſta , nego min. & conſeq. Aliqui dicunt : Voluntatem , vt naturam , & non vt liberam in actu ſecundò, eſſe partem vniverſi : & exercitium eius liberum, dum eſt occultum , non fore partem,ſed dum fit manifeſtum:quia tunc videtur connexum cum alijs partibus vniverſi. Nos autem dicimus : Angelum cognoſcere ſingulas vniverſi partes, non occultas,ſed illi manifeſtas. Cum ergo cogitationes in corde exiſtentes, & non manifeſtatæ,ſint ei occultæ : ideò non cognoſcit illas ; licèt ſint partes vniverſi, cum exiſtant, & ſint in vniverſo,cognitę à Deo, & ab eliciente ipſas. Angelus namque cognoſcit omne naturale , quod eſt in vniverſo; cum ei nequeat occultari. Liberum tamen non cognoſcit,vſquequo aperiatur aliquo ſigno : quia in voluntate , aut intellectu eſt occluſum , vbi non habet illapſum , niſi Deus ſupremus Dominus.

## ARTICULUS OCTAVUS.

### *DE MODO COGNITIONIS Angeli.*

1 SUPPONO 1. Quod Angelus non intelligit componendo , nec dividendo. Sic Angel.Præcept. quæſt.58.art 4.Quod fundat cum S.Dion.aſſerente : *Virtus intellectualis Angelorum reſplendet perſpicaci*

caci divinorum intellectuum ſimplicitate; ſed ſimplex intelligentia eſt ſine compoſitione, & diviſione; vt dicitur in 3. de Anima: ergo Angelus intelligit ſine compoſitione, & diviſione. Probat deinde ratione: Qui ſtatim in prima apprehenſione percipit quidquid convenit ſubiecto, & removetur ab ipſo, non procedit, vt ipſum intelligat per compoſitionem, & diviſionem; ſed Angelus ſtatim in prima apprehenſione illud percipit: ergo. Mai. eſt certa: Nam alia operatio eſt ocioſa. Min. eſt manifeſta: Cum lumen intellectuale illius ſit perfectiſsimum, & quaſi ſpeculum clarum. Vnde Angelus intelligit ſimplici intuitu, & non eſt in illo iudicium formale, ſed ſimpliciſſima, & perfectiſsima apprehenſio. Percipit enim enunciationem, compoſitionem, & diviſionem ex parte obiecti, ipſe autem formaliter nec enunciat, nec componit, nec dividit, ſed apprehendit.

2 Suppono 2. Quod in intellectu Angeli non poteſt eſſe falſitas. Ita Ang. Doct. art. 5. Quod probat ex Philoſopho 3. de Anima dicente: *Intellectus ſemper eſt verus*. Et ex D. Aug. aſſerente: *Nihil intelligitur, niſi verum*; ſed Angelus non cognoſcit, niſi intelligendo: ergo. Probat quoque ratione: In attingentia quidditatis rei, per ſe ſemper eſt verum, & non deceptio, aut falſitas; ſed Angelus attingit omnia per modum quidditatis: ergo. Maiorem explicat: Nam cum quidditas rei ſit indiviſibilis, ſi cognoſcitur, tota, & totaliter attingitur. Min. oſtenditur ex dictis: Cum intelligat ſimplici intuitu, & apprehenſione. Advertit autem: Quod Angeli boni, nec circa ſupernaturalia decipiuntur, nec poteſt eſſe in eis falſitas, aut error: eo quod habentes rectam voluntatem, non iudicant de illis, niſi secũdum ordinationem divinam. Dœmones tamen per voluntatem perverſam ſubducentes intellectum à ſapientia divina, interdum abſolutè iudicant ſecundùm naturalem conditionem. Et in his, quę naturaliter ad rem pertinent, non decipiuntur: ſed decipi poſſunt quantum ad ea, quæ ſupernaturalia ſunt. Sicut, ſi conſiderans hominem mortuum, iudicet eum non reſurrecturum. Etſi videns hominem Chriſtum, iudicet eum non eſſe Deum.

3 In art. 6. diſtinguit Divus Thomas cum S. Aug. cognitionem per matutinam, & veſpertinam. Hanc diſtinctionẽ adducit Beat. Alb. loc. cit. Cognitionem matutinam Angeli nominat Angel. Mag. eam, qua cognoſcit in Verbo. Veſpertinam, qua in propria natura, & in ſe ipſis. Sicut enim

mane eſt principium diei, & veſpere terminus; ſic prædicta cognitio, quia prima, dicitur matutina; & alia, quia ſecunda, veſpertina. In art. 7. oſtendit: Quod ſi Angelus videns Verbum, cognoſcat in eo res in propria natura, eſt eadem cognitio matutina, & veſpertina. Si eas cognoſcat per ſpecies inditas, & formas innatas, eſt diverſa. Reſtat nunc: An Angelus cognoſcat diſcurrendo?

4 Concluſio: Angelus non cognoſcit naturalia, diſcurrendo. Ita Ang. Mag. artic. 3. Et cum eo Thomiſtæ, & communiter alij, præter Scotiſt. Gregor. Gabriel, Ocham, & eorum diſcipulos. Fundat concluſionem cum S. Dion. aſſerente: *Angeli non congregant divinam cognitionem à ſermonibus diffuſis, neque ab aliquo communi ad iſta ſpecialia ſimul adiunguntur*; ſed diſcurſus eſt cognitio, & ſermo diffuſus, deſcendens à communi ad ſpecialia: ergo.

5 Prob. 1. concluſ. ratione Divi Thomæ: Angeli in ſubſtantijs ſpiritualibus tenent gradũ, quem corpora cœleſtia in corporeis; ſed licèt corpora terrena acquirant per mutationem, & motum ſuam vltimam perfectionem, cœleſtia ſtatim ex ſua natura, ſine mutatione, & motu eam habent: ergo licèt intellectus ſubſtantiæ ſpiritualis inferioris, ſcilicet animæ rationalis, per motum, qui dicitur diſcurſus, adipiſcatur perfectionem cognitionis, Angeli ſine illo eam habent. Mai. eſt certa: Et ideò Angeli *cœleſtes mentes* appellantur à S. Dionyſio. Min. & conſ. patent: Quare addit Divus Thomas: *Et ideò dicuntur intellectuales, quia etiam apud nos ea, quæ ſtatim naturaliter apprehenduntur, intelligi dicuntur. Vnde intellectus dicitur habitus primorum principiorum. Animæ verò humanæ, quæ veritatis notitiam per quemdam diſcurſum acquirunt, rationales vocantur.*

6 Prob. 2. ratione ipſius: Intellectus ſtatim videns omnes veritates, & concluſiones in cognitione principij noti, non cognoſcit diſcurrendo; ſed intellectus Angeli circa naturalia eſt huiuſmodi: ergo. Mai. patet in homine: Cuius intellectus ex vno cognito procedit ad aliud; & ex principijs ad concluſiones: quia ob debilitatem ſui, & luminis, non ſtatim videt eas in principijs. Min. conſtat: Cum Angelus habeat plenitudinem luminis intellectualis, ob maximam ſui perfectionem. Unde in Angelis non eſt diſcurſus formalis, qui eſt compoſitio plurium actuum intellectus, quibus cognoſcit præmiſſas, & concluſionem. Solùm enim eſt in eis diſcurſus virtualis, quatenus in eodem entitativè actu, qui eſt ſimplex intuitus, diſtinguitur virtualiter formalitas cognoſcen

di principia à formalitate aſſentiendi concluſioni. In illis etiam eſt diſcurſus obiectivus, quatenus ex parte obiecti principia ſunt ratio aſſentiendi concluſionis. Sicut dictum eſt de Deo Tract. 3. quæſt. 1 art. 1. & 5.

7 Arg. 1. Cognitio, qua cognoſcitur vnum per aliud, eſt diſcurſus; ſed Angelus cognoſcit in naturalibus vnum per aliud: ergo. Prob. minor. Cognoſcit effectum per cauſam, & concluſionem per principia: ergo. Reſp. diſt. ant. Ex parte obiecti, conc. ant. Actus, nego ant. & ita diſt. conſ. Licèt enim Angelus ex parte obiecti cognoſcat effectum per cauſam, & concluſionem in principijs. Subiectivè autem, & ex parte actus non ſic procedit; ſed vnico, & indiviſibili actu, & eadem cognitione cognoſcit omnia, & attingit omnes formalitates, & veritates obiecti: Sicque non procedit ex vna cognitione ad aliam; nec ex cognitione præmiſſarum movetur ad cognitionem concluſionis. Cumque in hoc conſiſtat diſcurſus formalis: ideò in Angelo non eſt diſcurſus formalis, ſed ad ſummum virtualis, & obiectivus. Ita Angel. Doctor ad 1.

8 Cont. Angelus ex parte actus cognoſcit effectum per cauſam, & concluſionem per principia; ergo. Prob. ant. Syllogizare eſt cognoſcere ex parte actus effectum per cauſam, & concluſionem per principia; ſed Angelus poteſt ſyllogizare: ergo. Probat. min. Quod poteſt inferior, melius poteſt ſuperior; ſed homo inferior poteſt ſyllogizare: ergo. Reſp. diſt. mai. Quod poteſt ex perfectione, conc. mai. Ex imperfectione, nego mai. & diſt. min. Ex imperfectione, conc. min. Ex perfectione, nego min. & conſeq. Solutio conſtat ex dictis cum Divo Thoma; qui ad 2. addit: *Angeli ſyllogizare poſſunt tanquam ſyllogiſmum cognoſcentes. Et in cauſis effectus vident, non tamen ita quod cognitionem veritatis ignotæ acquirant ſyllogizando ex cauſis in cauſata, & ex cauſatis in cauſas.* Qui diſcurſus, & modus ſyllogizandi ſufficit, vt in Angelo ſit rigoroſa ſcientia, conſilium, & virtus conſiliativa.

9 Cont. Etſi Angelus ſit ita perfectus, ex parte actus ſyllogizat: ergo. Prob. ant. Procedens ex cognitione effectus ad cognitionem cauſæ, ſyllogizat ex parte actus; ſed Angelus procedit ex cognitione effectus ad cognitionem cauſæ; ergo. Maior. patet: Cum talis proceſſus ſit ſyllogiſmus demonſtrativus à poſteriori. Prob. min. Angelus ex cognitione ſui procedit ad cognitionem Dei Authoris naturæ; ſed vtraque cognitio eſt diverſa; ergo. Prob.

min. Eadem cognitio non poteſt eſſe intuitiva, & abſtractiva; ſed cognitio, qua Angelus ſe cognoſcit, eſt intuitiva ſui; & qua cognoſcit Deum Authorem naturæ, eſt abſtractiva: ergo.

10 Reſp. diſt. maior. Reſpectu diverſorum, nego mai. Eiuſdem, conc. maior. & minor. & nego conſeq. Angelus vtique eadem cognitione ſe cognoſcit, & in ſe, vt in effectu, cognoſcit Deum, vt cauſam ſui, & vt Authorem naturæ. Veruntamen ex cognitione ſui non procedit in aliam cognitionem Dei. Quod requirebatur, vt prædictus ſyllogiſmus foret talis, & demonſtrativus à poſteriori, ex parte actus. Nec cognoſcit cauſam per effectum, ſed in effectu cauſam, ob ſui dependentiam ab illa. Licèt enim eadem cognitio non ſit ſimul intuitiva, & abſtractiva reſpectu eiuſdem; poteſt eſſe intuitiva reſpectu obiecti primarij, ſi ei ſit præſens; & abſtractiva reſpectu alterius, ſive ſecundarij, ſi abſens: vt dictum eſt Tract. 3. quæſt. 1. artic. 10. Et cum Angelus ſibi ſit præſens; & Deus, vt Author naturæ, conſideretur ab illo vt abſens, cum non videatur: ideò talis cognitio eſt eadem, & non diverſa.

11 Cont. In Angelo cognitio vnius poteſt eſſe cauſa diſtinctæ cognitionis alterius: ergo. Probat. antec. In Angelo volitio vnius poteſt eſſe cauſa diſtinctæ volitionis alterius: ergo. Antec. inſinuatur ab Ang. Magiſt. quæſt. 60. artic 2. Nam dilectio naturalis eſt cauſa dilectionis electivæ: ſeu intentio finis eſt cauſa electionis mediorum. Prob. conſ. Sicut Angelus eſt perfectus in intelligendo, ita in volendo; ſed ergo. Reſpond. nego conſeq. Ratio eſt expreſſa in Divo Thoma loc. cit. Quia vt intellectus cognoſcat, trahit res ad ſe; & provenit ab imperfectione cognoſcentis, quod ſtatim non ſint in eo omnia intelligibilia, & quod ſimul non percipiat cuncta, cauſam, & effectum. Et cum Angelus ſit perfectiſsimus in cognoſcendo: ideò vnica cognitione cognoſcit omnia in obiecto, & non procedit ex cognitione vnius in diſtinctam cognitionem alterius. Voluntas autem fertur ad res, & ad bonum. Et cum aliquid ſit ſecundùm ſe bonum, & aliud ex ordinatione ad aliud, quomodo eſt appetibile; non eſt ex imperfectione volentis, ſed ex natura ipſius appetibilis, quod velit naturaliter aliquid vt in finem, & eligat aliud, vt medium: Sicque nec quod Angelus ex intentione finis procedat ad electionem mediorum.

12 Arg. 2. Deus non cognoſcit diſcurrendo: ergo etiam Angelus.

Prob.ant. Cognoſcere experiendo eſt cognoſcere diſcurrendo; ſed dœmon cognoſcit experiendo: ergo. Mai.patet: Nam cognitio experimentalis videtur diſcurſiva: cum ex multis memorijs fiat experimentum, & ex multis experimentis vnum vniverſale: vt dicitur in fine Poſt. & init. Meth. Reſpond.diſt.maior. Experientia propria, conc.mai. Similitudinaria, nego mai.& diſt.min. Experientia ſimilitudinaria, conc. min. Propria, nego min.& conſ. Solutio patet ex Ang. Doct.ad 3. aſſerente: *Experientia in Angelis, & dæmonibus dicitur ſecundùm quandam ſimilitudinem, prout ſcilicet cognoſcunt ſenſibilia præſentia, tamen abſque omni diſcurſu.* Idem dicitur de admiratione Angelorum in Myſterio Aſcenſionis Domini, vel alibi. Quæ non requirit diſcurſum, ſed perceptionem occulti admirabilis.

13 Nunc occurrit dubium: Utrum Angelus diſcurrat circa ſupernaturalia? Thomiſtæ negant cum Ang.Duce; etſi aliqui extranei affirment. Prob.ratione Divi Thomæ: Angelus ex natura ſua habet intelligere ſimplici intuitu, & ſine diſcurſu, quæcumque intelligit lumine naturali: ergo dum vtitur lumine ſupernaturali, etiam cognoſcit ſimplici intuitu, & ſine diſcurſu ſupernaturalia. Prob.conſeq. Gratia non imperficit, ſed perficit,& elevat modum operandi naturæ: Et ſimiliter ſupernaturale naturale; vt ſæpè repetit Divus Thomas; ſed intelligere ita ſimplici intuitu eſt modus perfectior, quam intelligere diſcurſu: ergo.

14 Objicies: Angelus non diſcurrit in naturalibus, quia eodem lumine, quo attingit principia, cognoſcit concluſionem; ſed in ſupernaturalibus nō attingit eodem lumine illam: ergo. Prob. minor. Angelus in ſupernaturalibus attingit principia lumine fidei, & concluſionem lumine ſcientifico theologico; ſed hoc lumen eſt diverſum: ergo. Mai.patet: Nam fides Angeli, & noſtra eſt eiuſdem ſpeciei;cuius lumen eſt revelatio immediata, vt obſcura: quia fides eſt per ſe obſcura. Lumen autem Theologiæ eſt revelatio mediata; non vt obſcura, ſed vt exigens claritatem: cum Theologiæ viæ ſit exaptivè evidens, & clara: vt dictum eſt Tract.1. quæſt.vnica, art.2.& 3.

15 Reſpond.diſting.mai. Et concluſionem ex principijs, nego maior. In principijs, conc. maior. & minor. & ita diſting. conſeq. Ad diſcurſum enim formalem non ſufficit, vti diverſo lumine. Inſuper requiritur, cognoſcere concluſionem ex princi-

pijs. Cumque Angelus in ſupernaturalibus, non ex principijs, ſed in principijs cognoſcat concluſionem: ideò in illis non diſcurrit. Et ratio eſt Divi Thomæ: Nam Deus infundit Angelo plenitudinem luminis ſupernaturalis, pro cognoſcendi ſupernaturalibus.

16 Objicies: Dœmones, viſis miraculis Chriſti, coniecturabant eſſe Filium Dei; ſed illa cognitio non erat eadem, ac coniecturalis: cum eſſet clara, infallibilis, & certa; & hæc obſcura, & falli bilis: ergo cum vna videatur or ta ex alia, inſuper naturalibu erit ita diſcurſus formalis. Reſp Quod non erat diverſa, ſed ea dem cognitio, comprehenden talia reſpectu diverſorum. Dœ mones namque ſimplici intuit videbant miraculum in mortu ſuſcitato; & coniecturabant Chriſtum, ita operantem, fore Filium Dei. Et hæc de Tractatu ſexto.



# TRACTATVS SEPTIMVS
# DE IPSIS ANGELIS.

HÆC eſt quaſi ſecunda pars huius Tractatus: qui, vt magnus, ita diſtribuitur. Hæc autem incipit à quæſt. 59. 1. part. Angelici Doctoris; & comprehendit cuncta, quæ de Angelis differit.

## QUÆSTIO PRIMA.

### *DE VOLVNTATE ANGELORUM.*

CUM voluntas ſequatur intellectum: ideò poſt notitiam intellectus Angelorum ſequitur notitia voluntatis eorum. Hæc autem quæſtio comprehendet quinque ab Ang. Duce adductas, in quibus agit de Voluntate, Dilectione, Productione, Perfectione, & Malitia Angelorum.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

## ARTICVLVS PRIMVS.

### *VTRVM IN ANGELO SIT liberum arbitrium.*

1 PRÆMITTO 1. In Angelo eſſe voluntatem. Ita Ang. Mag quæſt. 59. art. 1. Quod fundat ſic: S. Aug. dicit 10. lib. de Trin. quod *Imago Trinitatis* invenitur in mente ſecundùm memoriam, intelligentiam, & voluntatem; ſed imago Trinitatis non ſolùm invenitur in mente humana, ſed etiam in angelica, cum ſit capax Dei: ergo eſt voluntas in Angelo. Probat deinde ratione: Inclinatio in bonum vniverſale, cum cognitione ipſius, eſt voluntas; ſed in Angelo eſt talis inclinatio, cum prædicta cognitione: ergo

etiam voluntas. Vid. Tratatu 4. quæſt. 1. artic. 1. Ubi oſtenditur: Quod Divus Thomas ex intellectivo demonſtrat à priori volitivum, & probat eſſe in Deo voluntatem. Cum igitur Angelus ſit perfectè intellectivus, ſimiliter erit volitivus, & in eo erit voluntas.

2 Dices: Voluntas eſt in ratione: vt docet Ariſt. 1. de Anima; ſed in Angelo non eſt ratio: cum in eo non ſit diſcurſus: ergo nec voluntas. Reſp. cum D. Thoma ad 1. Quod voluntas hominis eſt in ratione: quia homo ratione, & diſcurſu pervenit in cognitionem omnium, & boni appetibilis. Voluntas autem Angeli eſt in intellectu, qui ſimplici intuitu cognoſcit omnia, & exinde vult bonum. Sicut propterea voluntas Dei, ſuo modo, ſequitur intellectum, & non rationem.

3 Præmitto 2. Quod voluntas Angeli eſt realiter diſtincta ab eius natura, & intellectu. Sic Ang. Doct. art. 2. Prima pars conſtat: Nam in creatis potentia proxima operativa diſtinguitur realiter ab eſſentia, & natura; ſed voluntas Angeli eſt potentia proxima operativa: ergo. Maior. patet ex dictis de intellectu Tractat. 6. quæſt. 3 art. 1. num. 4. Secunda ſic oſtenditur ab Angel. Mag. Potentia, qua aliquid tendit in rem extra ſe, eſt realiter diſtincta à potentia, qua trahit ad ſe, & habet in ſe, quod eſt extra ſe; ſed illa eſt voluntas, & hæc intellectus: ergo. Maior. eſt certa: Nam eadem virtute finita nequit id fieri.

4 Dices: Potentiæ ſumunt diſtinctionem ab obiectis; ſed verum, quod eſt obiectum intellectus, & bonum, quod eſt obiectum voluntatis Angeli, non diſtinguuntur realiter, ſed per rationem: ergo intellectus, & voluntas Angeli non realiter, ſed per rationem diſtinguuntur. Reſp. cum Ang. Mag. ad 2. Quod potentiæ ſumunt diſtinctionem ab obiectis, non materialiter ſumptis, ſed formaliter acceptis: quorum diſtinctio rationis ſufficit in creatis ad diſtinctionem realem potentiarum. Quare talis diſtinctio inter verum, & bonum ſufficit, vt intellectus, & voluntas Angeli realiter diſtinguantur.

5 Præmitto 3. Quod quędam non agunt ex arbitrio, ſed quaſi ab alijs mota, & acta: Sicut ſagitta movetur à ſagittante in finem. Quædam autem agunt quodam arbitrio, ſed non libero Sicut irrationalia. Ovis nam quæ fugit Lupum ex quodam iudicio quo eum exiſtimat noxium. Enim verò hoc iudicium non eſt ſibi liberum, ſed inditum à natura Iudicium vtique, & arbitrium liberum ſolum poteſt eſſe in orna-

tis intellectu. Ita Divus Thomas art.3. Quæ patent in B. Albert. quæſt.14. art.1. & 2.

6 Concluſio: In Angelo eſt liberum arbitrium. Ita D. Thomas art.3. & B. Alb. 2. p. quæſt.16. Et eſt de fide; vt oſtendit Illuſt. Caſtell Tract. de lib. Arb. diſp.1. quæſt.4. ſect.1. num.3. Nam ad peccatum, & punitionem eius requiritur libertas à neceſsitate, quæ eſt propria liberi arbitrij; ſed fides docet: quod Angeli peccaverunt, & quod ſui peccati pœnas receperunt: ergo. Maiorem eſſe de fide, oſtendit quæſt. 2. ſect. 6. Minorem ex illo 2. Pet. 4. *Angelis peccantibus non pepercit.* Et eſt expreſſa in Epiſt. B. Judæ.

7 Prob. 1. concluſ. ratione Divi Thomæ in ſed cont. Angelus eſt dignior homine; ſed in homine, ob ſui dignitatem, eſt liberum arbitrium: ergo melius in Angelo. Mai. eſt certa, & manifeſta in illo Pſal. 8. *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis.* Min. eſt nota: Nam ob excellentiam hominis eſt in homine, & non in brutis: quia eſt maxima perfectio.

8 Prob. 2. ratione ipſius: Vbicumque eſt intellectus, eſt liberum arbitrium; ſed in Angelo eſt intellectus: ergo. Mai. patet: Nam vbi eſt intellectus, poteſt eſſe iudicium liberum, quo cognoſcat rationem vniverſalem boni, ex qua poteſt iudicare hoc, vel illud eſſe bonum particulare, quod pro ſuo libito proſequatur. Min. ſatis oſtenſa in Ang. Præcept. qui ita claudit corpus articuli: *Et ſic patet liberum arbitrium eſſe in Angelis, etiam excellentius quam in hominibus, ſicut & intellectum.*

9 Ex quibus deducitur: Quod in Angelo non eſt iraſcibilis, nec concupiſcibilis. Sic Divus Thomas art.4. Nam hę potentiæ ſunt in parte ſenſitiva, quæ non eſt in Angelis. Probat deinde ratione: Appetitus intellectivus, qui ſolus eſt in Angelo, & eſt ipſa voluntas, reſpicit pro obiecto rationem communem boni: idemque ſufficit pro omni bono in particulari; ſed iraſcibilis, & concupiſcibilis reſpiciunt bonum in particulari: ergo non ſunt in Angelo ſob appetitu intellectivo; ſed hic ſufficiet ad attingendum bonum in communi, & in particulari. Mai. patet in potentia viſiva: quæ reſpicit pro obiecto rationem coloris in communi; & eadem ſufficit pro videndo omni colore in particulari. Minor. eſt certa. Et conſ. optima: Etſi aliquæ paſsiones iraſcibilis, aut concupiſcibilis aſsignentur aliquando in Angelo; non ſunt in rigore, ſed methaphoricè, & per quamdam ſimilitudinem.

10 Arg. 1. In Angelo non eſt

actus

actus liberi arbitrij: ergo nec liberum arbitrium. Prob.antec. In Angelo non eſt electio; ſed actus liberi arbitrij eſt electio: ergo. Prob.mai. Electio requirit conſilium, & inquiſitionem; ſed in Angelo non eſt conſilium, nec inquiſitio: ergo. Mai.patet: Cum electio ſit appetitus preconſiliati: & in 3. Ethic. dicatur: quod conſilium eſt inquiſitio quædam. Minor.conſtat: Cum in Angelo non ſit diſcurſus, ad quem attinet inquiſitio.

11 Reſp. diſt.maior. Electio Angeli, nego mai. Hominis, conc. mai.& min.& nego conſ. Si inſtes paritate. Audi rationem: Quia Angelus percipit ſubitò veritatem. Homo autem non, ſed paulatim, inquiſitione, diſcurſu, & ratione. Quare Ang.Doctor ad 1. ait: *Philoſophus loquitur de electione ſecundum quod eſt hominis. Sicut autem exiſtimatio hominis in ſpeculatiuis differt ab exiſtimatione Angeli in hoc, quod vna eſt abſque inquiſitione, alia verò per inquiſitionem; ita & in operatiuis. Vnde in Angelis eſt electio, non tamen cum inquiſitiua deliberatione conſilij, ſed per ſubitam acceptionem veritatis.* Et poteſt addi: Quod in Angelis eſt inquiſitio virtualis, & conſilium virtuale; quæ, & quod ſufficit ad electionem. Sicut diſcurſus virtualis ſufficit ad ſcientiam.

12 Cont. Intellectus Angeli ſubitò percipit omnem veritate[m] obiecti: ergo voluntas Angeli ſ[u]bitò vult omnem bonitatem obiecti: Et ſic non eſt in eo electi[o] quæ ſequitur intentionem, & vo[-]litionem finis. Prob.conſ. Sic[ut] Angelus, vt intellectivus, eſt per[-]fectior homine; ita vt volitivu[s] ſed: ergo. Reſp.nego conſ. Di[ſ]crimen adducitur ab Ang.Doc[t.] ad 2. Quia cognitio fit per ho[c] quod cognitum ſit in cognoſcen[-]te: & propter perfectionem An[-]geli, omnia citò ſunt in ment[e] ipſius, quæ percipit ſimplici in[-]tuitu. Volitio autem, cum ſit ap[-]petitus boni, fertur ad res vt ſun[t] in ſe, & ad extra. Unde Angelu[s] non ſubitò, ſed prout vult, fertu[r] ad bona extra ſe exiſtentia; & propria electione, diſtincta ab in[-]tentione finis, vult illa. Hoc etian[m] confirmat quæſt.60.art.2.

13 Arg.2. Si eſſet in Angel[o] liberum arbitrium, etiam eſſet i[n] eo dilectio electiva; ſed in Angelo non eſt dilectio electiva: ergo. Prob.min. Dilectio electiva eſt amor rationalis; ſed in Angelo non eſt amor rationalis: ergo Mai.patet arg.ant. Min.conſta[t] ex S.Dion.cap.4. de divin.Nom vbi adducit proprium Angel[i] amorem intellectualem, condiviſum rationali. Reſp. diſt. maior. Electiva Angeli, nego mai. Hominis, conc.mai. & min. & neg[o] conſ. Amor rationalis conſequi-

tur cognitionem ratiocinativam, & diſcurſum. Intellectualis verò cognitionem ſimplicem. Et licèt dilectio electiva hominis ſit amor rationalis; dilectio electiva Angeli non eſt, niſi amor intellectualis. Et cum ſit in Angelo: ideò in illo eſt electio electiva. Ita Divus Thomas art. 2.

14 Cont. In Angelo eſt ſola dilectio naturalis: ergo non eſt in eo electiva, quæ ſit amor intellectualis. Prob. ant. In Angelo eſt ſola cognitio naturalis, & non ratiocinativa, quæ ſit diſcurſus intellectus: ergo. Prob. conſ. Sicut in homine dilectio electiva ſequitur ad naturalem, ita cognitio ratiocinativa ad naturalem; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio aſsignatur à Divo Thoma: Nam omnia cognoſcibilia obiecti ſunt ſimul in intellectu Angeli, qui propterea illa cognoſcit cognitione naturali, & ſimplici intuitu; & exinde non diſcurrit. Bonum autem, quod eſt obiectum voluntatis Angeli, aliud eſt ſecundùm ſe, & propter ſe: cum ſit finis; & tale bonum amore naturali vult. Aliud ex ordine ad aliud, & propter finem: quod vult per ordinem ad finem. Et cum non neceſsitet Angelum, vt velit ipſum: ideò vult pro ſuo libito, & electivè, cum vult; & dilectione electiva, diſtincta à naturali.

## ARTICVLVS SECUNDUS.

### DE DILECTIONE ANGELI.

1 NOTO 1. Quod in Angelo eſt dilectio naturalis. Sic D. Thomas quæſt. 60. art. 1. Quod fundat hoc diſcurſu: Nihil amatur, niſi cognitum; ſed in Angelo eſt cognitio naturalis: ergo & dilectio naturalis. Mai. eſt D. Auguſtini lib. 4. de Trin. Deinde præbet rationem: In qualibet natura eſt aliqua inclinatio naturalis, quæ dicitur appetitus, vel amor naturalis; ſed in Angelo eſt natura intellectualis: ergo in eo eſt inclinatio naturalis ſecuta ad talem naturam; quæ eſt voluntas, & dilectio naturalis. Hoc patet Tract. 4. quæſt. 1. art. 1. Idem docet B. Alb. quęſt. 14. art. 2.

2 Dices: Amans dilectione naturali, potius agitur, quam agat: cum nemo habeat ſuæ naturæ dominium; ſed Angelus non agitur, ſed agit: cum ſit liberi arbitrij: ergo non amat dilectione naturali. Reſpond. cum Ang. Mag. ad 2. Quod præter Deum, qui eſt primum agens, omne, quod eſt in mundo, agitur ab aliquo: Sicque Angelus agitur à Deo, Authore naturæ ſuæ, in quantum ſibi eſt indita inclinatio naturalis, qua alia liberè velit. Quare

ita concludit: *Non tamen ſic agitur, quod non agat, cum habeat liberam voluntatem.*

3 Noto 2. Quod in Angelo eſt dilectio electiva. Conſtat art. ant. num. 13. Ita docetur ab Ang. Doct. art. 2. Cuius diſcurſus eſt hic: Nemo meretur, vel demeretur actu naturali, ſed electivo; ſed Angelus ſua dilectione meretur, vel demeretur: ergo. Prob. quoque hac ratione: Dilectio aliquorum in ordine ad finem eſt electiva; ſed Angelus diligit plura in ordine ad finem: ergo. Min. patet: Cum diligat creaturas in ordine ad Deum. Pro quibus S. Doctor ait: *Vnde non eſt ex imperfectione appetentis, quod aliquid appetat naturaliter vt finem, & aliquid per electionem, vt ordinatur ad finem. Quia igitur natura intellectualis in Angelis perfecta eſt, invenitur in eis ſola cognitio naturalis, non autem ratiocinativa: ſed invenitur in eis dilectio & naturalis, & electiva.* Nunc videbimus reſpectu quorum.

4 Cõcluſio: Angelus ſe Deum, vt Authorem naturę, & alios Angelos diligit dilectione naturali. Ita Ang. Præcep. art. 3. 4. & 5. & B. Albertus loc. cit. Prob. concluſ. quoad 1. part. ex D. Thoma art. 3. Appetitus naturalis proprij boni eſt dilectio naturalis ſui; ſed Angelus habet appetitum naturalem proprij boni: ergo. Prob. min. Vnumquodque appetit natura[...] ter proprium bonum: ergo. A[...] patet in cognitione carentib[...] uam ignis appetit proprium [...] cum ſurſum. Conſ. conſtat; itac[...] Ang. Mag. concludit: *Vnde naturaliter tam Angelus, quàm homo [...] ligit ſe ipſum, in quantum aliq[...] bonum naturali appetitu ſibi deſi[...] rat.*

5 Prob. quoad 2. part. ex A[...] gel. Doct. art. 5. omnia præcep[...] moralia ſunt de lege naturæ; [...] præceptum de dilectione Dei [...] pra ſe ipſum eſt morale: ergo [...] de lege naturæ; & Angelus di[...] ctione naturali diligit Deum [...] pra ſe ipſum, & plus quàm ſe [...] ſum.

6 Prob. alia ratione ipſi[...] Vnũquodque magis diligit ill[...] cuius eſt, quàm ſe ipſum; ſed A[...] gelus ſecundum ſuam natur[...] eſt Dei, ſub quo, vt vniverſali [...] no, continetur: ergo. Maior [...] ponitur in his, quæ naturali[...] aguntur, pars enim ſe exponit [...] ricolo, ob conſervationem ſui [...] tios, cuius eſt: ſicut manus ic[...] ad conſervationem corporis. [...] quia ratio imitatur naturam, [...] imitatio eſt in virtutibus pol[...] cis. Civis enim virtuoſus m[...] ſe exponit, pro cõſervatione R[...] publicæ. Min. eſt Divi Tho[...] dicentis: *Omnis creatura natur[...] ter ſecundum id quod eſt, Dei* [...] Conſeq. patet: Et ſic conclu[...]

*Sequitur quod naturali dilectione etiam Angelus, & homo plus, & principalius diligat Deum, quàm ſe ipſum: alioquin ſi naturaliter plus ſe ipſum diligeret, quam Deum, ſequeretur quod naturalis dilectio eſſet perverſa, & quod non perficeretur per charitatem, ſed deſtrueretur.*

7 Prob. quoad 3. ex Angel. Mag. artic. 4. Quod invenitur in omnibus, etiam ratione carentibus, eſt naturale; ſed Eccleſ. 13. dicitur: *Omne animal diligit ſibi ſimile*: ergo Angelus dilectione naturali diligit alios Angelos, cum ſibi ſint ſimiles. Expenditur ratio cum ipſo: Vnumquodque diligit naturaliter, quod eſt ſibi vnum vnione naturali, ſeu in natura; ſed omnes Angeli ſunt vnum vnione naturali, ſeu in natura: ergo Angelus diligit dilectione naturali omnes. Mai. explicatur hoc principio vniverſali: Vnumquodque diligit id, quod eſt vnum ſibi: nam quod eſt vnum cum aliquo, eſt ipſummet, & quilibet diligit naturaliter ſe ipſum. Deinde deſcendit Divus Thomas: Si ſit vnum ſibi vnione naturali, diligit illud dilectione naturali. Si vnione non naturali, dilectione non naturali. Exinde progreditur: Sicut homo civem ſuum diligit dilectione virtutis politicæ, & conſanguineum dilectione naturali: quia ille eſt idem vnione civili, & politica; hic naturali. Min. conſtat ex ipſo aſſerente: *Id quod eſt vnum cum aliquo genere, vel ſpecie, eſt vnum per naturam.* Conſ. patet; & ſic concludit: *Sic ergo dicendum eſt, quod vnus Angelus diligit alium naturali dilectione, in quantum convenit cum eo in natura.*

8 Ex his conſtat: Quod Angelus neceſſariò quoad exercitium diligit ſe ipſum, & Deum, vt Authorem naturæ, dilectione naturali. Ita communior conſenſus Thomiſtarum. Prob. quoad 1. p. Qui non poteſt ceſſare ab amore naturali ſui, neceſſariò quoad exercitium ſe diligit dilectione naturali; ſed Angelus non poteſt ceſſare ab amore naturali ſui: ergo. Prob. min. Angelus non poteſt ceſſare à cognitione naturali ſui: ergo. Prob. conſ. Quia eius cognitio dirigit ſui amorem: & quia, ſicut eius intellectui ſemper proponitur intimè ſua ſubſtantia, vt vera, ita ſuæ voluntati, vt bona: & quia non poteſt quis non amare bonum ſubſtantiale, & naturale; præſertim cum cognoſcit illud: Cum ita velit ſui eſſe, & conſervationem; ſed: ergo. Advertit autem Ang. Mag. artic. 3. Quod in Angelo eſt bonum ſubſtantiale, quod eſt eius ſubſtantia, & per ſe ſubſiſtens. Et hoc diligit dilectione naturali, ita neceſſaria. Et bonum accidentale; quod advenit ſuæ ſubſtantiæ,

Quod non ſic, ſed dilectione electiva vult.

9 Prob. quoad 2. part. Dum Angelus ſe cognoſcit, neceſſariò cognoſcit Deum, vt Authorem naturæ, cuius ipſe eſt, à quo habet eſſe, conſervatur, & dependet; ſed quia Angelus ſe neceſſariò cognoſcit, neceſſariò quoad exercitium ſe diligit dilectione naturali, itaque vult ſui eſſe, & conſervationem: ergo & ita diligit Deum, vt authorem naturæ. Roboratur: Angelus cognoſcens Deum, vt Authorem naturæ, format dictamen invariabile de eo quod eſt omni amore dignu; ſed tale dictamen eſt neceſſarium quoad exercitium, cum ſemper ſic Deum cognoſcat: ergo regulat amorem Dei naturalem, neceſſarium quoad exercitium. Corroboratur: Amor neceſſarius mediorum ſupponit amorem neceſſarium finis; ſed Angelus neceſſariò quoad exercitium diligit ſe ipſum, vt medium ordinatum ad Deum, vt Authorem naturæ: ergo: Mai. eſt certa, cum ſit ex motione finis. Min. patet: Non enim diligit ſe, vt finem, ſed in ordine ad Deum, vt finem: cum eius dilectio ſit recta, & non perverſa.

10 Pro his Ang. Doct. art. 1. ad 3. ait: *Sicut cognitio naturalis ſemper eſt vera, ita dilectio naturalis ſemper eſt recta, cum amor naturalis nihil aliud ſit, quàm inclinatio naturæ indita ab Authore naturæ.* Ex quibus infertur, quod Angelus non diligit dilectione naturali, & neceſſaria, ſed electiva alias creaturas, & alios Angelos quantum ad alia bona, præter bonum naturæ Angelicæ, in quo genericè conveniunt. Cuius rationem reddit Ang. Mag. art. 4. nam pro vt ſic non ſunt vnum, ſed quid diverſum ab Angelo.

11 Arg. 1. Angelus diligit ſe dilectione electiva: ergo non naturali. Antec. docetur à D. Thoma art. 3. Prob. conſ. Dilectio electiva, & naturalis opponūtur reſpectu eiuſdem; ſed: ergo Reſ. diſt. mai. Eiuſdem ſecundum idem, conc. mai ſecundùm diverſa, nego mai. & diſt. min. Quantum ad bonum accidentale, conc. min. ſubſtātiale, nego min. & ita diſt. conſ. Licèt dilectio naturalis, & electiva opponantur in eodem, reſpectu eiuſdem boni, vel ſecundùm idem; non tamen reſpectu diverſi, vel ſecundùm diverſa. Cumque Angelus ſolum diligat ſe dilectione electiva, ſecundùm bonum accidentale, quod ſibi vult; non verò ſecundùm ſubſtantiale, quod eſt in ſua ſubſtantia: idèò diligit ſe dilectione naturali ſecundùm tale eſſe ſubſtantiale. Ita Divus Thomas ad 1. dicens: *Angelus, aut homo non diligit ſe dilectione naturali, & electiva ſe-*

*cundùm idem, ſed ſecundùm diverſa.*

12 Cont. Angelus nec ſecundùm diverſa poteſt ſe diligere dilectione naturali, & electiva: ergo. Prob. ant. Angelus nec ſecundùm diverſa poteſt diligere ſe, vt finem, & vt medium; ſed dilectio naturalis eſt ipſius finis, & electiva eſt medij ad finem: ergo. Mai. patet: Cum Angelus non ſit finis ſui, ſed Deus, Min. eſt Divi Thomæ art. 2. dicentis: *Dilectio igitur boni, quod homo naturaliter vult ſicut finem, eſt dilectio naturalis: dilectio autem ab hac derivata, quæ eſt boni, quod diligitur propter finem, eſt dilectio electiva.*

13 Reſp. diſt. mai. Vt finem vltimum, conc. maior. Intermedium, nego mai. & diſt. min. Finis vltimi, aut intermedij, conc. min. Vltimi ſolùm, nego min. & conſ. Vel poteſt dici: quod voluntas prima, & præcipua, ſive dilectio naturalis eſt finis. In quo ſenſu loquitur S. Doctor; & dum ait: *Voluntas naturaliter tendit in ſuum finem vltimum: Omnis enim homo naturaliter vult beatitudinem.* Secunda autem, & quaſi minus præcipua eſt ad media naturaliter ordinata ad vltimum finem: Sicque Angelus naturaliter vult ſe ipſum cum ordine ad Deum, vt Authorem naturæ. Vel iuxta diſtinctionem: Quod dilectio naturalis eſt finis vltimi, vel intermedij. Cumque Angelus, licèt reſpiciat Deum vt vltimum finem, ſicut quęvis creatura, ſecundùm proprium bonum ſubſtantiale ſit finis intermedius, vltra in Deum ordinatus reſpectu ſui boni accidentalis: ideò ſe diligit dilectione naturali, vt finem intermedium, ſecundùm bonum ſubſtantiale, & dilectione electiva ſecundùm accidentale; quod ordinat, etſi non vltimatè, ad ſubſtantiale, ex cuius dilectione naturali hæc derivatur. Hic ſenſus videtur conformis menti Angel. Doct. art. 3. ad 1.

14 Cont. Angelus non poteſt dilectione naturali ſe diligere, vt finem intermedium, nec electiva vt medium: ergo. Probat. antec. Quælibet dilectio eſt vnitiva, & concretiva; ſed eiuſdem in ſe ipſo non eſt vnitio, nec concretio: ergo. Mai. eſt S. Dion. cap 4. de divin. Nom. Min. eſt certa: Siquidem vnitio, & concretio eſt diverſorum. Reſp. diſt. mai. Dilectio ſui, nego mai. Alterius, conc. mai. & min. & nego conſeq. Dilectio namque alterius, de qua S Dion. loquitur, eſt virtus vnitiva, & concretiva, ſive vnitio, & concretio amantis cum amato. Non verò dilectio ſui ipſius. Hęc enim, cum ſupponat omnimodam vnitatem, non requirit novam vnionem. Imò propter illam, eſt amor intimior, à quo derivatur amor in alia. Quare Angelus vtraque

dilectione ita ſe diligit vt vnum, quin interveniat talis vnitio, & concretio. Ita Angelic. Doctor ad 2.

15 Cont. Dilectio debet eſſe alterius: ergo Angelus nec diligit ſe ipſum. Prob.ant. Dilectio eſt quidam motus; ſed motus eſt tendentia in alterum: ergo. Reſpond.diſt.mai. Motus manens in amante, conc.mai. Tranſiens in amatum, nego mai. & diſt.min. Tranſiens, conc.min. Manens in agente, nego min. & conſ. Licèt motus rigoroſus, ſive alius tranſiens in terminum, ſit tendentia in aliud; non verò intentionalis, & improprius, præcipuè, qui eſt actio immanens, in agente manens; quæ ex neceſſitate non tendit in aliud, ſed quaſi reflectens, poteſt manere in ipſo agente. Cum igitur dilectio ſit huiuſmodi: ideò poteſt non eſſe ad alterum, ſed in ipſum diligentem. Unde Angelus vtraque dilectione, modo prædicto, ſe diligit. Ita Ang.Mag.ad 3.

16 Arg.2. Angelus dilectione naturali magis diligit ſe, quàm Deum, vt Authorem naturæ: ergo non diligit magis Deum. Probat.ant. Dilectio naturalis fundatur in vnitate, & vnione; ſed Angelus eſt ſibi magis vnus, quàm Deus: ergo. Reſp.diſt.maior. In his, qui non dividuntur, ex æquo, nego mai. Qui dividuntur, conc. mai. & min. & nego conſ. Ea enim dividuntur ex æquo, quorum vnum non eſt alterius, nec alterum eſt vni ratio exiſtendi, nec bonitatis. Illa non, quorum vnum ſe habet ſic reſpectu alterius. Licèt ergo in illis dilectio fundetur in vnitate, & vnione: Sicque idè diligat magis ſe ipſum, quàm aliud; in his autem non, ſed fundatur in alio, nempe, in ratione maioris boni. Cumque Angelus ſit Dei, & Deus ſit Angelo tota ratio exiſtendi, & bonitatis, & ſit bonum vniverſale ſimpliciter: ideò magis diligit Deum, quàm ſe ipſum: nam vnumquodque magis diligit bonum vniverſale, quàm bonum ſpeciei; & bonum ſpeciei magis, quàm bonum ſingulare ſui. Sicut propterea pars magis diligit bonum totius, quàm ſui. Sic Divus Thomas artic. 5. ad 1.

17 Cont. Angelus in tali ſenſu magis diligit naturaliter ſe, quàm Deum, qui eſt ratio exiſtentiæ, & bonitatis eius: ergo. Probat. antec. In tali ſenſu diligere magis Deum videtur proprium charitatis; ſed dilectio naturalis Angeli non eſt dilectio charitatis: ergo. Maior. patet: cum ſit præceptum charitatis. Min. conſtat: Nam charitas eſt dilectio ſupernaturalis. Reſp. diſt.mai. In linea boni naturalis, nego mai. Supernaturalis, conc. mai.

mai, & min. & nego conſ. Deus enim poteſt conſiderari vt Author naturæ: quo modo eſt bonum vniverſale, à quo omne bonum naturale pendet. Et vt Author gratiæ, & ſupernaturalis, in quantum eſt bonum ſummum ſupernaturale, à quo ſumitur omne bonum talis lineæ. Et licèt dilectio charitatis magis diligat Deũ in linea boni ſupernaturalis, & vt Author gratiæ; non tamen in linea boni naturalis, & vt Authorem naturæ. Vnde reſtat, vt in hac linea Angelus dilectione naturali Deum plus quàm ſe diligat: quia in ea eſt ſummum, & ſupremum bonum. Sicut propterea dilectione charitatis magis diligit Deum in linea ſupernaturali, quàm quodlibet bonum ſupernaturale, ita Angelicus Doct. art. 4.

18 Cont. Diligere magis Deũ in linea boni naturalis non eſt propriũ dilectionis naturalis Angeli: ergo Angelus nec ſic magis diligit Deum. Prob. ant. quod ita eſt proprium talis dilectionis, ſẽper manet, manente natura Angeli; ſed diligere ſic Deum magis quàm ſe ipſum, non manet ſemper, manente natura Angeli: ergo. Prob. min. In Angelo peccante manet natura Angeli; ſed non manet in eo ſic magis diligere Deum, quàm ſe ipſum: ergo. Prob. min. ex D. Auguſt. 14. de Civitate Dei, aſſerente: *Fecerunt Civitates duas amores duo, terrenam, ſcilicet amor ſui vſque ad Deĩ contemptum, cœleſtem vero amor Dei vſque ad contemptum ſui*: ergo.

19 Reſp. admitto, & explico authoritatem, in qua M. P. loquitur de amore ſupernaturali, & de Deo in linea ſupernaturali, vt ipſis verbis demonſtrat. Quem in tali linea aliqui ita diligunt, vt omne aliud, & ſe ipſos nihil reputent; & propterea mereantur gloriam. Alij verò declinantes, & peccantes, non ſic Deum amant, ſed deficiunt in charitate, & promerentur gehenam. Veruntamen non loquitur de dilectione naturali, qua Angelus ſemper magis diligit Deum. Etſi ſuo modo velit intelligi de Deo Authore nature, dicimus cum Ang. M. ad 5. quod cum in Deo eſſentia, & bonum commune ſint idem, qui vident eſſentiam Dei, eadem dilectione diligunt Deum ſub ratione eſſentiæ, & vt bonum commune. Quare videntes Deum, neceſſariò dilectione naturali diligunt illum. Nunc D. Thomas: *Sed illi, qui non vident eſſentiam eius, cognoſcunt eum per aliquos particulares effectus, qui interdum eorum voluntati contrariantur. Et ſi hoc modo dicuntur odio habere Deum, cum tamen in quantum eſt bonum commune omnium, vnumquodque naturaliter diligat plus Deum, quàm ſe ipſum.*

Arg.

20 Arg. 3. Angelus diligit naturaliter Deum propter ſe ipſum: ergo non magis diligit Deum, quàm ſe. Conſeq. patet ex proloquio: Propter quod vnumquodque, & illud magis. Prob. antec. Quilibet diligit naturaliter aliud vt ſibi bonum: ergo. Patet conſ. Nam hoc eſt diligere aliquid propter ſe. Reſp. diſt. ant. Sibi, vt amanti, conc. ant. vt fini, nego ant. & conſ. Angelus enim, & quilibet diligit naturaliter quod eſt bonum ſibi, vt amanti, cum quærat bonum, & non malum. Non tamen ipſi, vt fini: cum ipſe non ſit finis ſui amoris, præcipuè cum diligit Deum, propter quem diligit omnia: & quia ipſe Deus, vt amatus, eſt maximum bonum Angelo, vt amanti; non vt fini. Cumque hoc ſit, magis diligere naturaliter Deum: ideò Angelus naturaliter magis diligit Deum. Sic Aug. Præcep. ad 2.

21 Cont. Quilibet naturaliter diligit aliud, vt bonum ſibi, vt fini: ergo etiam Angelus. Prob. ant. Nõ diligit naturaliter aliud, vt bonum alteri, vt fini: ergo. Probatur ant. Natura reflectitur in ſe ipſam; ſed dum quis diligeret naturaliter aliud, vt bonum alteri, vt fini, natura non reflecteretur in ſe ipſam: ergo. Maior eſt certa: Nam agit in ſui conſervationem. Reſp. diſt. mai. Quantum ad ſingulare, & commune ipſi, conc. mai. ſingulare ſolum, nego mai. & diſt. min. Quantum ad ſingulare ſolùm, conc. min. & commune, nego min. & conſeq. Reflexio naturæ in ſe ipſam eſt ordinatio, & dilectio eorum, quæ attinent ad ſui conſervationem. Cumque ad illam non ſolùm attineat bonum ſingulare, ſed etiã, & potiùs, commune, & magis vniverſale, quod eſt Deus, cuius Angelus, & omnia ſunt: ideò Angelus, & quilibet in ipſa reflexione, & dilectione naturali magis diligit Deum, propter quem, vt finem diligit omnia. Ita D. Thomas ad 3. concludens: *Inclinatur enim vnumquodque ad conſervandum non ſolũ ſuum individuum, ſed etiam ſuam ſpeciem. Et multò magis habet naturalem inclinationem vnumquodque in id, quod eſt bonum vniverſale ſimpliciter.*

22 Arg. 4. Dilectio ſequitur cognitionem; ſed vnus Angelus non cognoſcit naturaliter alios Angelos, ſicut ſe ipſum: ergo nec diligit illos, ſicut ſe ipſum. Prob. min. Angelus cognoſcit naturaliter ſe per ſuam ſubſtantiam; ſed per ſuam ſubſtantiam non cognoſcit alios Angelos, ſed per ſpecies inditas eorum: ergo. Reſp. diſt. conſ. Sicut ſe ipſum ex parte cognoſcentis, & medij, conc. conſ. Cogniti, & obiecti, nego conſeq. Angelus enim ex parte medij cognoſcẽtis, & diligentis non cog-

noſ-

noſcit, nec diligit alios Angelos, ſicut ſe ipſum: nam ſe cognoſcit per ſuam ſubſtantiam, & intellectum; ſeque diligit per ſuam voluntatem: alios verò per ſpecies eorum, & non per illorum intellectum, nec voluntatem. Cognoſcit tamen, & diligit eos, ſicut ſe ipſum, ex parte obiecti cogniti, & dilecti: nam ſicut cognoſcit ſe ipſum eſſe, & vt eſt; ita & alios eſſe, & vt ſunt: Et ſicut diligit bonum ſui, ita bonum aliorum. Cumque vnus ſic, & non aliter poſsit diligere alios: ideò Angelus ita diligit reliquos. Sic Angelicus Magiſter articulo 4. ad 1. Et advertit ad 2. *Sicut non deſignat æqualitatem, ſed ſimilitudinem. Nam magis diligit ſe, cum ſit ipſe vnus, & idem.* Ad 3. autem docet: Hanc naturalem dilectionem etiam eſſe inter Angelos bonos, & malos: cum communicent in natura Angelica. Et concludit: *Odiunt eos, in quantum diverſificantur ſecundum iuſtitiam, & iniuſtitiam.*

23 Arg. 5. Angelus poteſt ceſſare ab amore ſui: ergo non diligit ſe neceſſariò quoad exercitiū. Prob. ant. In Angelo amor ſui eſt voluntarius; ſed Angelus poteſt ceſſare ab amore voluntario: ergo. Reſp. diſt. mai. Voluntarius neceſſarius, conc. mai. liber, nego mai. & diſt. min. Voluntario libero, conc. min. Neceſſario, nego min. & conſ. Cum enim in Angelo amor naturalis ſui ſit elicitus, & non purè innatus, quia cognitione directus, etiam eſt voluntarius, & non coactus. Veruntamen eſt neceſſarius, & non liber: cum Angelus non ſit indifferens, vt eliciat illum, ſed neceſsitatus, vt ſe diligat. Cumque Angelus, etſi poſsit ceſſare ab amore voluntario libero, non poſsit à neceſſario: ideò non poteſt ceſſare à tali amore ſui, & neceſſariò quoad exercitium ſe diligit. Sicut Deus ſic voluntariè ſe amat, & à ſui amore non ceſſat.

24 Cont. Amor Angeli eſt voluntarius, & non neceſſarius: ergo eſt liber. Prob. ant. Si foret neceſſarius, Angelus eo ſe diligeret quantum poteſt, & ſecundum vltimum potentiæ; ſed non ita ſe diligit: ergo. Mai. patet: Nam agens neceſſariò, & per modum naturæ, agit quantum poteſt, & ſecundum vltimum potētiæ. Probatur min. Angelus in ordine ad bona intrinſeca non ita ſe diligit, quod non poſsit ſe diligere ampliùs: ergo. Reſp. diſt. antec. Subſtantialia, nego ant. Accidentalia, conc. ant. & ita diſt. conſeq. Angelus vtique quantum ad bona ſubſtantialia ſe diligit dilectione naturali, & neceſſaria quoad exercitium; quo modo diligit ſe quantum poteſt, & ſecundum vltimum potentiæ; cum in hoc

non

non ſit libertas, nec magis, aut minus. Sic enim æqualiter vult ſui eſſe, ſubſiſtere,& ſuam beatitudinem naturalem. In ordine autem ad bona accidentalia,quæ ſibi deſiderat, non ſe amat quantum poteſt, cum poſsit ampliùs ſe diligere. Vnde ille amor erit voluntarius neceſſarius; & hic liber, cum ſit electivus,vt vidimus cum Ang.Doct.

25 Arg.6. Amans neceſſariò quoad exercitium Deum,non poteſt odio habere Deum; ſed Angelus poteſt odio habere Deum: ergo. Prob.minor. Dœmones de facto odio habent Deum: ergo. Reſp.diſt.ant. Vt Authorem gratiæ,conc.ant. Naturæ, nego ant. & ſimiliter diſt.conſeq. Dœmon enim, & damnatus, non amittit naturalia, præcipuè neceſſaria. Unde ſicut antea, diligit neceſſariò Deum, vt Authorem naturæ; quem odit vt Authorem gratiæ: cum ſit obſtinatus in malo, & à Deo, vt Authore gratiæ averſus.

26 Cont. Impoſsibile eſt amare Deum, vt Authorem naturæ, & odio habere Deum, vt Authorem gratiæ: ergo. Probat. ant.Impoſsibile eſt amare Deum, vt Authorem naturæ, & non amare Deum, vt Authorem gratiæ: ergo. Prob.ant. Impoſsibile eſt odio habere Deum, vt Authorem naturæ, & non habere odio Deum, vt Authorem gratiæ: ergo. Prob.conſ. Semper ratio Authoris gratiæ ſubſequitur rationem Authoris naturæ; ſed: ergo. Reſp.nego conſ. Ratio eſt: Quia non ſtat deſtructio fundamenti, quin fundatum deſtruatur. Stat autem ædificatio fundaméti quin illud ædificetur, aut ſequatur. Et cum in Deo ratio Authoris naturæ ſe habeat vt fundamentum rationis Authoris gratiæ: ideo non ſtat, quod Dœmon,ſive Angelus odio deſtruat, ſive non reſpiciat Deum,vt Authorem naturæ, niſi etiam ita deſtruat, & non reſpiciat Deum, vt Authorem gratiæ.Cohæret autem,quod amet,& reſpiciat Deum, vt Authorem naturæ, quin amet, aut reſpiciat vt Authorem gratiæ: cum amor ſit quaſi ædificatio, & odium quaſi deſtructio. Et ratio omnium eſt: Quia Angelus ſemper cognoſcit Deum Authorem naturæ, vt ſui benefactorem, à quo habet eſſe, & conſervatur: ſicque amat ipſum. Deum autem vt Authorem gratiæ reſpicit, vt ipſum propter peccata ſeveriſsimè punientem: itaque odit illum. Quæ doctrina conſtat in ipſo Deo: qui odit Angelum malum vt peccatorem; & diligit ipſum vt creaturam,quam fecit,& conſervat.

27 Cont. Licèt in Deo ratio Authoris naturæ ſe habeat fun-

fundat Divus Thomas in illo damentum, & ratio Authoris gratiæ vt res fundata, Dœmon obſtinatus in malo, & habens odio Deum, vt Authorem gratiæ, nequit ita diligere Deum, vt Authorem naturæ: ergo. Prob.ant. Dœmon ita obſtinatus, & odiens, nequit vllum opus bonum facere; ſed diligere Deum, vt Authorem naturæ, eſt opus bonum: ergo. Reſp.diſt.mai. Bonum morale, conc.mai. Phiſicum, nego mai.& diſt.min. Phiſicum, conc.minor. Morale, nego min.& conſ. Dœmon namque obſtinatus in malo, itaque odio habens Deum, nequit facere vllum opus bonum morale, meritorium, nec in linea ſupernaturali. Nihilominus poteſt facere opus bonum phiſicum, & in linea naturali: quod deſinit eſſe morale, quia viciatur ex non ſubordinatione eius ad Deum, vt Authorem gratiæ. Cumque ita eveniat in præſenti: ideò Dœmon poteſt facere tale opus, & ita diligere Deum, vt Authorem naturæ; etſi odiat Deum, vt Authorem gratiæ.

28 Cont. Angelus in ſtatu peccati non poteſt facere tale opus bonum phiſicum: ergo Probat.antec. Homo in ſtatu naturæ lapſæ, exiſtens in peccato, non poterat facere tale opus bonum phiſicum: ergo. Ant.eſt certum: ideoque nõ poterat diligere Deũ, vt Authorem naturæ, ſuper omnia, niſi reparatus per gratiam. Prob.conſ. Deus vt Author naturæ eſt benefactor vtriuſque; ſed: ergo. Reſp.nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia homo per peccatum amiſsit integritatem naturæ, per quam poterat diligere Deum, vt Authorem naturæ, & facere tale opus bonum phiſicum. Angelus autem illam non amiſsit: nam in Angelo poſt peccatum omnia naturalia integra permanſerunt. Et licèt poſsit peccare contra Deum, vt Authorem naturæ; non eſt, quia ita non diligat illum, ſed quia non ſervat legem naturæ: eo quod eam, & naturalia non ordinat, vt debet, ad Deum, vt Authorem gratiæ Quo peccato eſſet averſus moraliter, & non phiſicè à Deo, vt Authore naturæ: nam phiſicè eſſet converſus tali dilectione naturali.

## ARTICULUS TERTIUS.

### *VTRVM ANGELI SVA creatione fuerint Beati.*

1 PRÆMITTO 1. Quod Angeli habent cauſam ſui eſſe; quæ eſt Deus: Ita Ang. Mag quæſt. 61.art.1. B.Alb quæſt 11. Et omnes Catholici. Hanc veritatem

Pſal.148. *Laudate eum omnes Angeli eius.* Cuius rationem ſubdit: *Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt.* Probat deinde ratione: Omne ens per participationem habet pro cauſa ens per eſſentiam; ſed Angeli ſunt ens per participationem, & Deus eſt ens per eſſentiam: ergo. Mai.patet in omni ente creato: & in ignito reſpectu ignis. Min.eſt indubitabilis.

2 Præmitto 2. Quod Angeli non fuerunt creati ab æterno, ſed initio mundi. Sic Ang.Mag. artic.2.dicens: *Solus Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus eſt ab æterno. Hoc enim fides Catholica indubitanter tenet: & omne contrarium eſt ſicut hæreticum refutandum.* Probat hac ratione: Angeli fuerunt producti ex nihilo: ergo non fuerunt ab æterno, ſed in tempore, & initio mundi, vt præcederet eorum nihil. Antec. eſt certum: Nam creaturæ ita factæ ſunt: cum creatio ſit productio entis ex nihilo. Conſ.patet ex D.Thoma, ita explicante illud: *Id eſt, poſtquam nihil fuit.* Idem docet Beat. Alb.quæſt.11.

3 Dices: Quod in Hiſtoria Geneſis non invenitur notitia productionis Angelorum; cum ſit in ea notitia productionis aliarum creaturarum: ergo quia fuit ab æterno, & non initio mundi. Reſpondet Divus Thomas art.1. ad 1. cum M.P. Aug. aſſerente: *Quod Angeli non ſunt prætermiſſi in illa prima rerum creatione, ſed ſignificantur nomine Cœli, aut etiam lucis: quia Moyſes rudi populo loquebatur, qui nondum capere poterant incorpoream naturam.* Græci affirmant: Angelos eſſe creatos ante res corporeas. Latini aſſerunt: Creatos eſſe ſimul cum eis, in ipſa productione vniverſi. Sic D.Thomas art.3. Et conſtat ex Concilio Lateran ſub Innocent.3 Hoc fundat Ang.Doct. in illo Gen. 1. *In principio creavit Deus Cœlum, & terram.* Nunc D. Thomas: *Non autem hoc eſſet verum, ſi aliquid creaſſet antea. Ergo Angeli non ſunt ante naturam corpoream creati.*

4 Probat etiam ratione: Nulla pars perfecta vniverſi eſt producta ante vniverſum; ſed Angeli ſunt pars perfecta vniverſi, conſtituens cum rebus corporeis vniverſum: ergo. Mai.patet: quia nulla pars à ſuo toto ſeparata eſt perfecta; & vt dicitur Deuter.32. *Dei perfecta ſunt opera.* Si in contrarium adducas authoritates aliquorum DD. Reſp. cum D.Thoma ad 1. Quod loquuntur in opinione Græcorum. Si inſtes: Vna creatura corporea eſt creata ante aliam: ergo Angelus incorporeus eſt creatus ante omnes. Reſp.cum Ang.Doct.ad 3. Quod cum omnes creaturę corporeę conveniant in materia, quodammodo omnes ſunt creatæ in principio quoad

materiam; etſi poſtea aliquæ producantur in propria natura. Angeli autem carent materia, & ſic non conveniunt cum eis in illa. Quare ſunt creati in propria natura cum illis, vt totum vniverſum diceretur productum, & perfectum.

5 Præmitto 3. Angelos eſſe creatos in Cœlo Empyreo. Sic Ang. Præcept. art. 4. Pro quo refert S. Iſidorum aſſerentem: *Supremum Cœlum eſt Cœlum Angelorum.* Cuius rationem præbet Divus Thomas: Creaturæ nobiliores, & præſidentes vniverſi ſunt creatæ in loco ſupremo vniverſi; ſed Angeli ſunt creaturæ nobiliores, & præſidentes vniverſi, cuius locus ſupremus eſt Cœlum Empyreum: ergo. Mai. patet: Cum ita ſit ordo in vniverſo: nam locus ſupremus debetur nobiliori, & præſidi. Nunc eſt dubium reſolvendum.

6 Concluſio: Angeli in ſua creatione fuerunt beati beatitudine naturali, non autem ſupernaturali. Eſt communis cum Divo Thoma quæſt. 62. art. 1. Prob. concluſ. quoad 1. part. ratione ipſius: Beatitudo naturalis creaturæ rationalis, & intellectualis eſt vltima fœlicitas, quam virtute ſua poteſt conſequi; ſed Angeli in ſua creatione habuerant hanc fœlicitatem: ergo. Prob. minor. Talis vltima fœlicitas eſt contemplatio perfectiſsima optimi intelligibilis, quod eſt Deus; ſed Angeli in ſua creatione habuerunt hanc: ergo. Maior. eſt communis cum Ariſt. Min. eſt Ang. Mag. aſſerentis: *Perfectionem huiuſmodi Angelus non acquirit per aliquem motum diſcurſivum, ſicut homo, ſed ſtatim ei adeſt propter ſuæ naturæ dignitatem.* Conſ. patet ex ipſo ita concludente: *Quantum ad primam beatitudinem, quam Angelus aſſequi virtute ſuæ naturæ potuit, fuit creatus beatus.*

7 Roboratur: Beatitudo naturalis conſiſtit in cognitione perfecta, & dilectione Dei, vt Authoris naturæ; ſed Angeli in ſua creatione habuerunt hanc cognitionem, & dilectionem: ergo. Min. patet: Cum ex tunc ita neceſſariò cognoſcant, & diligant Deum.

8 Prob. concluſ. quoad 2. part. ratione Divi Thomæ: De ratione beatitudinis ſupernaturalis eſt ſtabilitas, & confirmatio in bono; ſed Angeli non ſunt creati ſtabiles, nec confirmati in bono: ergo. Prob. min. Poſt creationem multi Angeli ceciderunt à bono, operantes malum, propter quod ſunt damnati: ergo. Prob. deinde ex ipſo: Beatitudo ſupernaturalis conſiſtit in viſione clara Dei; ſed Angeli in ſua creatione non viderunt clarè Deum: ergo. Mai. eſt certa; & Divi Thomæ aſſe-

rentis: *Eſt alia fœlicitas, quam in futuro expectamus: quia videbimus Deum ſicuti eſt.* Min.conſtat: Cum ſint creati viatores. Conſ.patet ex Ang.Mag.ita affante: *Vltimam beatitudinem, quæ facultatem naturæ excedit, Angeli non ſtatim in principio ſuæ creationis habuerunt: quia hæc beatitudo non eſt aliquid naturæ, ſed naturæ finis.*

9 Arg.1.contra 1.præmiſ. Angeli ſunt formæ ſine materia: ergo per ſe ſunt, & non habent cauſam ſui. Prob conſ.ex Ariſt.8. Meth. dicente: *Si aliqua ſubſtantia ſit forma ſine materia, ſtatim per ſe ipſam eſt ens, & vnum, & non habet cauſam, quæ faciat eam ens, & vnum:* ergo. Reſp. Admitto, & explico dictum Ariſt.cum Ang. M. art. 1. ad 2. de cauſa formali, & de cauſa efficiente per tranſmutationem materiæ de potentia in actum. Cui coheret: quod talis ſubſtantia habeat cauſam efficientem producentem totam illam: Et talem habent Angeli.

10 Cont. Angeli, eo quod ſint formæ ſine materia, nec habent talem cauſam efficientem: ergo. Prob. ant. Quod fit à cauſa efficiente, accipit formam ab illa; ſed Angeli, eo quod ſint formæ ſine materia, non accipiunt formam ab alio: ergo. Reſp. diſt. mai. Quod fit ſine tranſmutatione materiæ, nego mai. Cū tranſmutatione, conc. mai. & min. & nego conſ. Quod enim fit cum tranſmutatione materiæ, accipit formam ab agente, & cauſa efficiente; quam educit ex materia, aut vnit materiæ. Quod autem fit ſine tali tranſmutatione, non accipit illam, ſed ſimul totum eſſe, & totam ſubſtantiam. Cumque Angeli fiant à Deo ſine tali tranſmutatione: ideò non accipiunt formam, ſed totam ſubſtātiam.

11 Arg. 2. cont. 2. Deus eſt cauſa Angelorum per ſuum eſſe; ſed eſſe Dei eſt ab æterno: ergo ab æterno produxit illos. Maior eſt certa: Siquidem non agit per aliquid additum ſuæ eſſentiæ. Reſp.diſt. mai. Per ſuum eſſe ſolùm, nego mai. Per ſuum eſſe, & velle, conc. mai. & min. & nego conſ. Deus enim non ſolùm per ſuum eſſe, ſed etiam per ſuum velle eſt cauſa Angelorū, ſicut & omnium creaturarum. Et cum non habuiſſet voluntatem producendi Angelos ab æterno, ſed in tempore: ideò non produxit Angelos ab æterno.

12 Cont. Deus per ſuum eſſe, & velle eſt cauſa Angelorum; ſed non ſolùm eſſe, ſed etiam velle Dei eſt ab æterno: ergo. Minor conſtat: quia non poteſt in tempore incipere velle; vt diximus Tract.4.quęſt.2 art.7. Reſp.diſt. mai. Et velle, vt neceſſarium, nego mai. vt liberum, conc. mai. & diſt.

diſt. min. Vt neceſſarium, conc. min. Vt liberum, ſubdiſt. Subiectivè, conc. min. Terminativè, nego min. & conſ. Velle Dei, vt neceſſarium, dicit entitatem volitionis divinæ, & terminationem ad eſſe neceſſarium. Ut liberum, ſubiectivè dicit eamdem entitatem. Terminativè autem, connotativè, & quoad effectum, importat terminationem ad creaturas, vt dictum eſt ibi art 5 Hoc enim modo non eſt ab æterno, ſed in tempore: nam Deus in tempore, quia voluit, produxit liberè creaturas. Cumque prout ſic etiam produxerit Angelos: ideò non ab æterno, ſed in tempore produxit illos. Ita S. Thomas art 2. ad 1. concludens: *Voluntas autem Dei non de neceſſitate ſe habet ad productionem creaturarum. Et ideò produxit, & quæ voluit, & quando voluit.*

13 Arg. 3. contra 3. Angeli ſecundum D. Auguſt. ſuper Gen. ad liter. fuerunt creati in ſuperiori parte aeris: ergo non in Cœlo Empyreo. Reſp. admitto, & explico author. cum Ang. Magiſtro art. 4. ad 2 in qua per ſuperiorem partem aeris intelligit ſupremam partem Cœli, cum quo habet aer quandam convenientiam, propter ſuam ſubtilitatem, & diaphaneitatem.

14 Cont. Angeli non ſunt creati in Cœlo ſupremo; ergo partem ſuperiorem aeris non ſumit pro ſuprema Cœli. Probatur ant. Sunt creati in loco, vnde potuerunt ſuperiùs aſcendere; ſed ſi fuiſſent creati in Cœlo ſupremo, inde non poſſent ſuperiùs aſcendere: ergo. Prob. mai. ex illo Iſai. 14. in perſona Angeli peccantis: *In Cœlum conſcendam*: ergo. Reſp. admitto, & explico ſacrum text. cum Ang. Doctore ad 3. dicente: *Quod loquitur ibi non de Cœlo aliquo corporeo, ſed de Cœlo Sanctæ Trinitatis: In quod Angelus peccans aſcendere voluït, dum voluit aliquomodo Deo æquiparari.*

15 Arg. 4. cont. concluſ. Angeli ſunt creati in beatitudine ſupernaturali: ergo ſunt creati beati beatitudine ſupernaturali. Prob. ant. Qui ſunt in Cœlo Empyreo, ſunt in beatitudine ſupernaturali; ſed Angeli ſunt creati in Cœlo Empyreo: ergo. Reſp. diſt. mai. Qui ſunt permanëter, & vt in termino, conc. mai. tranſeunter, & vt in via, nego mai. & diſt. min. trãſeũter, & vt via, conc. min. Permanenter, & vt in termino, nego min. & conſ. Cœlum enim Empyreum eſt locus, & ſedes beatorum, & gaudent beatitudine ſupernaturali, qui in illo ſunt permanenter, & vt in termino: cum videant Deum ſicuti eſt. Secùs qui in eo ſunt tranſeunter, vt in via, & quaſi viatores, cum nondũ videant Deum. Cumque Angeli

in

in inſtanti ſuæ creationis eſſent in eo tranſeūter,& vt in via:ideò non erant in beatitudine, nec cum beatitudine ſupernaturali, nec in creatione fuerunt ea beati.

16 Cont. Licèt Angeli adhuc non eſſent permanenter in Cœlo Empyreo, ſunt creati in beatitudine ſupernaturali: ergo. Probat. ant. ex libro de Eccleſ. dogm. vbi dicitur: *Angeli, qui in illa, in qua creati ſunt beatitudine, perſeverant, non natura poſsident bonum, quod habent*: ergo. Reſp. Admitto,& explico tale dictum cum Ang. Magiſtro quæſt. 62. art. 1. ad 1 dicente: *Beatitudo ibi accipitur pro illa perfectione naturali, quam Angelus habuit in ſtatu innocentiæ.* Ex quo ſolùm ſequitur, quod Angeli ſunt creati in beatitudine naturali; non in ſupernaturali.

17 Cont. Tale dictum non intelligitur de beatitudine naturali: ergo de ſupernaturali. Prob. ant. Intelligitur de beatitudine, cuius bonum non natura poſsident Angeli; ſed Angeli natura poſsident bonum beatitudinis naturalis: ergo. Mai. conſtat ex vltimis verbis. Min. patet: Nam ex natura ſua exigunt ſuam vltimam perfectionem naturalem. Reſp. diſt. mai. Poſsident primo, nego mai. Perſeveranter, conc. mai.& diſt. min. Primò, conc. minor. Perſeveranter, nego min. & conſ. Prima poſſeſsio beatitudinis naturalis fuit ex natura ſua in Angelis, quatenus non fuit ex gratia ſupernaturali. Perſeverantia tamen in illa in Angelis bonis, iam non eſt ex natura ſua, ſed ex maxima gratia Dei, cuius auxilio ſpeciali illi, & non mali, in ea perſeverant. Hic enim eſt ſenſus talium verborum: Ex quo non ſequitur, quod fuerint creati in beatitudine ſupernaturali.

18 Hec doctrina excitat dubiolum: An Dœmones perſeverent cum beatitudine ſupernaturali, cum non amiſſerint naturalia? Licèt aliqui affirment. M. Serra ait: quod D. Tho. apertè aſſerit, non omnes Angelos perſeveraſſe in beatitudine naturali, ſed eos, qui bonum beatitudinis ſupernaturalis non natura, ſed Dei gratia poſsident: qui ſunt Angeli boni,& non Dœmones. Ad obiectionem: Quod Dœmones perſeverant in cognitione, & dilectione Dei Authoris naturæ; in quibus conſiſtit beatitudo naturalis. Reſpondet: Conſiſtere in his, abſque vlla deordinatione à Deo; quam habent Dœmones per ſuum peccatum: nam ex quo commiſſerunt illud contra Deum Authorem ſupernaturalem, & ab eo deordinati fuerunt, indirectè etiam ſunt deordinati ab ipſo, vt Authore naturæ.

19 Cont. Intelligitur de beatitudine, cuius bonum nec primò

poſ-

poſsident natura : ergo. Probat. ant. Intelligitur de beatitudine conſiſtente in viſione Dei; ſed huius bonum Angeli nec primò poſsident natura: ergo. Prob. mai. ex Gloſſa Interlin. quæ ſup. illud Judæ v. 6. *Angeli, qui non ſervaverunt ſuum principatum*, ait: *Spiritualem Dei viſionem*: ergo. Reſp. admitto, & explico Gloſſam: quæ non loquitur de viſione clara Dei, in qua beatitudo prædicta conſiſtit: ſed de viſione ſumpta pro cognitione ſupernaturali fidei, de qua immediatè ait B. Apoſtolus: *Eos, qui non crediderunt perdidit.* Nam vt docet Divus Thomas 2. 2. quæſt. 3. art. 2. Dœmones non ſervaverunt fidem laudabilem, & quæ eſt donum Dei. Non tamen loquitur de beatitudine naturali, quaſi ex natura primò poſſeſa, & in ſenſu inſinuato ab Angelis bonis, & non à malis, ex auxilio gratiæ conſervata, & cum ſubordinatione ad Deum coniuncta.

20 Arg. 5. Angeli ſunt creati cum omni ſua perfectione poſsibili; ſed beatitudo ſupernaturalis eſt perfectio poſsibilis Angelis: ergo. Prob. mai. Creatura corporea eſt creata cum omni perfectione ſibi poſsibili: ergo. Ant. eſt certum: Nam eſt creata formata, & non informis; ita vt informitas non tempore, ſed ſola natura præceſſerit formationem eius; vt docet S. Aug. 1. ſup. Gen. ad liter. Prob. conſ. Nobilior eſt natura angelica, quàm corporea; ſed: ergo.

21 Reſp. diſt. min. Acquiſibili per ſuam operationem, nego minor. Sine propria operatione, conc. min. & ita diſt. conſ. Licèt enim natura corporea fuerit creata formata, & perfecta, & cum omni perfectione ſibi ſine propria operatione poſsibili; non verò cum acquiſibili propria operatione: nam iſta fuit perducta ad illam. Similiter ergo Angeli ſunt creati cum omni perfectione ſuæ naturæ; non tamen cum omni, ad quam poterant propria operatione pervenire. Et cum beatitudo ſupernaturalis ſit huiuſmodi: ideò non ſunt creati in illa. Ita Divus Thomas ad 2.

22 Cont. Angeli ſunt creati cum omni perfectione ſibi poſsibili, etiam acquiſibili ita ſua operatione: ergo. Prob. antec. Cognitio Verbi, & rerum in Verbo eſt perfectio ſibi poſsibilis, & ita acquiſibilis; ſed Angeli ſunt creati cum hac cognitione: ergo. Prob. min. Iuxta Div. Aug. Omnia facta ſex diebus, videntur ſimul producta, ita vt primò, & quaſi manè fuerit prædicta cognitio angelica Verbi, & rerum in Verbo: ergo.

23 Reſp. admitto, & explico auth. cum Ang. Doct. ad 3. ita af-

ſante: *Angelus duplicem habet Verbi cognitionem. Vnam naturalem, & aliam gloriæ. Naturalem quidem, quæ cognoſcit Verbum per eius ſimilitudinem in ſua natura relucentem. Cognitionem verò gloriæ, quæ cognoſcit Verbum per ſuam eſſentiam. Et vtraque cognoſcit Angelus res in Verbo. Sed naturali quidem cognitione imperfectè; cognitione verò gloriæ perfectè. Prima ergo cognitio rerum in Verbo affuit Angelo à principio ſuæ creationis. Secunda verò non, ſed quando facti ſunt beati per conuerſionem ad bonum. Et hæc propriè dicitur cognitio matutina.*

## ARTICVLVS QVARTVS.

### *VTRVM ANGELI SINT creati in Gratia.*

1 SVPPONO: Quod præceptum conuerſionis in Deum, contentum in illo Hebr. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*, impoſitum quoque eſt Angelis, vt vidimus tract. 2. q. 1. art. 7. nu. 5. & videbimus tract. 9. quæſt. 3. art. 2. à n. 3. de quò Diuus Thomas 2. 2. quęſt. 2. art. 5. & 1. 2. quæſt. 89. art. 6. Hæc autem conuerſio fit per fidem, ſpem, & charitatem, ad quam Angeli indigebant gratia, vt docet quæſt. 62. art. 2. quam veritatem ita ſtatuit: Angelus, ſicut & homo indi[g]... gratia ad conſequendam vita[m] æternam; ſed Angeli per tale[m] conuerſionem conſecuti ſunt v[i]tam æternam, vel meruer[unt] conſecutionem vitæ æternæ: e[r]go. Mai. patet ex illo Rom. *Gratia Dei, vita æterna.* Minor [e]... innegabilis.

2 Prob. deinde ſic: Angeli i[n]digent gratia Dei ad motum ſ[u]pernaturalem, & excedentem v[i]res naturæ; ſed prædicta conve[r]ſio in Deum eſt motus ſupernat[u]ralis: & excedens vires naturæ: e[r]go. Mai. eſt certa, cum virib[us] naturæ non poſsint elicere illu[m] quem elicient adiuti gratia ſ[u]pernaturali. Prob. min. Motus o[r]dinatus ad beatitudinem ſupe[r]naturalem, eſt ſupernaturalis, [&] excedens vires naturæ; ſed tal[is] conuerſio in Deum, eſt motus o[r]dinatus ad beatitudinem ſupe[r]naturalem: ergo. Unde Angel[i]cus Mag. concludit: *Et ideò dicendum eſt, quod Angelus in illam beatitudinem voluntate conuerti non p[o]tuit, niſi per auxilium gratiæ.*

3 Concluſio: Angeli ſunt crea[ti] in gratia, ita D. Thomas art. [3] dicens: *Quamvis ſuper hoc ſint diverſæ opiniones, quibuſdam dicentibus, quod creati ſunt Angeli in naturalibus tantum; alijs verò quod ſunt creati in gratia: hoc tamen probabilius videtur tenendum, & magis dictis Sanctorum conſonum eſt, qu[o]*

*fuerunt creati in gratia gratum faciente.* Conſtat hæc veritas ex illo dicto de Lucifero Ezechiel. 28. *Perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te.* Vbi Septuaginta legunt: *Fuiſti immaculatus in vijs tuis à die, qua creatus es.* Et M. P. Aug. cit. in ſed cont. ab Ang. Doct. ait: *Bonam voluntatem quis fecit in Angelis, niſi ille qui eos cum ſua voluntate, id eſt cum amore caſto, quo illi adhærent, creavit, ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam;* ſed *ſimul* dicit ſaltim ſimultatem temporis: ergo quia Angeli in eodem inſtanti temporis ſuæ creationis ornati ſunt gratia.

4 Prob. 1. concluſ. ratione Divi Thomæ: Aliquæ creaturæ ſunt creatæ à Deo in gratia; ſed hæ ſunt Angeli: ergo. Minor. patet: Cum ſint perfectiores, & nobiliores inter omnes. Prob mai. Omnia, quæ proceſſu temporis Deus ſua providentia produxit, producta ſunt in prima rerum conditione, ſecundum quaſdam ſeminales rationes, in aliquibus creaturis; ſed gratia gratum faciens comparatur vt ratio ſeminalis ad beatitudinem ſupernaturalem, & gloriam, quam Deus ſuo tempore confert creaturis: ergo. Maiorem docet Ang. Præcept. cum D. Aug. Et apponit exemplum in arboribus, & animalibus. Minorem ex illo 1. Joan. 3. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet.* Nunc Divus Thomas: *Gratia ſemen Dei nominatur.*

5 Illuſtratur ex Angel. Mag. Gratia gratum faciens comparatur ad beatitudinem ſupernaturalem, ſicut ratio ſeminalis in natura ad effectum naturalem; ſed aliquæ creaturæ corporeæ ſunt productæ cum ratione ſeminali omnium effectuum naturalium: ergo aliquæ ſpirituales, vt Angeli, creatæ ſunt in gratia, quæ eſt quaſi ratio ſeminalis, & virtus beatitudinis ſupernaturalis. Mai. eſt certa. Min. & D. Auguſtini.

6 Prob. 2. concluſ. ratione Divi Thomæ: Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis ſunt converſi ſupernaturaliter in Deum, & tunc inſtabat eis præceptum talis converſionis, quia erat primum inſtans vſus rationis; ſed requiritur gratia ad talem converſionem; vt dictum eſt num. 1. Ergo creati ſunt in gratia. Roboratur: Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis meruerunt beatitudinem ſupernaturalem, quam perſeverantes adepti ſunt in inſtanti immediato ſequenti; ſed ad meritum requiritur gratia: cum hæc ſit principium meriti: ergo. Maiorem quoad 1. part. reſolvit Ang. Doct. art. 4. ex illo Apoc. 21. *Et venit vnus de ſeptem Angelis:: Et oſtendit mihi Civitatem Sanctam Je-*

*ruſalem. Et qui loquebatur mecum, habebat menſuram arundineam, vt metiretur Civitatem.* Nunc Divus Thomas: *Menſura Angeli in illa Cœleſti* Jeruſalem *eſt menſura hominis*; ſed homo non poteſt pertingere ad beatitudinem, niſi per meritum: ergo nec Angelus. Probat. min. Qualibet res pervenit per ſuam operationem ad ſuum vltimum finem: cuius eſt factiva, ſi non excedat eius virtutem: aut meritoria, ſi excedit; ſed beatitudo ſupernaturalis eſt vltimus finis hominis, ſicut Angeli, excedens virtutem eius: ergo.

7 In art. 5. docet: Hoc meritum fuiſſe in tali primo inſtanti, & in ſequente Angelos adeptos eſſe gloriam. Sic enim ait: *Angelus poſt primum actum charitatis, quo beatitudinem meruit, ſtatim beatus fuit. Cuius ratio eſt: Quia gratia perficit naturam ſecundum modum naturæ; ſicut & omnis perfectio recipitur in perfectibili ſecundum modum eius. Eſt autem proprium naturæ angelicæ, quod naturalem perfectionem non per diſcurſum acquirat, ſed ſtatim per naturam habeat. Sicut autem ex ſua natura Angelus habet ordinem ad perfectionem naturalem, ita ex merito habet ordinem ad gloriam. Et ita ſtatim poſt meritum in Angelo fuit beatitudo conſecuta.* Ex quo patet: Quod inſtans Angeli eſt correſpondens vni actui ipſius; ita vt dicatur primum inſtans, in quo eſt creatus, & elicuit primum actum talis converſionis; & ſecundum, cum perſeverans in eodem actu charitatis, adeptus eſt gloriam. Nunc Ang. Doct. art. 4. *Et ideò melius dicēdum eſt, quod gratiam habuit Angelus antequam eſſet beatus, per quam beatitudinem meruit*; ſed fuit beatus in ſecundo inſtanti ſuæ creationis: ergo in primo habuit gratiam, & in hac fuit creatus.

8 Probat amplius Ang. Magiſter; quod Angelus habuit beatitudinem ſupernaturalem in ſecundo inſtanti. Angelus, & anima rationalis ordinantur ſimiliter ad beatitudinem ſupernaturalem; ſed anima rationalis ſeparata à corpore ſtatim conſequitur illam, niſi adſit impedimentum: ergo cum Angelus per ſe ſit forma ſeparata à corpore, & in primo actu charitatis habuiſſet meritum beatitudinis ſupernaturalis, in ſecundo actu, & in inſtanti eam adeptus eſt: cum nullum impedimentum adeſſet. Quare ſic concludit Divus Thomas: *Statim poſt vnum actum charitate informatum Angelus beatus fuit.*

9 In art. 6. determinat Sanct. Doctor: Quod Angelis data eſt gratia, & gloria iuxta quantitatem ſuæ naturæ; ita vt nobiliori maior gratia, & gloria ſit conceſſa. Refert Mag. Sent. aſſerentem; *Angeli, qui natura magis ſubti-*

*tiles, & ſapientia amplius perſpicaces creati ſunt: hi etiam maioribus gratiæ muneribus præditi ſunt.* Cuius aſsignat Divus Thomas duplicem rationem. Vnam ex parte Dei. Aliam ex parte Angeli. Prima eſt: Deus creavit naturam angelicam ad conſequendam gratiam, & gloriam: Et ordine ſuæ ſapientiæ conſtituit in ea gradus diverſos, iuxta quos produxit Angelos in natura alijs perfectiores, & nobiliores: ergo congruum eſt, vt iuxta varietatem huius nobilitatis, & perfectionis decoraverit eos donis ſupernis gratię, & gloriæ. Quod confirmat hoc exemplo: Si ædificator lapides poſsit ad conſtruendam domum: ex hoc ipſo, quod aliquos pulchriùs, & decentius aptat, videtur eos ad honorationem partem domus ordinare. Sic igitur videtur, quod Deus Angelos, quos altioris naturæ fecit, ad maiora gratiarum dona, & ampliorem beatitudinem ordinaverit.

10 Secunda eſt: Angeli nobiliores, & perfectiores in natura, efficaciùs ad Deum ſunt converſi, & intenſiori actu charitatis promeruerunt gloriam: ergo correſpondet illis maior gratia, & gloria. Conſ. patet: Nam gratia eſt principium talis meriti, & gloria premium ipſius: Et actus eſt iuxta principium, ſicut premium iuxta meritum. Prob. ant. Cum non eſt aliquid retardans, nec impediens naturam, hæc movetur, & operatur ſecūdùm totam ſuam virtutem; ſed in Angelis nihil eſt impediens, aut retardans eorum naturam, cuius virtus eſt maior, & fortior in nobilioribus, & perfectioribus: ergo. Min. conſtat: Cum Angelus ſit forma ſimplex ſpiritualis; & nō ſit compoſitus ex naturis diverſis, quarum vna ſua inclinatione impediat, aut retardet aliam. Vt evenit in homine, in quo motus partis intellectivę, aut retardatur, aut impeditur ex inclinatione partis ſenſitivæ.

11 Confirmatur: Hominibus ſecundùm intenſionem converſionis in Deum datur maior gratia, & gloria: ergo etiam Angelis. Ant. eſt Divi Thomæ. Conſ. patet à paritate. Sed Angeli nobiliores, & perfectiores habuerunt converſionem intenſiorem in Deum: ergo conceſſa eſt illis maior gratia, & gloria. Quare concludit Divus Thomas: *Vnde videtur, quod Angeli, qui habuerunt meliora naturalia, habuerunt plus de gratia, & gloria.* Ex quibus colligitur: Quod in Angelis beatis remanet naturalis cognitio & dilectio Dei, in qua conſiſtit beatitudo naturalis. Sic Angel. Mag. artic. 7. Nam quandiu remanet aliqua natura, manet eius operatio; ſed in Angelis beatis remanet natura eorum: ergo & cog-

nitio, & dilectio naturalis Dei, quæ eſt eius operatio. Mai.patet: Nam operari ſequitur ad eſſe. Min.conſtat: Quia beatitudo ſupernaturalis non tollit, ſed perficit naturam.

12 Arg.1.cont.ſup. Angelus non indiget gratia ad illa, quæ naturaliter poteſt; ſed Angelus naturaliter poteſt converti, & convertitur in Deum: ergo non indiget gratia ad talem converſionem. Prob.min. Angelus convertitur in Deum per dilectionem Dei; ſed naturaliter diligit Deum: ergo. Reſp. diſting.min. Deum, vt Authorem naturæ, conc.min. Gratiæ, nego min. & ita diſt.conſ. Deus, vt Author naturæ, eſt principium eſſe naturalis Angeli. Ut Author gratiæ eſt beatificans ſupernaturaliter ipſum per viſionem ſuæ eſſentiæ. Et licèt Angelus naturaliter diligat Deum, vt Authorem naturę, itaque convertatur ad illum per dilectionem naturalem; eum tamen, vt Authorem gratiæ, non diligit, nec ad illum prout ſic convertitur, niſi dilectione ſupernaturali. Cumque loquamur de hac converſione, & non poſsit fieri ſine gratia: ideò Angelus indiget gratia ad illam. Ita Divus Thomas art.2.ad 1.

13 Cont. Angelus nec ad dilectionem, & converſionem ſupernaturalem Dei indigebat auxilio gratiæ: ergo. Prob.ant. Solum ad difficilia indiget quis auxilio alterius; ſed dilectio,& converſio ſupernaturalis Dei non erat difficilis Angelo: ergo.Prob. min. Non eſt difficile alicui id, ad quod in eo non eſt repugnantia; ſed in Angelo nulla erat repugnantia ad talem dilectionem, & converſionem ſupernaturalem: ergo.

14 Reſp.diſt.minor. Repugnantia poſitiva,conc.min. Negativa, nego min. & conſ. Repugnantia poſitiva ad aliquid eſt impedimentum poſitivum ad illud. Negativa eſt ineptitudo, ſive carentia aptitudinis ad illud. Vt enim aliquid ſit difficile, ſufficit quælibet repugnantia ex his:nam aſcenſus eſt difficilis homini, ob corporis gravitatem, quæ impedit poſitivè aſcenſum: Et progreſſus vſque Romam, ſi iter agere ſit ineptus. Difficile namque eſt, quodcumque tranſcendens,& excedens potentiam. Cumque converſio ſupernaturalis, dilectio prædicta, & conſecutio gloriæ tranſcendat, & excedat naturam Angeli, eo quod eſt ſupra ſuam potentiam: ideò habet repugnantiam negativam, ineptitudinem, ſive non aptitudinem ad illam; etſi non poſitivam, cum nil ſit in Angelo impediens, aut retardans eam: Sicque eſt ei difficilis, & pro illa indiget auxilio gratiæ divinæ,

vinæ. Ita D.Thomas ad 2.dicens: *Converti autem ad beatitudinem vltimam homini quidem eſt difficile: & quia eſt ſupra naturam, & quia habet impedimentum ex corruptione corporis, & infectione peccati. Sed Angelo eſt difficile propter hoc ſolum, quod eſt ſupernaturale.*

15 Arg.2.cont.concluſ.ex illo Job.4. *Et in Angelis ſuis reperit pravitatem.* Vbi Hebræus legit: *Non poſui laudem, vel lucem*; ſed hoc intelligitur de luce gratiæ, & de Angelis in primo inſtanti ſuæ creationis: ergo non ſunt creati in gratia. Reſp.diſt.min. Gratiæ conſummatæ, conc.min. Incohatæ, nego min. & ita diſt.conſeq. Vt enim videbimus, Angeli non peccaverunt, nec potuerunt peccare primo actu, nec in primo inſtanti ſuæ conditionis. Quare, dum Sacer Textus eos culpa fœdatos proponit, non loquitur de illis in primo inſtanti, ſed in alio, in quo peccaverunt. Quibus Deus propterea non contulit gloriam, quæ eſt gratia conſummata, & perfecta, nomine laudis, vel lucis expreſſa. Eis autem, & omnibus tribuit gratiam incohatam, & gratum facientem in primo inſtanti, vt ſe converterent in Deũ, implerent præcepta Dei, & promererentur gloriam: itaque ſunt creati in gratia. Unde ſup.illud Job 4. *Ecce, qui ſerviunt ei non ſunt ſtabiles.* S. Hieronymus aſſerit: *Dicitur de Diabolo, qui quondam Sanctus Angelus fuit, quod in veritate non ſteterit.* Quod ſignificavit B.Apoſt.Judas, cum dixit: *Angelos vero qui non ſervaverunt ſuum principatum, &c.* Et Chriſtus Dominus Joan.8.dixit: *In veritate non ſtetit.* Idem tenent SS.Greg.Joan. Damaſc.Iſidor.& Anſelmus.

16 Cont. Angeli mali non ſunt creati in gratia incohata: ergo. Prob.ant.ex Joan.10. Ubi Dominus ait de Lucifero: *Ille homicida erat ab initio.* Quod intelligitur methaphoricè de peccato, quo ab initio ſpiritualiter ſe occidit; ſed tale peccatum eſt incompatibile cum gratia incohata: ergo. Reſp.admitto, & explico author. In qua *ab initio* non ſtat pro primo inſtanti conditionis Angelorum: nam ſi intelligitur de peccato, quo Lucifer ſe, & perſuaſivè alios occidit, iuxta illud Iſ.14. *Tu populum tuum occidiſti*; ſupponit pro ſecundo inſtanti, in quo peccavit; non pro primo, in quo fuit perfectus, vt dicitur Ezechiel. 28. Si denotet ſugeſtionem, quæ in primis Parentibus fuit cauſa homicidij ſpiritualis generis humani, & corporalis Abelis in Caino, ſupponit pro mundi exordio. Vnde omnes Angeli sũt creati in gratia incohata. Hinc Ang.Doct. quæſt.63. artic.5. ad 1.reſpondet cum D.Auguſtino: *Quod Diabolus ab initio peccat, non ab initio ex quo*

*creatus eſt, peccare putandus eſt: ſed ab initio peccati, ſcilicet, quod nunquam à peccato ſuo receſsit.* Et S. Baſil. ſup. illud Pſal. 32. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt*, inquit: *Angelos namque ab initio Verbum condidit, Sanctos verò ſpiritus reddidit.* Et S. Damaſc. lib. 2. de Fide cap. 3. ait: *Per Verbum Dei creati ſunt Angeli, & per ſanctificationem Spiritus Sancti perfecti.*

17 Cont. In nullo ſenſu Angeli ſunt creati in gratia incohata: ergo. Prob. ant. ex D. Aug. 2. ſup. Gen. ad liter. aſſerente: *Angelica natura primo erat informiter creata, & Cœlum dicta. Poſtmodum verò formata eſt, & lux appellata*; ſed hæc formatio fuit per gratiam incohatam: ergo. Reſp. admitto, & explico author. cum Divo Thoma art. 3. ad 1. dicente: *Informitas illa Angeli poteſt intelligi vel per comparationem ad formationem gratiæ, & ſic non præceſsit ordine temporis, ſed ordine naturæ, ſicut etiam de formatione corporali Aug. ponit.*

18 Cont. Natura in Angelis præceſsit tempore gratiam incohatam: ergo. Prob. ant. In Angelis gratia incohata præceſsit tempore gratiam conſummatam, & gloriam: ergo. Prob. conſ. Gratia eſt medium inter naturam, & gloriam; ſed: ergo. Reſp. diſt. mai. Eſt medium ordine temporis, nego mai. Naturæ, conc. maior. & min. & nego conſ. Cuius rationem præbet Angel. Mag. ad 3. Nam gratia non ſe habet vt finis operationis: cum non ſit ex operibus; ſed vt principium benè operandi: & ideò conveniens fuit, conferre ſtatim cum natura gratiam. Gloria autem eſt finis operationis ipſius naturæ, gratia adiutæ. Quare non debuit eſſe ſimul cum natura, ſed intercedere tempus, vt per operationem meritoriam conſequeretur illam.

19 Arg. 3. Angeli ſua converſione non meruerunt gloriam: ergo propterea non ſunt creati in gratia. Prob. ant. Talis converſio Angelorum non fuit meritoria: ergo. Prob. ant. Quod eſt naturale non eſt meritorium; ſed Angelis fuit naturale converti in Deū: ergo. Reſp. diſt. min. Converſione naturali, conc. min. Supernaturali, nego min & ſimiliter diſt. conſ. Ita Ang. Mag. artic. 4 ad 2. dicens: *Angelus converſione naturali non meruit beatitudinem: ſed converſione charitatis, quæ eſt per gratiam.*

20 Cont. Angeli nec converſione ſupernaturali meruerunt gloriam: ergo. Prob. ant. Actus meritorius gloriæ affert in ſui elicientia quamdam difficultatem; ſed Angeli in converſione ſupernaturali nullam habuerunt difficultatem: ergo. Reſp. diſt. minor. Ex contrarietate, aut impedimento ſuæ virtutis, conc. minor.

Ex

Ex exceſſu ſuperno converſionis, nego min.& conſ. Pro quo Ang. Doct. ad 1. ediſſerit: *Difficultas benè operandi non eſt in Angelis ex aliqua contrarietate, vel impedimento naturalis virtutis, ſed ex hoc quod opus aliquod bonum eſt ſupra virtutem naturæ.*

21 Arg.4. Angelus non premiatur ſtatim poſt vnum actum: ergo non eſt adeptus gloriam in ſecundo inſtanti, ad quod vnicus actus præceſsit. Prob.ant. Homo non premiatur ſtatim poſt vnum actum: ergo. Prob.conſ. Difficilius eſt homini, quàm Angelo, benè operari, & mereri; ſed: ergo. Reſp.nego conſeq. Rationem præbet Ang.Mag.art.5.ad 1.aſſerens: *Quod homo ſecundum ſuam naturam non ſtatim natus eſt vltimam perfectionem adipiſci ſicut Angelus: & ideò homini longior vita data eſt ad merendum beatitudinem, quàm Angelo.*

22 Cont. Etſi Angelus natus ſit ſtatim adipiſci vltimam perfectionem, non debet ſtatim adipiſci ſupernaturalem, qualis eſt gloria: ergo. Prob.ant. Debent mediare multa merita, vt adipiſcatur illam: ergo. Prob.antec. Inter multum diſtantia debent eſſe multa media; ſed ſtatus gloriæ diſtat multum à ſtatu naturæ ipſius,& medium inter vtrumque eſt meritum: ergo. Reſp.diſting. mai.In acquirentibus ſtatim ſuam vltimam perfectionem,nego mai. In alijs, conc.mai. & min.& ita diſt.conſ.Solutio eſt Divi Thomę ad 3.dicentis: *De natura Angeli eſt, quod ſtatim ſuam perfectionem conſequatur, ad quam ordinatur. Et ideo non requiritur niſi vnus actus meritorius,qui ea ratione medium dici poteſt: quia ſecundum ipſum Angelus ad beatitudinem ordinatur.* Et nihilominus certum eſt: quod etſi regulariter non ſic eveniat in homine; ita primo actu meritorio gloriæ promeretur ipſam, quod ſi ſubitò decideret,conſequeretur beatitudinem: ſiquidem gratia ornatus obiret.

23 Cont. Si ita evenirct in Angelo, quia ſtatim acquirit ſuam perfectionem, habuiſſet quoque gloriam in primo inſtanti ſuæ creationis; ſed illam non habuit in primo: ergo nec in ſecundo. Prob.mai. Citius eam haberet, conſequens illam in primo inſtanti: ergo. Reſp.diſt.antec. Citius, & non meritoriè, conc. ant. Meritoriè, nego ant & conſ. Huius rationem reddit Angelic. Mag.ad 2.dicens: *Inſtantia diverſa in his, quæ ad Angelos pertinent, non accipiuntur niſi ſecundum ſucceſſionem ipſorum in actibus. Non autem potuit ſimul in eis eſſe actus meritorius beatitudinis, & actus beatitudinis, qui eſt fruitio, cum vnus ſit gratiæ perfectæ, & alius gratiæ conſummatæ. Vnde relinquitur, quod*

oper-

*oportet diverſa inſtantia accipi: in quorum vno meruerit beatitudinem, & in alio fuerit beatus.*

24 Arg. 5. Sicut gratia datur ex mera Dei voluntate, ita quantitas gratiæ: ergo non eſt collata Angelis iuxta quantitatem, & perfectionem ſuæ naturę, ſed iuxta voluntatem Dei. Reſp. diſting. conſ. Vt condignitatem, conc. conſ. Congruitatem, nego conſ. Nobilitas enim, & maior perfectio Angelorum non eſt condignitas, neceſsitãs Deum, vt Angelo nobiliori, & perfectiori tribuat maiorem gratiam, & gloriam: ſed eſt congruitas quædam. Quare Ang. Mag. ait: *Rationabile eſt.* Hoc autem Deus voluntariè exequitur, ſicut & producit naturam nobiliorem, cui maiorem gratiam, & gloriam tribuat. In quo ſenſu procedit reſolutio Divi Thomæ, qui art. 6. pro hac obiectione ad primum ait: *Sicut gratia eſt à mera Dei voluntate, ita etiam & natura Angeli. Et ſicut naturam, Dei voluntas ordinavit ad gratiam, ita & gradus naturæ ad gradus gratiæ.* Et S. Damaſc. lib. 2. de Fide cap. 3. dicit: *Per Verbum igitur Dei creati ſunt Angeli, & per ſanctificationem Spiritus Sancti perfecti, pro ſuæ dignitatis, & ordinis ratione illuminationem, & gratiam participantes.* Et S. Baſil. lib. de Spiritu Sancto cap. 18. ait de Angelis: *Iuxta proportionem, qua ſe invicem ſuperant, à Spiritu habent ſanctificationis menſuram.*

25 Cont. Gratia Angelorum nec ex congruitate eſt iuxta naturam eorum: ergo. Prob. antec. Actus humanus eſt propinquior gratiæ, quàm natura Angelorum: ſed nec ex congruitate datur homini gratia iuxta actus illius: ergo. Mai. patet: quia actus humanus eſt prępăratorius ad gratiam: non tamen natura. Min. conſtat ex Rom. 11. Siquidem gratia non eſt ex operibus. Reſp. nego conſ. Cuius rationem præbet Angel. Doct. ad 2. dicens: *Quod actus rationis creaturæ ſunt ab ipſa: ſed natura eſt immediatè à Deo. Vnde magis videtur, quod gratia detur ſecundum gradum naturæ, quàm ex operibus.*

26 Cont. Licèt natura Angelorum ſit immediatè à ſolo Deo, eis non datur gratia iuxta naturam eorum: ergo. Prob. ant. Anima hominis eſt immediatè à ſolo Deo; ſed hominibus non datur gratia iuxtà naturam eorum: ergo. Prob. conſ. Homo, & Angelus pariter ordinantur ad gratiam, & gloriam; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Diſcrimen reddit Ang. Mag. ad 3. aſſerens: *Diverſitas naturaliũ aliter eſt in Angelis, qui differunt ſpecie; & aliter in hominibus, qui differunt ſolo numero. Differentia enim ſecundum ſpeciem eſt propter finem: ſed differentia ſecundum nume-*

*vum eſt propter materiam. In homine eriam eſt aliquid, quod poteſt impedire, vel retardare motum intellectiuæ naturæ, non autem in Angelis. Vnde non eſt eadem ratio de vtroque.*

## ARTICVLVS QVINTVS.

*VTRVM ANGELI POTVERINT peccare in primo inſtanti ſuæ creationis.*

1 PRÆMITTO 1: Quod Angeli potuerunt peccare. Hæc reſolutio eſt D. Thomæ quæſt. 63. art. 1. Eam fundat in illo Job 4. *In Angelis ſuis reperit prauitatē.* Probat quoque ratione: Peccare eſt declinare à rectitudine actus, quam debet habere, cuius voluntas eſt ſibi regula ſui actus; ſed nec in Angelis, nec in creatura vlla, voluntas eſt ſibi regula ſui actus: ergo. Mai. patet in manu artificis: quæ ſi eſſet regula inciſionis, artifex non declinaret, ſed ſemper lignum rectè incideret. Veruntamen quia eſt ab alia regula, contingit aliquando inciſionem non eſſe rectam, quia regulæ non conformem. Min. eſt certa: Nam ſola voluntas diuina eſt ſibi regula ſui actus: quia non habet voluntatem ſuperioris, cui conformetur: Sicut Angelus, & quælibet creatura habet Deum ſuperiorem, cuius voluntati, vt regulæ, debet conformari. Præuenit autem Diuus Thomas: *Cuicumque creaturæ hoc conuenit vt peccare non poſsit, hoc habet ex dono gratiæ, non ex conditione naturæ.* Propterea docet quæſt. 62. art. 8. Quod Angelus beatus peccare nō poteſt. Cum igitur fuerit beatus in ſecundo inſtanti ſuæ creationis, in eo non potuit peccare.

2 Præmitto 2. Dœmones non eſſe naturaliter malos. Hanc veritatem ſtatuit Diuus Thomas art. 4. cum S. Dion. Cuius aſsignat rationem: Omne quod eſt, in quantum eſt, & habet naturam aliquam, tendit naturaliter in aliquod bonum, & non eſt naturaliter malum; ſed Dęmones ſunt, & habent naturam intellectualem, quæ tendit in vniverſale bonum: ergo. Mai. patet: Nam prouenit ex principio bono, & effectus conuertitur in ſuum principium. Præterea: Dœmones ſunt Angeli producti immediatè a ſolo Deo; ſed Deus nil producit naturaliter malum: ergo non ſunt naturaliter mali. Imò fuerunt in primo inſtanti boni: cum etiam fuerint creati in gratia. Quare Theologi conueniunt in hoc: quod Angeli de facto non peccauerunt in primo inſtanti. Diſſidium eſt: An potuerint de potentia abſoluta peccare in illo?

3 Concluſio: Nullus Angelus potuit peccare in primo inſtanti

ſtanti ſuæ creationis. Ita omnes Thomiſtæ cum Ang.Doct. art.5. & B.Alb. quæſt.18. S.Bonavent. Alenſis, Hugo de S.Victore, Ricardus,& alij plurimi. Prob.concluſ.ratione Divi Thomæ:Si Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis peccaſſet, tale peccatum eſſet ei à Deo,& tribueretur Deo; ſed nec de potentia abſoluta poteſt peccatum eſſe à Deo,nec tribuit Deo: ergo. Prob.mai. Quamvis aliqua res in primo inſtanti, quo incipit eſſe, poſsit ſimul incipere operari, illa operatio incipiens cum eſſe rei, eſt ei ab agente, à quo habet eſſe, illique tribuitur, ed Angelus incipiens operari in primo inſtanti, quo incipit eſſe, habet eſſe à ſolo Deo:ergo.Mai.patet in igne: Cuius motus ſurſum eſt à generante, à quo habet eſſe. Quod eſt verum in motibus gravium, & levium ad ſuum centrum.Et ratio eſt: Nam operatio, & motus incipiens cum eſſe rei, explicat inclinationem, & diſpoſitionem, quam accepit cum ſuo eſſe ab agente, & ſe habet vt complementum illius, & productionis eius: ſicque ſpecialiter eſt ab agente: nam qui dat formam, dat conſequentia ad formam. Quare Div.Thomas ait: *Vnde ſi aliqua res habeat eſſe ab agente deficiente, quod poſsit eſſe cauſa defectiva actionis, poterit in primo inſtanti, in quo incipit eſſe, habere defectivam operationem. Sicut ſi tibia, quæ naſcitur clauda ex debilitate ſeminis, ſtatim incipiat claudicare. Agens autem, quod Angelos in eſſe produxit, ſcilicet Deus, non poteſt eſſe cauſa peccati. Vnde non poteſt dici, quod diabolus in primo inſtanti ſuæ creationis fuit malus.*

4 Reſpondebis: Hoc verificari in prima operatione agentis naturalis; non liberi, vt eſt Angelus. Hæc interpretatio eſt contra Ang.Mag.qui expreſsè loquitur de Angelo, vt agente libero, & de peccato, quod procederet ab illo, vt libero: ergo vtens tali principio, oſtendit: Verificari in prima operatione incipiente cum eſſe agentis liberi.Imò preveniens reſponſionem, ait: *Dicendum eſt, quod impoſsibile fuit Angelum in primo inſtanti peccaſſe per inordinatum actum liberi arbitrij.* Quæ verba etiam excludunt interpretationem: loqui de facto; non de poſsibili.

5 Cont. Præterea: Operatio prima agentis liberi, incipiens cum eſſe rei, eſt ei ſpecialiter ab agente,à quo habet eſſe,cui attribuitur: ergo ſic eſſet à Deo, & Deo attribueretur peccatum, ſi Angelus, vt agens liberum, peccaſſet in prima operatione incipiente cum eſſe ipſius. Prob.ant. Talis operatio eſt ſpecialiter ab agente, à quo agens liberum accipit inclinationem, & diſpoſi-

tionem, vt eliciat illam; ſed accipit talem inclinationem, & diſpoſitionem ab agente, à quo habet eſſe: ergo. Min. patet: Cum ſit conſecuta ad formam, & eſſe, & quaſi effectus illius: Et quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati. Et quia non poteſt eſſe tam ſubitò ab ipſo agente libero: quod requirit tempus, vt ſe ipſum inclinet, & diſponat.

6 Roboratur: Talis operatio libera agentis liberi, incipiens cum eſſe illius, ſapit inclinationem naturæ, quam accipit ab agente dante ei eſſe: ergo etiam eſt ſpecialiter ab ipſo. Antec. eſt Divi Thomæ quæſt 16. de Malo art 4. ad 5. Conſ. patet ex ipſo ibi aſſerente: *Et ideo ſi Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis peccaſſet, videtur hoc competere eius naturæ, & ita aliqualiter referretur ad Authorem naturæ.* Corroboratur: Operatio, quæ eſt à Deo movente, nedum motione generali, verùm & ſpeciali, & vnicè applicativa, eſt ſpecialiter à Deo, ipſique tribuitur; ſed prima operatio libera, incipiens cum eſſe Angeli agentis liberi, eſt ſic à Deo, ita vt voluntas Angeli in ea ſolùm ſe moveat elicitivè, & non applicativè: ergo. Mai. patet: Ideoque actus potentiæ executivæ eſt ita à voluntate: quia non elicit illum, niſi vt mota, & applicata à voluntate. Min. conſtat: Nam etſi eliciat eam, non ſe applicat ad illam: cum enim ſit prima volitio, non ſupponit aliam, qua voluntas Angeli ſit in actu, & applicetur.

7 Hæc doctrina videtur expreſſa in D. Thoma 1. 2. quæſt. 9. art. 4. ita affante: *Voluntas movet ſe ipſam, in quantum per hoc quod vult finem, reducit ſe ipſam ad volendum ea quæ ſunt ad finem; hoc autem non poteſt facere, niſi conſilio mediante: cum enim aliquis vult ſanari, incipit cogitare, quomodo hoc poſſit conſequi, & per talem cogitationem, pervenit ad hoc, quod poteſt ſanari per medium, & hoc vult. Sed quia non ſemper ſanitatem actu voluit, neceſſe eſt, quod inciperet velle ſanari ab aliquo movente, etſi ipſa moveret ſe ipſam ad volendum, oportuiſſet, quod mediante conſilio hoc ageret ex aliqua voluntate præſuppoſita; hoc autem non eſt procedere in infinitum. Vnde neceſſe eſt ponere, quod voluntas in primum motum procedat ex inſtinctu alicuius exterioris moventis.* Hanc doctrinam refert ex Ariſt. & eam repetens 3 cont Gent. cap 89 ait: *Oportet devenire in aliquod primum; huiuſmodi autem primum oportet eſſe aliquid, quod ſit melius ratione. Nihil autem eſt melius intellectu, & ratione, niſi Deus primum principium noſtrorum conſiliorum, & voluntatum.* Ex quibus conſtat: Conſilium, & applicationem ſpecialem ad operationem liberam, incipientem cum eſſe rei, eſſe à

Deo. Cum ergo peccatum attribuatur conſilianti, & ità applicanti; Deo tribueretur, ſi Angelus in primo inſtanti, & actu peccaret: & propter hoc inconveniens, dicendum eſt: quod non potuit peccare.

8 Nec dicas: Quod voluntas Angeli per continentiam virtualem actus eſt ſufficienter in actu conſtituta, vt moveat applicativè ſe ipſam. Nam hoc eſt ſatis reiectum in Philoſophia, & Theologia: præcipuè cum de motu, & præmotione ſit ſermo. Et quod non ſufficiat, oſtendit Ariſt. 9. Meth. dicens: *Potentia paſsiva eſt principium tranſmutationis ab alio, prout aliud eſt.* Quod ita explicat D. Thomas lect. 11. *Hoc dicit, quia etſi idem patiatur à ſe ipſo, non tamen ſecundùm idem, ſed ſecundùm aliud* Et potentia activa deſcribitur à Philoſopho: *Principium tranſmutationis in alio, prout aliud eſt.* Et Ang. Mag. exponit: *Hoc dicit, quia poſsibile eſt, quod principium activum ſit ſimul in ipſo mobili, vel paſſo, ſicut cum aliquis movet ſe ipſum; non tamen ſecundùm idem eſt movens, & motum, agens, & patiens.* Cum ergo continentia virtualis, ſeu actus virtualiter contentus in potentia, & cauſa formali, ſit ipſa potentia, & cauſa: per eam non reducitur, nec applicatur ad talem actum, & operationem; ne applicaretur à ſe ipſa: applicatur igitur ab exteriori principio, quod eſt Deus. Nec vnus Angelus poteſt moveri, nec applicari ab alio, nec ab obiecto: nam hæc motio eſt extrinſeca, & requiritur intrinſeca, Deo reſervata. Et quia de primo Angelo movente eadem dificultas ſubſiſteret.

9 Illuſtratur: Operatio libera incipiens cum eſſe Angeli, vt agentis liberi, debet ei convenire, media cognitione immiſſa à Deo, vt ſpecialiter movente; ſed ita concurrenti ad operationem peccaminoſam, hæc attribueretur vt ſpeciali cauſæ, ſaltem morali: ergo ſic tribueretur Deo prima operatio Angeli, ſi foret peccaminoſa. Prob. mai. Talis prima cognitio Angeli non poteſt eſſe ab eius intellectu, vt moto ſpecialiter à voluntate ipſius Angeli: ergo. Prob ant. Si eſſet ab illo, vt moto à voluntate Angeli, talem cognitionem præcederet alius actus movens voluntatis. De quo eſſet eadem difficultas: cum ſupponeret aliam cognitionem: quia nihil volitum, quin præcognitum: ſicque fieret processus in infinitum, & prædicta non eſſet prima cognitio, incipiens cum eſſe rei; ſed hoc repugnat: ergo. Hoc eſt expreſſum in Divo Thoma 1 part. quæſt. 82. art. 4. ad 3.

10 Dices: Iuxta hæc, quælibet prima hominis cogitatio, vt eli-

eliсita poſt ſomnum, erit ita à Deo, cum non præcedat proprius actus movens voluntatis; ſed hoc ita non eſt: alias primus actus voluntatis ſecutus non poteſt eſſe peccaminoſus, & homo immediatè poſt ſomnum non poſſet peccare: ergo quia non evenit ita in Angelo. Reſp. cum M. Carraſco, quod ſi talis prima cogitatio hominis in quolibet primo negotio ſupponat aliquam eius intentionem, non retractatam, & virtualiter permanentem, etſi ſomno, aut aliter interruptam, iam non eſt ſimpliciter prima. Et tunc voluntas virtute præcedentis intentionis poteſt movere intellectum ad illam, & actus defectuoſus voluntatis ſecutus erit peccaminoſus. Secus, ſi nec ita ſupponat actum propriæ voluntatis: nam tunc erit ſimpliciter prima, & nova cogitatio, atque ex ſpeciali Dei motione, qua nunquam operabitur defectuosè.

11 Dices: Illa cogitatio relinquit voluntatem hominis liberam, vt conſentiat, vel non conſentiat: ergo poteſt elicere extremum defectuoſum. Reſp. quod relinquet liberã quoad exercitium: cum non neceſsitet eam ad eliciendum actum. Manet tamen determinata ad ſpeciem actus boni, vt eliciendi liberè, & non neceſſariò. Licèt enim illud poſsit evenire, cum Deus motione generali immittit cogitationes: quia tunc relinquit locum, vt voluntas creata propria motione ſe moveat, & applicet; non verò cum ſpeciali prædicta: quia talem locum non relinquit.

12 Ex quibus ſequitur: Quòd Angelus potuit peccare poſt primum inſtans: Cum ceſſent fundamenta allegata, & nullum interveniat inconveniens. Quando ergo peccavit? Reſpondet Ang. Præceptor art. 6. *Circa hoc eſt duplex opinio. Sed probabilior, & Sanctorum dictis magis conſonans, quod ſtatim poſt primum inſtans ſuæ creationis Diabolus peccaverit. Et hoc neceſſe eſt dicere, ſi ponatur, quod in primo inſtanti ſuæ creationis in actum liberi arbitrij proruperit, & cum gratia fuerit creatus, vt ſupra diximus. Cum enim Angeli per vnum actum meritorium ad beatitudinem perveniant, ſi Diabolus in primo inſtanti in gratia creatus meruit, ſtatim poſt primum inſtans beatitudinem accepiſſet, niſi ſtatim impedimentum præſtitiſſet peccando*; ſed ſtatim poſt primum eſt ſecundum, in quo Angelus perſeverans fuit beatus: ergo in ſecundo Angelus malus peccavit.

13 Arg. 1. cont. 1. præmiſ. In Angelis non poteſt eſſe malum: ergo Angeli non potuerunt peccare. Prob. ant. In corporibus cœleſtibus non poteſt eſſe malum: ergo. Ant. docetur à Philoſopho.

Prob.

Prob.conſ. Angeli ſunt digniores, quàm corpora cœleſtia; ſed: ergo. Reſp.nego conſeq. Rationem reddit Ang. Doctor art.1.ad 2.inquiens: *Corpora cœleſtia non habent operationem niſi naturalem. Et ideò ſicut in natura eorum non poteſt eſſe corruptionis malum: ita nec in actione naturali eorum poteſt eſſe malum inordinationis. Sed ſupra actionem naturalem in Angelis eſt actio liberi arbitrij, ſecundùm quam contingit in eis eſſe malum.*

14 Cont. Angeli nec per actionem liberam poſſunt peccare; ergo. Prob.ant. Solum poteſt peccare ſubiectum, quod eſt in potentia; ſed Angeli nec vt agentes per actionem liberam ſunt in impotentia: ergo. Mai.eſt certa: Nam vt dicitur 9. Meth.malum culpæ eſt in ſubiecto, quod eſt in potentia: cum hoc ſolum ſit ſubiectum privationis, quam tale malum importat. Minor conſtat: Cum ſint formæ per ſe ſubſiſtentes. Reſp.diſt.mai. In potentia ad eſſe naturale, nego maior. Ad converſionem ſui in Deum, conc. mai.& diſt.min. Ad eſſe naturale, conc.min. Ad converſionem, nego min.& conſeq. Vt ſubiectum poſsit peccare, & eſſe in eo malum culpæ, non requiritur, quod ſit in potentia ad aliquid naturale, ſed ad converſionem ſui in Deum. Cumque Angeli eſſent in potentia ad converſionem prædictam, & ad plures actus meritorios, & demeritorios, quos pro libito ſui arbitrij potuerunt elicere: ideò potuerunt per actionem liberam peccare. Sic Divus Thomas ad 1.

15 Cont. Angeli non ſunt in potentia ad aliquid naturale: ergo nec ad talem converſionem. Prob conſ. Naturale eſt Angelis, quod motu dilectionis convertantur in Deum; ſed: ergo. Reſp. diſt.mai. In Deum, vt Authorem ſupernaturalem, nego mai. Naturæ, conc.mai.& minor.& nego conſ. Solutio eſt Divi Thomæ ad 3.dicentis: *Naturale eſt Angelo quod convertatur motu dilectionis in Deum, ſecundum quod eſt principium naturalis eſſe. Sed quod convertatur in ipſum ſecundum quod eſt obiectum beatitudinis ſupernaturalis, hoc eſt ex amore gratuito, à quo averti potuit peccando.*

16 Ex his conſtat: Quod Angelus ex natura ſua de facto eſt impeccabilis directè, & immediatè contra Deum, vt Authorem naturæ. Quod eſt ſatis commune. Cuius ratio eſt: quia naturaliter cognoſcit, & diligit Deum, prout ſic. Poteſt tamen peccare indirectè, & mediatè contra illum: nam peccatum contra Deũ, vt Authorem ſupernaturalem, ex conſequenti, indirectè, & mediatè eſt contra Deum, vt Authorem naturæ; eo quod recta ratio na-

turalis dictat in genere: quod obediendum eſt cuicumque legitimè præcipienti in qualibet materia; à qua regula deficit offendens Deum, vt Authorem gratiæ. Et quia talis non ſubordinat naturalia, vt debet, fini vltimo ſuperno.

17 Arg. 2. contra concluſ. Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis potuit converti ad Deum, vt Authorem ſupernaturalem: ergo & peccare contra illum. Prob. ant. Nam tunc fuit converſus. Prob.conſ. ex Ang.D. quæſt.16. de malo art.4.dicente: *Oportebat, quod Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis converteretur ad naturalem ſui cognitionem, ſecundum quam non potuit peccare. Poſtmodum verò potuit converti in id, quod eſt ſupra naturam, vel ab eo averti*; ſed Deus, vt Author ſupernaturalis, eſt ſupra naturam: ergo. Reſp. admitto, & explico authoritatem, in qua loquitur iuxta opinionem alienam aſſerentem, quod Angelus in primo inſtanti ſolum habuit actum, & cõverſionem naturalem; non in propria ſententia, quam in præſenti proponit, dicens: *Impoſsibile fuit Angelum in primo inſtanti peccaſſe.*

18 Cont. Iuxta Sententiam propriam D.Thomæ, potuit Angelus in primo inſtanti averti à Deo, vt Authore ſupernaturali, & peccare; ergo. Prob.ant. Potuit in illo converti ad Deum, vt Authorem ſupernaturalem, & mereri: ergo. Prob. conſ. Eodem modo dicit: *Potuit converti in id, quod eſt ſupra naturam, vel ab eo averti*; ſed: ergo. Reſp.nego conſ. Diſcrimen adducit Ang. Doctor art. 5.ad 3. inquiens: *Quidquid eſt in merito, eſt à Deo*. Et ideò in primo inſtanti ſuæ creationis Angelus mereri potuit. Sed non eſt ſimilis ratio de peccato. Et quæſt. cit.de malo ad 20.ait: *Alia eſt ratio de merito, & de peccato: nam meritum procedit ex hoc, quod mens rationalis creaturæ movetur à Deo, qui à principio potuit movere ad quod voluerit, ſed ad peccatum movetur mens rationalis creaturæ à ſe ipſa, quæ non poteſt movere, niſi ſecundum exigentiam naturalis ordinis.* Et 3. part. quæſt. 34. art. 3. aſſerit: *Liberum arbitrium non eodem modo ſe habet ad bonum, & ad malum: nam ad bonum ſe habet per ſe, & naturaliter; ad malum autem ſe habet per modum defectus, & præter naturam; ſicut autem Philoſophus dicit* 2. *de cœlo, poſterius eſt, quod eſt præter naturam, eo, quod eſt ſecundum naturam, quia id quod eſt præter naturam, eſt quædam exciſio ab eo, quod eſt ſecundum naturam. Et ideò liberum arbitrium creaturæ poteſt moveri ad bonum merendo, non autem ad malum peccando.*

19 Cont. Licèt Deus non concurreret ita ad peccatum, peccatum non tribueretur Deo: ergo. Prob.

Prob.ant. Etſi ita concurreret ad peccatum, Deus non peccaret: ergo. Conſeq.patet: Nam peccat ille, cui peccatum attribuitur. Prob.ant. Licèt ita concurrat ad meritum Angeli, Deus non meretur: ergo. Prob.conſ. Ideò non meretur, quia eſt incapax merendi; ſed etiam eſt incapax peccandi: ergo. Reſp.nego conſ. Ratio eſt: Nam peccat habens quemlibet concurſum in formalem malitiam peccati: eo quod peccatum, & malum eſt ex quocumque defectu; & talis concurſus iam eſſet defectus: cum eſſet ſpeciali motione, & applicatione. Veruntamen non meretur quilibet concurrens ad meritorium actum, ſed eliciens illum, & qui Deo humiliatur, & ſubjicitur, & ex pacto præmiatur pro merito. Quod Deus non exequitur, ſed ipſa creatura. Vnde Deus non meretur, licèt ita concurrat ad meritum; & peccaret, ſi ita concurreret ad peccatum: & quia non poteſt peccare, non poteſt ita concurrere, nec Angelus potuit peccare in primo inſtanti. Sicut propterea, licèt Deus ita concurrat cum creatura ad humilitatem; ipſe non humiliatur, & peccaret, ſi ita concurreret cum ipſa ad formalem malitiam actus ſuperbiæ.

20 Arg.3. Angelus potuit mereri in primo inſtanti ſuæ creationis: ergo etiam peccare. Prob. conſ. Plus requiritur ad merendum, quàm ad peccandum; ſed: ergo. Mai. patet: Nam illud, cum ſit bonum, eſt ex integra cauſa; hoc quia malum, ex quocumque defectu. Reſp. diſt. mai. Plus ex parte libertatis, nego mai. Subiecti, & actus, conc. mai. & min. & nego conſ. Ad merendum enim requiritur ſtatus gratiæ, quæ eſt principium meriti, & actus poſitivus, atque adimpletivus omnium circunſtantiarum debitarum, cum ſit ex integra cauſa. Ad demerendum autem, & ad peccatum non requiritur talis ſtatus, nec actus; ſed ſufficit defectus vnius circunſtantiæ debitæ, cum ſit ex quocumque defectu. Verumtamen ex parte libertatis plus requiritur ad demerendum, & peccandum: cum ad hoc exigatur libertas quoad ſpecificationem; & ad merendum ſufficiat libertas quoad exercitiũ. Et cum hæc, & non illa, fuerit in Angelo in primo inſtanti: ideò in illo potuit mereri, & non potuit peccare. Sicut propterea Chriſtus Dominus in adimpletione præcepti potuit mereri, quin poſſet peccare.

21 Cont. Plus ex parte libertatis requiritur ad merendum, quàm ad demerendum, & peccãdum: ergo. Prob. ant. Ad demerendum, & peccandum ſufficit li-

ber-

tas in cauſa, virtualis, & interpretativa; ſed ad merendum non ſufficit, ſed requiritur libertas in ſe, formalis, & expreſſa: ergo. Præmiſſæ ſunt certæ: Nam ſi quis ſe tradat ſomno, cum advertentia, quod omittet ſacrum præceptum, omiſsio eſt ei peccaminoſa. Si verò cum advertentia, quod in ſomnis recitabit ſalutationem Angelicam, recitatio huius non eſt meritoria. Cuius ratio eſt, quia ibi ſufficit libertas in cauſa; hic non.

22 Reſp. diſt. conſ. Libertatis quoad perfectionem, conc. cōſeq. quoad extenſionem, nego cōſeq. Perfectio libertatis ſtat in advertentia, & deliberatione. Extenſio eius in reſpicientia plurium actuum, & obiectorum. Et licèt ad meritum requiratur plus libertatis quoad perfectionem, eo quod exigitur maior advertentia, & deliberatio, & ad demeritum ſufficit quælibet: nam cum qualibet, ex quocumque defectu eſt demeritum; ad hoc tamen requiritur plus libertatis quoad extenſionem: ſiquidem ad meritum ſufficit reſpicere actum, & contradictorium actus ſecundùm ſe; & ad demeritum exigitur reſpicere actus contrarios, aut contrarium actus privativè, atque obiecta diverſa. Cumque illa perfectio ſit in Angelis, & non hæc extenſio: ideò potuerunt mereri, & non potuerunt peccare. Quare libertas traditi ſomno ſufficit ad demerendum: quia habet talem extenſionem, & eſt cum aliquali advertentia, ſaltem antecedente formali, & exinde interpretativa. Non tamen ad merendum: quia ei deficit perfectio, ſcilicet, actualis advertentia, & deliberatio. Hæc doctrina conſtat in merito Chriſti. Et pro ea Ang. Doctor quæſt. 62. art. 8 ad 3. ait: *Liberum arbitrium ſic ſe habet ad eligendum ea, quæ ſunt ad finem: Sicut ſe habet intellectus ad concluſiones. Manifeſtum eſt autem, quod ad virtutem intellectus pertinet, vt in diverſas concluſiones procedere poſsit ſecundùm principia data. Sed quod in aliquam concluſionem procedat prætermittendo ordinem principiorum, hoc eſt ex defectu ipſius. Vnde quod liberum arbitrium diverſa eligere poſsit, ſervato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis eius. Sed quod eligat aliquid divertendo ad ordinem finis, quod eſt peccare: hoc pertinet ad defectum libertatis. Vnde maior libertas arbitrij eſt in Angelis, qui peccare non poſſunt, quàm in nobis, qui peccare poſſumus.*

23 Arg. 4. Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis habuit omnia requiſita ad peccandum, ſi vellet: ergo potuit peccare. Prob. antec. Habebat potentiam peccandi, libertatem, elevationem ad finem ſupernaturalem, &

præceptum ſe convertendi in illum; ſed hæc ſunt omnia requiſita ad peccandum: ergo. Minor. conſtat: Siquidem his peccavit Angelus malus in inſtanti ſequente. Reſp. diſt. maior. Libertatem contradictionis, & quoad exercitium, conc. mai. Contrarietatis, & quoad ſpeciem, ſubdiſt. Pro primo inſtanti, nego maior. Pro ſecundo, conc. mai. & ita diſting. min. nego conſ. Præter requiſita aſsignata, requiritur ad peccandum, quod voluntas ſe moveat applicativè, medio dictamine defectuoſo, & contra inclinationem naturæ. Quod Angelus non potuit exequi in primo inſtanti: ſiquidem debuit ita moveri, & motus eſt à ſolo Deo. In eo enim habuit prædicta, & potentiam liberam libertate contrarietatis; & potentem peccare, non pro primo inſtanti, ſed pro ſecundo: nam pro primo habebat ſolam libertatem contradictionis. Hæc reſpicit actum bonum eliciendum, & carentiam illius ſecundùm ſe. Vel elicere hunc actum bonum, vel illum, ſi ſit libertas quoad individuationem. Illa reſpicit actum bonum, & malum, atque actus contrarios. Cumque hæc requiratur ad peccandum, & non ſufficiat illa: nam fuit in Chriſto Domino, qui non potuit peccare: ideò Angelus non potuit peccare in primo inſtanti; & potuit in ſecundo, in quo iam applicuit ſuam voluntatem, medio dictamine defectuoſo, & operatus eſt contra inclinationem ſuæ naturæ.

24 Cont. Suppoſito præcepto converſionis in Deum, vt Authorem ſupernaturalem, pro primo inſtanti, Angelus habuit libertatē contrarietatis pro illo: ergo. Prob. ant. Potuit omittere cōverſionem præceptam; ſed hæc omiſsio requirit libertatem contrarietatis: ergo. Mai. patet: Nam liberè adimplevit præceptum converſionis: ſicque potuit non adimplere, & omittere. Min. conſtat: Quia foret peccaminoſa. Reſp. diſt. mai. Omittere negativè, conc. maior. Privativè, nego mai. & diſt. min. Privativa, conc. min. Negativa, nego min. & conſ. Omiſsio negativa talis converſionis eſt carentia converſionis ſecundùm ſe, & pręciſivè à præcepto, cui adiuncta eſt accidentaliter. Privativa eſt carentia ipſius, vt cum pręcepto coniunctę. Omiſſio negativa non eſt peccatum, aliàs peccaret non ſe convertens, dum præceptum non inſtat. Privativa autem peccaminoſa eſt: cum ſit tranſgreſsio præcepti. Cum ergo Angelus pro primo inſtanti ſolùm poſſet omittere negativè, in ſenſu diviſo, & præciſivè à præcepto, talem converſionem; ideò non potuit omittere

pec-

peccando, nec eius libertas fuit contrarietatis. Hæc doctrina conſtat Tract. de Incarnatione in Chriſto Domino: qui ita liberè obedivit præcepto moriendi, & ſolùm potuit omittere negativè. Deinde: Nam Angelus potuit vno actu omittere adimpletionem præcepti, & alio actu implere illud: cum non eſſet neceſsitatus quoad individuationem actus. Quod ſufficit ad libertatem. Si verò Deus præciperet converſionem vnico actu determinato, libertas eſſet ad illum, & ad omiſſionem ita explicatam. Pro inſtantijs vid. Tract. 4. quæſt. 4. artic. 2. M. Carraſco in præſenti, & Illuſt. Godoy in 3. part. diſp. 49. §. 8.

25 Cont. Suppoſito præcepto converſionis, potuit Deus non conferre Angelo auxilium efficax ad obſervantiam illius pro primo inſtanti, & ei præbere concurſum prævium ad materiale peccati; ſed in hac hypoteſi Angelus peccaret: ergo habuit talem potentiam, & libertatem contrarietatis ad peccandum. Maior. patet: Nam tale auxilium eſt omninò gratuitum, & liberale, & nullo iure debitum Angelo: & Deus liberè præbet cuilibet concurſum prævium ad materiale peccati. Min. conſtat: Siquidem haberet præceptum de converſione, & auxilium ſufficiens ad illam, quam ſine efficaci non eliceret; & in non elicientia peccaret: nam qui poteſt, tenetur, & non facit, peccat. Et præcipue cum concurſus Dei prævius pro materiali peccati foret ab intrinſeco efficax, inferens illius exiſtentiam, quæ eſt connexa infallibiliter cum malitia formali peccati.

26 Reſp. diſt. mai. Potuit ex natura Angeli, conc. mai. ex parte Dei, nego mai. Et permiſſa min. nego conſ. licèt enim in tali hypoteſi Deus poſſet abſolutè non conferre Angelo auxilium efficax pro converſione, ſed deſtinare concurſum prævium pro materiali peccati, attenta natura Angeli, quia eſt creata, & nulli creaturæ debetur donum gratuitum, & liberale Dei, vt eſt tale auxilium. Nec ex ſuppoſitione præcepti; in qua ad ſummum debetur ei auxilium ſufficiens: quia præbet potentiam ad illius impletionem; non efficax, quod eſt applicatio ad actũ, ſe habens ex parte actus ſecundi, & non primi. Veruntamen, quia talis converſio eſt prima operatio, incipiens cum eſſe Angeli, iuxta inclinationem naturæ eius, acceptam à Deo, & Dei dictamine, motione, atque applicatione elicita, debet eſſe bona, & nequit eſſe mala. Vnde Deus decernens ita producere Angelum, ipſumque producens, tenetur præbere ei auxilium efficax

cax pro tali converſione, & non præſtare concurſum prævium ad materiale peccati, vt actio ſit bona, & non prava, ne actio peccaminoſa attribueretur Deo. Quare non poteſt id negare, nec Angelus potuit peccare in primo inſtanti.

27 Arg. 5. Puer poteſt peccare in primo inſtanti vſus rationis: ergo Angelus potuit peccare in primo inſtanti ſuæ creationis, quod fuit primum inſtans vſus rationis ſuæ. Ant. eſt certum in Divo Thoma 1.2. queſt. 89. art. 6. Nam pro tunc tenetur ſub præcepto converti ad Deum, Authorem ſupernaturalem, & poteſt omittere hanc converſionem, cuius omiſsio foret peccaminoſa. Prob. conſ. Angelus fuit expeditior in operando in primo inſtanti ſuæ creationis, quam homo puer in primo inſtanti vſus rationis; ſed: ergo.

28 Reſp. diſt. min. in primo inſtanti morali, conc. min. phiſico, nego min. & conſ. Inſtans phiſicum eſt vnicum indiviſibile temporis. Morale eſt minor morula, quæ prudenter exiſtimatur requiſita pro executione humana; & in noſtro caſu, pro converſione ſupernaturali pueri ad Deum. Hæc enim requirit aliquod ſpatium temporis, in quo advertat, & fide cognoſcat Deum, vt Authorem ſupernaturalem, quem diligat, & in quem ſperet; ita vt in puero rudiori, & minus inſtructo maius ſpatium requiratur. Quare eſt locus, vt procedat proprio dictamine, & ſpeciali applicatione ſuæ voluntatis; itaque ſi omitteret converſionem, omiſſio eſſet peccaminoſa, eique tribueretur, & non Deo, à quo ſic non eſt talis converſio elicita in vltimo inſtanti phiſico terminativo prædicti inſtantis moralis. Angelus autem tenetur converti in primo inſtanti phiſico ſuæ creationis: cum teneatur converti primo actu, & inſtantia Angeli ſunt ſicut actus. Sicque non intervenit ſpatium, vt operetur proprio dictamine, & applicatione: cum non præcedat actus proprius; ſed procedit, & operatur dictamine, motione, & applicatione ſpeciali Dei, quibus nequit peccare, ne peccatum tribuatur Deo: Et quia tale Dei dictamen motio, & applicatio nequit eſſe niſi ad bonum. Nec Angelus poteſt relinquere dictamen, motionem, & applicationem Dei, & converſionem omittere, quia pro tali omiſsione requirebatur actus præcedens propriæ voluntatis ſaltim interpretativus.

29 Cont. His non obſtantibus, Angelus potuit peccare in primo inſtanti phiſico ſuæ creationis, & vſus rationis: ergo Prob. ant. Si Deus crearet homi

nem adultum, & ratione ornatum, hic poſſet peccare in primo inſtanti vſus rationis: ergo. Ant. videtur certum in Angel. Mag. qui 3.part. quæſt. 34. art 3.ad 1. inſinuat talem poſsibilitatem, ſi natura non ſit integra. Prob.conſ. In Angelo pro tali inſtanti, vſus rationis etiam eſt expeditior, quam in homine adulto; ſed: ergo.

30 Reſp.diſt.minor. Inſtanti morali, conc.min. Phiſico, nego min.& conſ. Præcepta enim, homini impoſita, obligant modo humano. Et vt peccatum ſit ei imputabile, requiritur, quod modo humano procedat. Converſio namque hominis ad Deum, etiam in adulto, cuius natura non ſit integra, nequit fieri in inſtanti phiſico, ſed requirit ſpatium phiſicum temporis, & vnum inſtans morale. Quare talis adultus, quãtumvis gratia ornatus, eſt obligatus ad talem converſionem pro inſtanti morali, pro quo non converſus peccaret; eique, & non Deo, tribueretur peccatum, propter dicta. Hæc doctrina eſt conformis menti Div. Thomæ loc. cit. aſſerentis: *Et ideo liberum arbitrium creaturæ in primo inſtanti creationis poteſt moveri ad bonum merendo, non autem ad malum peccando, ſi tamen natura ſit integra.* Unde, ſi natura non ſit integra, non poterit in primo inſtanti creationis quod eſt phiſicum; ſed in morali, modo explicato. Angelus autem, eo quod perfectior, & expeditior, tenetur converti in primo inſtanti phiſico, in quo elicit primum actum perfectiſsimum, quo ita debet converti in Deum: & propter dicta, nequit in illo peccare. Si verò homo adultus, vt Adamus, cuius natura erat integra, in primo inſtanti phiſico ſuę creationis eliceret aliquam operationem liberam, ſimiliter non poſſet eſſe peccaminoſa: quia foret prima, incipiens cum eſſe rei, & Deo tribuenda.

31 Cont. Licèt homo in primo inſtanti phiſico ſuæ generationis contrahat peccatum originale, hoc non tribuitur Deo, danti eſſe: ergo licèt Angelus, vel homo, in primo inſtanti peccaret actualiter, peccatum non tribueretur Deo. Reſp.nego conſ. Ratio eſt: Quia peccatum actuale committitur propria voluntate; ad quam requiritur dictamen, & applicatio: quæ in tali caſu eſſent ſpecialiter à Deo; cui propterea tribueretur peccatum. Originale autem non committitur ſic, ſed contrahitur, abſque eo, quod requiratur propria operatio actualis, nec dictamen, nec ſpecialis applicatio voluntatis.

32 Cont. Sicut ad peccatum actuale requiritur dictamen pravum, ita ad originale vnio animę

cum carne infecta; ſed licèt Deus concurrat ad talem vnionem, ei non tribuitur originale: ergo. Reſpond. nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia dictamen eſt regula, & cauſa moralis peccati actualis. Vnio autem prædicta non eſt regula, nec cauſa moralis originalis.

33 Arg. 6. Prima operatio, incipiens cum eſſe rei, non ſemper attribuitur danti eſſe: ergo licèt talis in Angelis foret peccaminoſa, non attribueretur Deo creanti illos. Prob. ant. Calefactio, & illuminatio ignis eſt prima operatio, incipiens cum eſſe ignis; ſed non attribuitur igni generanti, & danti eſſe, ſed igni genito, calefacienti, & illuminanti: ergo. Reſp. diſt. min. Generanti, vt elicienti, conc. min. Aliter, nego min. & ita diſt. conſ. Pro ſolutione, & verbis D. Thomæ art. 5. *Operatio, quæ ſimul incipit cum eſſe rei, eſt ei ab agente, à quo habet eſſe: ſicut moveri ſurſum eſt igni à generante*; ſufficiat expoſitio Emin. Caietani aſſerentis: Propoſitio illa intelligitur in communi. Et intendit quod prima operatio cuiuſcumque rei ineſt illi ab agente. Id eſt, ineſt illi ratione eius quod habet ab agente. Nec refert vtrum illud, quod habet ab agente, concurrat ad talem operationem effectivè propriè, vt ignis calefacit; aut per modum principij formalis, vt quidam putant, in motu gravitatem cócurrere. Comparatio enim adducta in litera ſimilitudinem denotat quoad hoc, quod eſt attribui ei quod eſt ab agente, & non quoad modum attribuendi.

34 Iuxta quæ dicimus: Quod calefactio prima, incipiens cũ eſſe ignis, eſt elicitivè ab igne genito: nã ipſe ea calefacit. Ab igne autẽ generante non eſt ita elicitivè, ſed aliter effectivè, quatenus eſt à genito ratione eius quod habet à generante: ſicque ſuo modo attribuitur illi. Quælibet alia prima operatio, incipiens cum eſſe rei, eſt ſic à generante, & dante eſſe: Et prætereà poteſt eſſe ſuo modo ſpeciali. Vnde prima operatio libera, incipiens cum eſſe Angeli, modo dicto eſt à Deo, præſtante ei eſſe. Et rurſus, cum requirat dictamen rationis, & applicationem ſpecialem voluntatis, & hæc pro tunc non poſsint eſſe ab Angelo, ſed ſint à Deo, qui eſt primum conſilians, & movens, etiam eſt à Deo, vt ſpecialiter movente, & applicante. Et cum operatio libera peccaminoſa attribuatur ita concurrenti: nam eſt defectus præbere dictamen, & applicare ſpecialiter ad peccatum: ideò in Angelis tunc non potuit eſſe peccaminoſa, ne attribueretur Deo.

35 Cont. Licèt danti eſſe

attribuatur prima operatio inci-piens cum eſſe rei, & procedens ab ipſa ſecundùm rationem, qua illa procedit à dante eſſe; non verò procedens ſecundùm aliam rationem, qua ipſa, quodam modo ſe habet vt prima cauſa; ſed ita eveniret, ſi Angelus in primo inſtanti peccaſſet: ergo. Mai. patet: Nam vt attribuatur ei, requiritur quod ſubordinetur illi; & ſubordinatio ſolùm eſt in ratione, qua ab ea procedit. Min. conſtat: Siquidem peccatum foret ab Angelo, vt à prima cauſa defectiva, eo quod creatura eſt; ſub qua ratione ipſe non eſt à Deo, ſed vt cauſa ſecunda effectiva. Pro conſequentia ait Divus Thomas: *Si aliqua res habeat eſſe ab agente deficiente, quod poſſit eſſe cauſa defectiva actionis, poterit in primo inſtanti, in quo incipit eſſe, habere defectivam operationem.*

36 Reſp diſt. mai. Non tamen procedens poſsibilis, nego mai. Impoſsibilis, conc. mai. & min. & diſt. conſ. Attribueretur, & non attribueretur, conc. conſ. Attribueretur ſolùm, nego conſ. Maior enim eſſet vera, ſi caſus foret poſſibilis. Cum autem prima operatio, incipiens cum eſſe Angeli, debeat eſſe ab eius voluntate ſecundùm naturalem inclinationem illius, & vt mota, & applicata ſpecialiter à Deo, vtque regulata dictamine Dei; debet eſſe à voluntate Angeli ſub ea ratione, qua procedit à Deo, eique ſubordinatur; & nequit eſſe ſub alia, qua à Deo non procedat. Cumque huiuſmodi foret peccaminoſa: ideò nequit eſſe hæc. Enim verò ſi ſupponatur, Angelum in primo inſtanti peccaſſe; cum ſupponatur impoſsibile, ex eo ſequitur quodlibet. Tunc enim procederet ab Angelo ſub alia ratione, quæ non eſt à Deo; & Deo non attribueretur, vt ſuppoſitio vult. Et non procederet ſub alia, & attribueretur Deo propter dicta. Vnde, quia hoc repugnat, Angelũ tunc peccaſſe, eſt impoſsibile. Deus autem concurrit ad materiale peccati, quin concurrat ad formale connexum, & quin hoc Deo attribuatur: quia concurſus eius eſt vniverſalis. Concurſus verò ad primam operationem aſsignatam eſt ſpecialis, ideòque ei debet ita tribui, & propterea non poteſt eſſe peccaminoſa.

37 Arg. 7. Angelus in prima operatione, incipiente cum eſſe ipſius, non movetur, nec applicatur ſpecialiter à Deo: ergo licèt foret peccaminoſa, non attribueretur Deo. Prob. ant. Movetur, & applicatur ſpecialiter à ſe: ergo. Prob. ant. Agens vitale, præcipuè liberum, movetur, & applicatur ſpecialiter à ſe in operatione vitali; ſed Angelus eſt agens vitale liberum, & talis operatio eſt vi-

talis: ergo. Reſp. diſt. mai. In operatione prima, nego mai.. In alia, conc. mai. & diſt. min. Prima, cõc. min. alia, nego min. & conſ.

38 Cont. Agens vitale liberum in omni alia operatione vitali movetur, & applicatur ſpecialiter à ſe: ergo etiam in prima. Prob. conſ. Omnis operatio vitalis debet eſſe à principio intrinſeco, ſe movente; ſed: ergo. Reſp. diſt. mai. ſe movente ſemper applicativè, nego mai. Elicitivè, conc. mai. & min. & nego conſ. Cum vita ſit à principio intrinſeco, & vivens ſua operatione ſe moveat, omnis operatio vitalis eſt à principio intrinſeco, ſe movente elicitivè: cum eliciat operationem, qua ſe movet, & vivit. Prima autem habet hoc ſolùm. Secunda, & quælibet alia pręterea eſt ſpecialiter applicativè à principio intrinſeco. Cumque prædicta operatio Angeli ſit prima: ideò in ea ſe movet elicitivè; non verò applicativè, ſed ſpecialiter movetur, & applicatur à Deo. Vid. tractatu 2. quæſt. 1. art. 6.

39 Cont. Angelus, & quodlibet agens vitale liberum, in omni alia operatione ſe movet elicitivè, & ſpecialiter applicativè: ergo etiam in primo. Prob. conſ. Eius prima operatio eſt vitalis, & libera, ſicut quælibet alia; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Nam omnis alia operatio ſupponit aliquem actum proprium, quo agens ſe moveat, & applicet ad illam. Prima autem nullum ſupponit. Quare eam elicit; ſed movetur, & applicatur ſpecialiter à Deo ad illam, ne detur proceſſus in infinitum in his motionibus, ſed ſiſtat in Deo immobili, & primo motore omnium.

40 Cont. Si Angelus in prima operatione ſolùm ſe moveret elicitivè, talis operatio non eſſet vitalis; ſed eſt vitalis: ergo etiam ſe movet applicativè. Prob. mai. Ut ſit vitalis non ſufficit, quod aliquo principio intrinſeco eliciat illam: ergo. Prob. ant. Ignis aliquo principio intrinſeco elicit calefactionem; ſed calefactio non eſt operatio vitalis: ergo. Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: Nam ignis, eliciens calefactionem, ea non ſe movet, ſed movet aliud: eo quod eſt actio tranſiens, non recepta in agente, ſed in paſſo; vt docet Aug. Mag. quæſt. 18. art. 3. ad 1. Angelus verò tali prima operatione elicita ſe movet: cum ſit immanens, & recepta in ipſo, vt agente. Et cum de ratione viventis ſit ſua operatione ſe movere, & non ſufficiat movere aliud: ideò prima operatio Angeli eſt vitalis, non verò calefactio.

41 Arg. 8 Etſi Deus ſpecialiter moveat, & applicet Angelum ad primam operationem, hęc non attribuitur Deo: ergo. Prob. ant.

Actio attribuitur agenti denominato ab illa; ſed licèt Deus ſpecialiter moveat, & applicet Angelum ad primam operationem, non denominatur ab ea agens, nec volens: ergo. Mai. patet: ſic enim ſolùm denominatur Angelus, eliciens illam. Reſp. diſt. mai. Actio, vt effectus, nego mai. Vt actio, conc. mai. & min. & nego conſ. Actio vtique, vt actio, attribuitur ſoli agenti elicienti ipſam, à qua denominatur. Vnde prædicta attribuitur ſic ſoli Angelo, qui eam elicit, & ab ea denominatur agens, & volens. Vt effectus tamen attribuitur ſpeciali moventi, & applicanti; quin ita denominet ipſum. Cumque Deus ita concurrat ad primam operationem Angeli: ideò ſic attribuitur illi, abſque tali denominatione. Sicut propterea, diſcurſus hominis, vt effectus, attribuitur Deo; & ſolum denominat hominem diſcurrentem, à quo elicitur, & cui attribuitur vt actio. Et operationes virium ſenſitivarum, vt effectus attribuuntur voluntati; & ſolùm denominant ſentientes vires ſenſitivas, à quibus eliciuntur, & procedunt vt actiones.

42 Cont. Licèt Deus, vt movens, & ſpecialiter applicans concurrat ita ad volitionem Angeli, non denominatur ea volens, ſicut nec diſcurſu hominis diſcurrens; ergo licèt concurreret ad actionem peccaminoſam illius, non denominaretur peccans. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia concurſus ſpecialis ad volitionem non eſt volitio, ad quam eſt concurſus. Nec concurſus ad diſcurſum, eſt diſcurſus. Concurſus autem ſpecialis ad peccatum, eſt peccatum: cum ſit defectus. Ad ſummum enim ſequitur: quod Deus non denominaretur peccans formaliter à peccato, ad quod côcurreret. Denominaretur tamen ab ipſo concurſu ad peccatum, qui peccaminoſus eſſet. Sicut concurrens cum Petro, conſulendo ad peccatum, denominatur peccans, non formaliter à peccato Petri, ſed à concurſu, & conſilio eius. Peccatum namque eſt malum: quod eſt ex quocumque defectu. Et cum concurſus ad peccatum ſit defectus: ideò dicitur peccatum, & ex eo conſurgit denominatio peccantis. Volitio autem, diſcurſus, & quodlibet bonum, eſt ex integra cauſa. Quare non tribuit ſuam denominationem cuicumque concurrenti, ſed elicienti.

43 Arg. 9. Voluntas Angeli in prima operatione potuit ſe movere applicativè: ergo & non moveri ita à Deo, & peccare. Probatur ant. Voluntas per actum reflexum, quo vult amare, poteſt ſe movere applicativè ad actum directum, quo amat; ſed primus

Non actus

actus voluntatis Angeli fuit ſimul directus,& reflexus: ergo. Minor eſt certa. Nam eo voluit amare, & amavit. Reſp.diſt. mai.Reflexum realiter diſtinctum, concedo mai. Virtualiter,nego mai.& diſ. min. Reflexus virtualiter diſtinctus,conc.min.Realiter nego minor.& conſ. Ut enim dictum eſt, voluntas ſecundùm idem,ſive per eumdem realiter actum, nequit eſſe ſimul movens,& mota,agens & patiens. Cumque primus actus voluntatis Angeli,modo aſsignato, cum ſola diſtinctione virtuali ſit directus, & reflexus: ideò per ipſum,vt reflexum, non potuit ſe movere applicativè ad eundem, vt directum.

44 Cont. Ut voluntas Angeli in prima operatione ſe moveat applicativè per actum reflexum ad directum, ſufficit diſtinctio virtualis vtriuſque:ergo.Probatur ant.Voluntas Angeli in ſecundo actu, & inſtanti potuit ſe movere applicativè ad actum directum peccati; ſed movit ſe per actum reflexum realiter eundem, & ſolùm virtualiter diſtinctum à directo: ergo.Prob.min. Non potuit ſe movere applicativè per actum realiter diſtinctum,& antecedentem actum directum peccati: ergo. Prob.ant. Talis actus, ita antecedens, eſt actus Angeli elicitus in primo inſtanti;ſed per hunc non potuit ſe movere applicativè ad actum directum peccati: ergo. Prob. min. Talis actus eſt dilectio Dei, vt Authoris ſupernaturalis; ſed voluntas Angeli non potuit per hanc dilectionem ſe movere applicativè ad actum directum peccati: ergo. Prob. min. Id,per quod voluntas ſe movet applicativè ad actum directum peccati, eſt cauſa peccati; ſed dilectio Dei, vt Authoris ſupernaturalis nequit eſſe cauſa peccati: ergo. Mai. eſt certa: Et propterea intentio eſt cauſa electionis. Min. patet: nam dilectio recta, & meritoria, vt prædicta,nequit eſſe cauſa peccati.

45 Reſp. diſt.mai.Per quod, & non ex quo, nego mai. Et ex quo, conc.mai.& min.& diſting. conſ. Per hanc dilectionem,& ex ea, conc.conſ. Et non ex ea,nego conſ. Movens, & applicans per *quod*,eſt conſtituens voluntatem, vt eliciat actum ſequentem,quin influat in illum. Per *quod*, & ex *quo*, præterea influit in actum. Et licèt hoc ſit cauſa actus; non tamen illud. Cumque talis dilectio ſolùm ſit per quam, & non ex *qua* voluntas Angeli movetur, & applicatur ad actum directum peccati, in ſecundo inſtanti elicitum: ideò non eſt cauſa peccati. Voluntas namque Angeli in primo inſtanti manet in actu conſtituta: cum elicuerit actum proprium, qui eſt prædicta dilectio;

ctio; quæ non influit, vt poſtea peccet, cum voluntas peccans non operetur iuxta illam: Sed quia libera, & per eam non neceſsitata, non ſequitur finem per ipſam dilectum, & propoſitum; ſed ceſſans ab eius dilectione, vult pravè aliter incedere, & peccatum committere. Hoc argumentum viſu difficile, omnibus eſt commune. Et probaret: quod homo ſemel operans rectè, iam non poſſet operari pravè: cum per actum antecedentem rectum non poſſet ſe movere, nec applicare ad actum peccati. Verum ita non eſt, propter hanc doctrinam. Intentio autem efficax finis eſt cauſa electionis mediorum: quia ex ea ſequitur electio. Unde ſi illa eſt recta, nequit electio eſſe peccaminoſa.

46 Arg. 10. Angelus, qui peccavit, fuerat pluribus inſtantibus bonus: ergo non peccavit in ſecundo inſtanti. Prob. ant. ex illo Ezechiel. 28. *In medio lapidum ignitorum ambulaſti. Perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inventa eſt in te iniquitas*; ſed ambulatio, quia motus continuus, requirit plura inſtantia, quæ etiam denotant plures vias, in quibus talis Angelus fuit bonus, & perfectus: ergo. Reſp. admitto, & explico Sac. Textum cum Divo Thoma art. 6. ad 1. Non de motu corporali, requirente aliquam morulam, & plura inſtantia; ſed de ſpirituali inſtantaneo, ſumpto pro motu liberi arbitrij tendentis in bonum. Hic enim vnico primo inſtanti fuit completus in Angelo, qui peccavit in ſecundo. Dicitur autem ſimilitudinariè ambulatio, & motus, ac factus vnico actu, correſpondente primo inſtanti; ſub quo tamen contenti ſunt plures actus ſubordinati, quos tunc elicuit; qui ſignificantur per tales vias.

47 Cont. Inter meritum, & peccatum Angeli interceſsit aliqua morula: ergo licèt actus perfectus illius fuerit motus ita ſpiritualis, non eſt factus in vnico inſtanti. Prob. antec. ex Origine aſſerente: *Serpens antiquus non ſtatim ſupra pectus, & ventrem ſuum ambulavit.* Per quod intelligitur peccatum Angeli, vt ait Divus Thomas arg. 2. ergo. Reſp. admitto, & explico tale dictum cum Ang. Mag. ad 2. aſſerente: *Origenes dicit, quod ſerpens antiquus non à principio, nec ſtatim ſupra pectus ambulavit, propter primum inſtans, in quo malus non fuit.*

48 Cont. Angelus non peccavit ſtatim poſt primum inſtans, in quo creatus fuit bonus: ergo interceſsit aliqua morula. Prob. ant. Angelus peccavit in inſtanti diverſo ab eo, in quo creatus eſt bonus; ſed vnum inſtans non eſt ſtatim poſt aliud: ergo. Probat.

min. Inter quælibet duo inſtantia mediat tempus: ergo. Reſp. diſt.ant. Inſtantia noſtra, conc. ant. Angelica, nego ant. & conſ. Cum inſtantia noſtra ſint temporis continui, non ſunt immediata, ſed inter quælibet mediat tempus, ipſis vnitum, & continuatum. Inſtantia autem angelica non ſunt huiuſmodi, ſed accipiuntur pro actibus Angeli; ita vt duo actus dicantur duo inſtantia, quæ ſibi ſuccedunt, quin intercedat aliquid. Cum igitur Angelus primo actu fuerit bonus, cum meruerit; & ſecundo peccaverit: ideò ſtatim poſt primum inſtans peccavit. Ita Ang. Doct. ad 4 concludens: *Et ideò in primo inſtanti omnes fuerant boni, ſed in ſecundo fuerunt boni à malis diſtincti.*

49 Cont. Inter inſtans, in quo Angelus eſt creatus, & inſtans, in quo peccavit, intercesſit ſaltim aliquod inſtans, in quo perſeveraverit bonis: ergo. Prob. ant. Inter formationem hominis, qua creatus eſt bonus, & inſtans, ſeu tempus, in quo peccavit, intercesſit aliqua morula, in qua perſeveravit bonus: ergo. Prob. conſ. Poſſe peccare eſt commune homini, & Angelo; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Diſcrimen præbet Ang. Mag. ad 3. dicens: *Angelus habet liberum arbitrium inflexibile per electionem. Et ideò niſi ſtatim poſt primum inſtans, in quo naturalem motum habuit ad bonum, impedimentum beatitudinis præſtitiſſet, fuiſſet firmatus in bono. Sed non eſt ſimile de homine. Et ideo ratio non ſequitur.*

50 Ex his colligitur: Quod Angelus, qui peccavit, in primo inſtanti ſuæ creationis fuit bonus; in ſecundo peccavit; & in tertio damnatus eſt. Primum, & ſecundum conſtat ex dictis. Tertium deducitur ex Ang. Doct. quæſt. 62. art. 5. præcipuè ad 2. Ubi conſtituit diverſum inſtans pro merito, & gloria Angelorum: ergo potius debet conſtitui diverſum pro demerito, & damnatione Dœmonum. Nam Angelus peccavit in Cœlo Empyreo, in quo creatus eſt; & damnatus eſt in inferno, in quo eſt detruſus: Sicque elicuit vnam operationem, qua vltimo fuit in Cœlo; & aliam, qua primo conſtitutus eſt in inferno: cum pertranſitio talium locorum exigat operationes diverſas; vt viſum eſt Tract. ant. quæſt. 2. Sed duæ operationes Angeli, ita diverſæ, requirunt duo inſtantia, ergo peccavit in ſecundo inſtanti, & damnatus eſt in tertio. Angelus autem bonus in primo inſtanti fuit rectus, & meruit beatitudinem; & in ſecundo conſecutus eſt illam.

51 Dices: Omnes Angeli fuerunt boni in primo inſtanti, & meruerunt beatitudinem: quare ergo

ergo non omnes eam adepti ſunt in ſecundo? Reſp. cum Ang. Doct. quia boni perſeveraverunt, & firmati in bono, non præſtiterunt impedimentum beatitudini; quod appoſuerunt mali, non perſeverantes. Inſtabis: Ex his videtur ſequi: Quod Angeli boni nunquam potuerunt peccare: ſiquidem non potuerunt peccare in primo inſtanti: vt dictum eſt; ſed nec potuerunt in ſecundo: ergo. Prob. minor. In ſecundo fuerunt beati; ſed Angeli beati non poſſunt peccare: ergo. Min. docetur à Divo Thoma quæſt. 62 art. 8.

52 Reſp diſt. mai. Quia voluerunt perſeverare in bono, conc. mai. Sine hac volitione, nego mai. & diſt. min. Ut beati, conc. min. Beatitudine non adepta, nego min. & ita diſt. conſ. In ſenſu namque compoſito beatitudinis nemo poteſt peccare. Nec Angeli potuerunt in ſecundo inſtanti componere peccatum cum beatitudine adepta. Dicitur tamen, quod potuerunt peccare: quia potuerunt, ſicut mali, non perſeverare in bono, & deficere: & tunc foret peccatum, & non beatitudo. In omnibus enim erat potentia peccandi; non cum beatitudine adepta, ſed ea non conſecuta. Et ſicut mali non perſeverantes, peccaverunt; ita alij peccarent, ſi non perſeveraſſent. Vnde potuerunt peccare; non vt beati, ſed vt creaturæ defectibiles. Secundus enim actus Angeli boni potuit eſſe peccatum, ſicut fuit in Angelo malo. Veruntamen non fuit, ſed perſeveravit in primo, conſtitutus eſt beatus, & prout beatus iam non potuit peccare. Quare Angelus bonus vnico inſtanti fuit viator, & ſequentiam fuit beatus. Malus autem duplici inſtanti fuit viator, & in tertio damnatus eſt.

## ARTICVLVS SEXTVS.

### *DE PECCATO ANGELI.*

1 PRÆMITTO 1. Primum peccatum Angeli fuiſſe mortale: Nam propter illud eſt damnatus pœna æterna. Per prius autem fuit in eo peccatum commiſſionis; & deinde omiſſionis; quia erat illi præceptum poſitivum diligendi Deum, Authorem ſupernaturalem, ſuper omnia; eique prohibitum diligere ſe, & excellentiam ſui, ſine ordine ad Deum, modo dicto: ergo dum ita, ſine tali ordine dilexit, peccavit peccato commiſſionis; & exinde peccato omiſſionis, dum omiſſit talem dilectionem Dei, & obſervantiam præcepti.

2 Præmitto 2. Quod tale peccatum proceſſit ex inconſideratione privativa. Ita Thomiſtæ, & alij

alij multi cum Divo Thoma. In intellectu namque poſſunt eſſe plures defectus. Neſcientia; quæ eſt carentia cognitionis eorum, quæ quis non tenetur ſcire. Ignorantia; quæ eſt carentia cognitionis actualis, & habitualis eorum, quæ tenetur ſcire. Error poſitivus: qui eſt falſum iudicium de obiecto. Inconſideratio negativa; quæ eſt carentia conſiderationis actualis, cum aliquis non tenetur conſiderare. Privativa; cum tenetur. Nunc firmatur præmiſsio in Ang. Duce quæſt. 16. de Malo art. 2. ad 4. ita aſſante: *Non oportet ponere in primo peccato Dæmonis talem defectum intellectus, vt aliquid falſum exiſtimaverit, puta aliquod malum eſſe bonum, ſed in hoc quod defecit ab apprehenſione ſuæ regulæ, & ordinis*: ergo proceſsit ex eo, quod cum teneretur, & potuerit ex proprio dictamine converti, & perſeverare converſus in Deum, vt Authorem gratiæ, & habere ipſum, vt regulam ſuarum operationum, ad quem ordinaret cuncta, hoc non conſiderans, ea non ſic ordinavit; & ſtetit in amore ſui, ſine hac debita ſubordinatione; in quo ſtat inconſideratio privativa.

3 Ex quo conſtat: Quod non proceſsit ex neſcientia, aut inconſideratione negativa: nam vtraque eſt eorum, quæ quis non tenetur ſcire, attendere, & conſiderare; ſicut Angelus tenebatur. Nec ex ignorantia: Siquidem hæc procedit ex defectu alicuius principij cognitionis; & nullum defecit Angelo: cum ab initio habuerit omnes ſpecies rerum naturalium, & ſtatim fuerit elevatus ad ſupernaturalia, & ornatus omni comprincipio habituali pro cognitione naturali, & ſupernaturali, ſibi neceſſaria, & requiſita. Nec ex errore: Cum Angelus non potuerit errare circa naturalia: nam habebat perfectam eorum notitiam. Nec circa ſupernaturalia: quia licèt iſta excedant potẽtiam eius, & propterea egeat lumine ſuperno, vt ea percipiat; dum voluntas non eſt deordinata per peccatum, non applicat intellectum ad iudicandum de illis, quæ excedunt vires eius, & in quibus eſt periculum errandi. Unde licèt poſt peccatum, in Angelo potuerit eſſe error circa illa: eo quod eius voluntas prava, & ſuperba applicat præſumptuosè intellectum, vt iudicet de excedentibus, non verò ante peccatum.

4 Hinc ſequitur, quod Angelus non peccavit, quia elegiſſet aliquod malum, vt bonum: nam hic eſſet error: cum iudicaret bonum, & amandum id, quod in ſe erat malum, & fugiẽdum: Peccavit igitur in electione alicuius boni. Hoc autem non erat ſenſibile; nam cum ſit ſuæ naturæ impro-

proportionatum, eius appetitus non afficitur ad illud. Erat ergo ſpirituale. Non naturale, debitum illi, ſiquidem poſſidebat omnia naturalia, ei debita: Sed aliquid indebitum, vel ex parte rei, vel ex parte modi habendi illud. Nunc inſurgit dubium: Quodnam fuerit primum peccatum Angeli?

5 Concluſio: Primum peccatum Angeli fuit ſuperbiæ, ita Diuus Thomas quæſt. 63. art. 2. Beat. Albert. quæſt. 21. cum SS. Auguſt. Greg. Anſelm. & alijs PP. & eſt communis Theologorum. Conſtat ex Sac. Scriptura: Nam Iſai. 14. verſ. 11. dicitur de Angelo peccante: *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua.* Et interrogatus: *Quomodo cecidiſti de Cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* Quaſi reſpondet: *In Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* Et Ezechiel 28. v. 17. *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo: perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te.* Eccleſ. 10. v. 15. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia.* Et Tobiæ 4. v. 14. *In ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.* Quæ SS. PP. citati, & SS. Amb. Fulgent. Chriſoſt. Rupert. & alij exponunt de primo peccato Angeli; quod fuit ſuperbia. Propterea aliqui hoc tam certum iudicant, vt oppoſitum temerarium, vel erroneum exiſtiment.

6 Videtur quoque conſentaneum dicto Chriſti Domini Luc. 10. v. 18. *Videbam Satanam ſicut fulgur de Cœlo cadentem.* Quod dixit, teſte D. Gregor. lib. 23. Moral. cap. 7. vt reprimeret elationem diſcipulorum gaudentium, quoniam Dœmones illis ſubjiciebantur; ſignificans: Dœmonem propter elationem, & ſuperbiam cecidiſſe. Et 1. Tim. 3. v. 6. dicitur: *Epiſcopum debere eſſe: Non ne ophytum: ne in ſuperbiam elatus, in iudicium incidat diaboli.* Quod S. Chriſoſt. ibi, & hom. 3 de verbis Iſaiæ *Vidi dominum*, ita exponit: *Ne in eandem incurrat damnationem, quam ille per arrogantiam pertulit.* Et S. Hieron. complectens hæc duo teſtimonia in illud Iſa. 3. *Et dabo pueros*, inquit: *Iudicium diaboli nullum eſt aliud niſi ſuperbia; propter quam de cœleſtibus cecidit. Vnde Saluator loquitur: Videbam Satanam ſicut fulgur de Cœlo cadentem.* Et M. P. Aug. lib. 12. de Civ. Dei cap. 6. ait: *Cum verò cauſa miſeriæ malorum Angelorum quæritur, ea meritò occurrit, quod ab illo, qui ſummè eſt averſi, ad ſe ipſos converſi ſunt, qui non ſummè ſunt: & hoc vitium quid aliud, quam ſuperbia nuncupatur?* Et S. Joan. Chriſoſt. loc. cit. *Superbia virtutem incorpoream è ſublimi detraxit, ac deiecit, eo quod diabolum, cum diabolus non eſſet, vt hoc eſſet effecit, nimirum diabolus.* Et S. Bernard. ſup. eadem Iſa. ver-

ba Serm.2. *Semel turbavit ſuperbia regnum illud.*

7 Prob.1.concluſ.ratione Divi Thomæ art.2. Angelus primò peccavit, quia ſine regula, menſura, & ordine debito dilexit ſe, & propriam excellentiam, quin eam ſubjiceret, vt debebat, Deo, vt Authori gratiæ; ſed hoc eſt peccatum ſuperbiæ: ergo. Mai. eſt Divi Thomæ dicentis: *Per hoc quod in tali affectu ſuperioris regula non ſervatur.* Min.docetur ab ipſo aſſerente: *Et hoc eſt peccatum ſuperbiæ, non ſubdi ſuperiori in eo quod debet.* Conſeq.patet ex eodem ita aſſante: *Vnde peccatum primi Angeli non poteſt eſſe aliud, quā ſuperbia.*

8 Prob.2.concluſ.ratione ipſius 2 2. quæſt.163 art 1. Peccatum primum primi hominis fuit ſuperbia: ergo etiam peccatum primum primi Angeli. Antec.eſt reſolutio D.Thomæ loc.cit.Prob. conſ.Ideò illud fuit ſuperbia,quia fuit initium omnis peccati hominum; ſed hoc fuit initium omnis peccati Angelorum: ergo. Mai. docetur ab Ang.Mag. Et conſtat ex illo Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intravit.* Minorem docet quæſt. 63. art.8. ex illo Apoc.12. *Cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum Cœli.* Divus Thomas in corp. *Peccatum primi Angeli fuit aliis cauſa peccandi, non quidem cogens, ſed quadam quaſi exhortatione inducens. Cuius ſignum ex hoc apparet, quod omnes Dæmones illi ſupremo ſubduntur vt manifeſtè apparet per illud quod dicit Dominus Mat.25. Ite maledicti in ignem æternum,qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius.* Habet enim hoc ordo divinæ iuſtitiæ vt cuius ſuggeſtioni aliquis conſentit in culpa,eius poteſtati ſubdatur in pœna, ſecundùm illud 2.Pet.2. *A quo quis ſuperatus eſt huic ſervus additus eſt.*

9 Prob.2 conſ. Ideò primum peccatum hominis fuit ſuperbia quia eius primus motus interior fuit circa finem: & cum in illo ſtatu innocentiæ nulla eſſet rebellio carnis ad ſpiritum, eius inordinatio non potuit eſſe circa aliquid ſenſibile, ſed erga ſpirituale inordinatè inſpectum, & non vt regula divina præſtitum quod eſt ſuperbia; ſed hæc ratio eadem, & potiori modo militat in primo Angelo: ergo. Mai.eſt Ang.Doct.art.1.propterea dicentis: *Vnde manifeſtum eſt quod peccatum primi hominis fuit ſuperbia* Min.eſt certa: Ideoque S.Doct in tali ratione fundat hanc reſolutionem, docens: Non solùm quod fuit, ſed etiam, quod non potuit eſſe aliud, niſi ſuperbia Hæc enim art.2. ait: *In ſpiritualibus autem bonis non poteſt eſſe peccatum dum aliquis ad ea afficitur niſi per hoc, quod in tali affectu ſuperioris regula non ſervatur.*

Illu-

10 Illuſtratur ex Ang. Præcept. 2.2. quæſt. 162 art. 1. Velle aliquem tendere ſupra id, quod eſt, & ſine ordine ad ſuperiorem, ſuper videri, quam eſt, & ſupergredi quod eſt, eſt peccatum ſuperbiæ; ſed Angelus in primo peccato id voluit, ſine ordine ad Deum, vt ſupremum Dominum: ergo. Mai. eſt Divi Thomæ aſſerentis: *Superbia nominatur ex hoc, quod aliquis per voluntatem tendit ſupra id quod eſt.* Et refert S. Iſidorum dicentem: *Superbus dictus eſt, quia ſuper vult videri quam eſt. Qui enim vult ſupergredi quod eſt, ſuperbus eſt.* Min. conſtat ex dictis.

11 In art 2. præſenti examinat Ang. Mag. quæ peccata poſſint eſſe in Dæmonibus? Et reſolvit: Quod ſecundum reatum omnia: Nam cum homines inducant ad omnia peccata, incurrunt reatum omnium peccatorum. Veruntamen ſecundum affectum poſſunt eſſe in eis peccata ſuperbiæ, & invidiæ. Pro quo adducit D. Auguſtinum aſſerentem: *Angelus non eſt fornicator, aut ebrioſus, neque aliquid huiuſmodi. Eſt tamen ſuperbus, & invidus.* Pro ſuperbia adducta eſt ratio cum Divo Thoma. Pro invidia hanc præbet: Eiuſdem rationis eſt, quod affectus appetat aliquid, & quod renitatur oppoſito; ſed Angelus per affectum appetijt propriam excellentiam ſingularem, quæ ceſſat per excellentiam alterius: ergo renitebatur excellentiæ, & bono alterius, exiſtimato impedimento propriæ excellentiæ, & boni affectati; de illoque doluit, in quo ſtetit invidia. Vnde D. Thomas concludit: *Et ideò poſt peccatum ſuperbiæ conſecutum eſt in Angelo peccante malum invidiæ, ſecundum quod de bono hominis doluit: & etiam de excellentia divina, ſecundum quod eo Deus contra voluntatem ipſius diaboli vtitur in gloriam divinam.* In hoc ſenſu S Aug. Concion. in Pſal. 57 dixit: *Sola ſuperbia lapſus eſt, & quoniam ſuperbiæ comes eſt invidentia, fieri non poteſt, vt ſuperbus non invideat.*

12 Ex quo confirmatur concluſio: Primum peccatum Angeli non potuit eſſe aliud, niſi ſuperbia: ergo hoc fuit. Probatur. Non fuit invidia: nam hæc eſt dolor proſperitatis alterius, vt impeditivæ boni proprij; ſed nec ſœlicitas divina, nec alia proſperitas creata, poterat impedire bonum, & fœlicitatem Angeli, niſi illa, quam inordinatè appetijt, in quo ſtetit ſuperbia: ergo. Nec fuit odium, deſperatio, aut ſimile peccatum: quia cum hæc importent fugam à Deo, reſpiciunt Deum ſub ratione diſconvenientis, & nocivi; ſed Angelus non reſpiciebat ſic Deum; quem expertus erat beneficum, & liberalem: alioquin fuiſſet in eo error,

& ignorantia: ergo. Nec fuit infidelitas: Nam cum fides, via generationis, ſit prima virtutum; vt in deſitione ſalvetur præpoſterus ordo, quem Angel. Doctor 2.2 quæſt. 162. art. 7. innuit, infidelitas eſt vltimum vitium. Propterea nec idolatria, quæ includit infidelitatem. Nec puſillanimitas: ſiquidem Angelus non recuſat exequi ſuæ potentiæ proportionatum. Nec præſumptio; quæ vt filia ſuperbię, hanc ſupponit. Cum ergo hæc ſint peccata ſpiritualia, Angelo poſsibilia, reſtat: quod primum fuerit ſuperbia.

13 Inquires: Vtrum Angelus ſupremus peccans, fuerit ſupremus inter omnes Angelos? Reſpondet Ang. Mag. art. 7. *S. Greg. dicit, quod ille qui peccavit, fuit ſuperior inter omnes. Et hoc videtur probabilius.* Cuius fundamentum aſsignat, dicens: *Fuit enim dæmonum peccatum ſuperbia. Cuius motivum eſt excellentia, quæ fuit maior in ſuperioribus;* ſed in ſupremo omnium fuit maior: ergo. Quare refert in ſed cont. ipſum S. Gregor. aſſerentem: *Primus Angelus, qui peccavit, dum cunctis agminibus Angelorum prælatus eorum claritatem transcenderet.* Iſte fuit Lucifer, *Draco* dictus Apoc. 12. De quo dicitur Job 14 *Ipſe eſt rex ſuper vniverſos filios ſuperbiæ.* Et Matth 12. *In Beelzebub, principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Hic eſt, quem vicit Patronus meus S. Michael, iuxta Apoc. 12. *Factum eſt prælium magnum in Cœlo: Michael, & Angeli eius prælilabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius: & non prævaluerunt, neque locus inventus eſt eorum amplius in Cœlo.* Nunc Divus Thomas: *Secundùm aliquos intelligitur de prælio quodam, quod factum eſt in Cœlo; quando in principio mundi, Angeli boni, & mali diverſis affectibus, & conſenſibus movebantur, quando Lucifer dixit: Aſcendam in Cœlum, &c. Alij autem ſteterunt in affectu contrario.*

14 Nunc oritur dubiolum: An plures Angeli permanſerint in gratia, quàm peccaverint? Ang. Mag. affirmat art. 9. Quod fundat in illo 4. Reg 6. *Plures nobiſcum ſunt, quàm cum illis.* D. Thomas: *Quod exponitur de bonis Angelis, qui ſunt nobiſcum in auxilium, & de malis, qui nobis adverſantur.* Cuius præbet rationem: Quæ fiunt contra naturam, in paucioribus accidunt; ſed peccata fiunt contra naturam, gratia autem eſt perfectio naturæ: ergo. Maiorem explicat, dicens: *Natura enim conſequitur ſuum effectum, vel ſemper, vel vt in pluribus.* Min. eſt ipſius aſſerentis: *Peccatum eſt contra naturalem inclinationem.* Conſ. patet ex eodem, ita affante: *Plures Angeli permanſerunt, quàm peccaverunt.*

15 Arg. 1. cont. 2. præmiſ. Intel-

tellectus Angeli potuit errare in ſecundo inſtanti ſuæ creationis: ergo primum peccatum illius potuit procedere ex errore. Probat. ant. Voluntas Angeli potuit deficere in ſecundo inſtanti: ergo. Prob.conſ. Sicut voluntas Angeli facta eſt ex nihilo, ita intellectus; ſed: ergo. Reſp.nego conſ. Ratio eſt: Quia defectus voluntatis, ſive peccatum, eſt malum culpæ: Sicque non ſupponit aliud peccatum, & potuit deficere, & peccare in ſecundo inſtanti. Error autem intellectus eſt malum pœnæ, ſupponens culpam, & peccatum: quod propterea non proceſſit ex errore, qui in Angelo non præceſsit peccatum. Argumentum etenim ſolum probat: quod Angelus potuit errare in ſecundo inſtanti. Non verò, quod peccatum, & defectus voluntatis procederet ex errore: qui non præcederet, ſed ſubſequeretur peccatum, vt pœna culpam.

16 Cont. Error in Angelo non eſt malum pœnæ: ergo. Prob. antec. Inconſideratio in Angelo non eſt malum pœnæ: ergo. Ant. conſtat ex dictis: Siquidem non fuit poſt peccatum, ſed ante ipſum: cum proceſsiſſet ex illa. Probat.conſ. Sicut inconſideratio eſt defectus intellectus, ita error; ſed: ergo. Reſp.nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia inconſideratio in Angelo erat quaſi malum naturale, & non ſuperadditum naturę eius; ſicut ſuperadditur malum pœnæ, imò & culpæ. Cum enim conſideratio, & actus non ſit de eſſentia, nec de ſubſtantia Angeli, ex ſe habet non ſemper actu omnia conſiderare, ſed aliqua actu, aliqua in potentia. Unde aliqua non attendere, nec conſiderare, eſt vt malum naturale, ſive defectus cognitionis. Error autem eſt malum ſupperadditum naturæ Angeli, & poſitivè diſconveniens, & non potens convenire, niſi ex prava applicatione voluntatis. Quare eſt malum pœnæ.

17 Cont. Inconſideratio Angeli non fuit defectus naturalis: ergo non fuit malum naturale, nec pœnæ, ſed culpæ: Sicque potuit eſſe error. Prob. antec. Licèt inconſideratio negativa ſit defectus naturalis, non verò privativa; ſed inconſideratio Angeli fuit privativa: ergo. Prob.mai. Carentia conſiderationis, cum quis tenetur conſiderare, non eſt defectus naturalis; ſed inconſideratio privativa, & non negativa, eſt carentia conſiderationis, cum quis tenetur conſiderare: ergo. Mai.patet: cum ſit defectus culpæ. Reſp.diſt.mai. Conſiderare ex debito operationis voluntatis, nego mai. Ex debito conſiderationis, conc.mai. & min. & nego conſ. Angelo enim non erat præceptum conſiderandi pro tali in-

 ſtan-

ſtanti, ſed operandi, & perſeverandi in converſione ad Deum. Unde pro tunc non erat debitum conſiderandi, ſed operandi cum conſideratione, & non operandi ſine illa. Cumque vt inconſideratio privativa foret malum culpæ, & non defectus naturalis, deberet eſſe præcepta, & debita ratione ipſius: ideò non fuit, niſi defectus naturalis, & primum peccatum non fuit inconſiderationis.

18 Cont. Angelus ex debito conſiderationis tenebatur conſiderare: ergo. Prob. ant. Tenebatur ex debito operationis, & converſionis ad operationem, & converſionem: ergo. Prob. conſeq. Eo quod teneatur ad operationem, & converſionem, tenetur ad omnia requiſita ad illam; ſed vnum, & præcipuum requiſitum erat conſideratio: ergo. Reſp diſt. maior. Ad requiſita ſecundum ſe, nego mai. Ut requiſita, conc. maior. & min. & nego conſ. Conſideratio ſecundùm ſe dicit ſuam eſſentiam. Ut requiſita ad operationem importat illam, vt dirigat eam. Ex eo enim, quod Angelus teneretur operari, & perſeverare in converſione ad Deum, tenebatur conſiderare, & perſeverare in conſideratione, vt requiſita, dirigente, & conducente ad talem operationem, & converſionem; non verò ad illam ſecundùm ſe. Siquidem præceptum non erat de conſideratione, ſed de operatione, & converſione. Cumque conſideratio ita non ſit debita ratione ſui, ſed ratione operationis: ideò ſolum ſic eſt debita. Inſtantia eſt in quolibet præcepto: Ad cuius implectionem requiritur conſideratio ipſius, & rei præceptæ; & tranſgreſſio eius non eſt peccatum inconſiderationis, ſed alterius ſpeciei rei præceptæ: quia conſideratio non eſt præcepta, nec debita ratione ſui, ſed ratione rei præceptæ, & ex conſequenti, vt requiſita ad illam.

19 Arg. 2 cont. concluſ. Primum peccatum Angeli fuit invidiæ: ergo non ſuperbiæ. Probat. ant. ex illo Sap. 2. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Et S. Baſil. hom. de invidia ait: *Quid dœmonem ad bellum impulit? Nonne invidia, per quam Dei adverſarius deprehenſus eſt?* Sed primo peccato Angelo introvit mors in orbē terrarū, & ipſum impulit dœmonem ad bellum: ergo. Reſp admitto, & explico Sac. Textum, & interpretationem. Cuius ſenſus eſt: non quod primum peccatum Angeli fuerit invidia; ſiquidem fuit ſuperbia, quæ eſt initium omnis peccati, & perditionis; vt conſtat ex Sac. Pagina: ſed quod fuit peccatum ſtatim conſecutum, quo dœmon ſuperbus, conſtitutus eſt invidus, *ſecundùm quod de bono homi-*

*minis doluit: & etiam de excellentia divina*; vt ait Divus Thomas. Exinde namque hominibus indixit bella, vitijs eos tentans, & expugnans,& mortem peccati inducens in orbem. Hæc expoſitio conſtat ex S.Baſil.Serm.in aliquos Script.loc.Ex D.Aug.Serm.53 de Verb.Domini,& ex S.Joan.Chriſoſt. Hom. 2*. in Gen. aſſerente: *Dic oro mihi, ſi non ante factum hominem excidit, quomodo in tanta dignitate manens invidit homini? Sed invidit, quia à ſuprema gloria ad extremam ignominiam deiectus eſt.*

20 Cont. Invidia non fuit peccatum conſecutum Angeli: ergo fuit primum. Prob.antec. Si invidia fuiſſet peccatum conſecutum, commiſiſſet tale peccatum in tertio inſtanti, & non in ſecundo ſuæ viæ; ſed commiſit illud in ſecundo: ergo. Min.patet: Siquidem in tertio inſtanti eſt damnatus, propter peccatum commiſſum in ſecundo; & conſtitutus eſt in inferno, quin permanſerit in via. Prob.maior. Inſtātia Angeli viatoris diſtinguuntur iuxta diverſitatem actuum liberorum;ſed tale peccatum conſecutum invidiæ eſſet actus liber diverſus: ergo.

21 Reſp.diſt.mai. Iuxta diverſitatem omnimodam, conc. mai.Aliqualem,nego mai.& diſt. min. Diverſus aliqualiter, conc. min. Omnimodè, nego minor.& conſ. Inſtantia vtique Angeli diſtinguuntur iuxta diverſitatem actuum liberorum, qui inter ſe non ſubordinantur,& nectiquam ſe habent per modum vnius.Cum verò ſubordinantur, & ita ſe habent, non differunt inſtantia,ſed in vnico inſtāti valet elicere plures. Et cum invidia ſubordinetur ſuperbiæ, vt radici, initio, & matri, & conſequatur ad illam: ideò Angelus in eodem inſtantī commiſit peccatum vtriuſque. Quin & inſtantia eſt communis: ſiquidem ſubſiſteret pro ſuperbia, ſi præceſsiſſet invidia.

22 Arg 3.Primum peccatum Angeli non fuit circa malum morale; ſed obiectum ſuperbiæ eſt malum morale:ergo non fuit peccatum ſuperbiæ. Mai.docetur ab Ang.Doct.art.1.ad 4. Quia non præceſsit ignorantia, nec error, vt eligeret malum, quaſi bonum: nec habitus inclinans ad malum, & peccatum.Prob.min.Obiectum ſuperbiæ eſt non ſubeſſe Deo, & præeſſe alijs; ſed hoc eſt malum morale: ergo. Mai.eſt D.Thomæ 2.2 quæſt.162.art.6.& 7.

23 Reſp.diſt.mai. Superbiæ ex parte modi eligendi,nego mai. Ex parte rei electæ, conc.maior. & min.& ita diſt.conſ. Superbia enim ex parte rei electæ reſpicit, vt obiectum, non ſubeſſe Deo,nec legi, ſed præeſſe alijs: quod eſt malum morale. Ex parte modi eli-

eligendi poteſt non reſpicere hoc, ſed excellentiam propriam, ſine debito ordine menſuræ,& regulę, & ſine conſideratione debitę ſubiectionis. Quod eſt reſpicere bonum, ſed non cum debito ordine: in quo peccatum ſuperbiæ conſiſtit. Cumque primum peccatum Angeli ita proceſsiſſet: ideò fuit ſuperbiæ, quin reſpiceret ſic malum morale pro obiecto, licèt ipſum fuerit moraliter malum. Ita Ang. Mag. artic.1. ad 4. dicens: *Alio modo contingit peccare per liberum arbitrium, eligendo aliquid quod ſecundùm ſe eſt bonum, ſed non cum ordine debitæ menſuræ, aut regulæ: ita quod defectus inducens peccatum ſit ſolùm ex parte electionis, quæ nō habet debitum ordinem niſi ex parte rei electæ: Sicut ſi aliquis eligit orare, non attendens ad ordinem ab Eccleſia inſtitutum. Et hoc modo Angelus peccavit convertendo ſe per liberum arbitrium ad proprium bonum abſque ordine ad regulam divinæ voluntatis.* Et art.2.ſubdit: *Hoc eſt peccatum ſuperbiæ, non ſubdi ſuperiori in eo quod debet. Vnde peccatum primi Angeli non potuit eſſe aliud, quam ſuperbia.* Ex quo patet: Quod ad ſuperbiam ſufficit eligere directè non ſubeſſe Deo, & præeſſe alijs. Vel appetere propriam excellentiam, ſine tali ſubordinatione; & eligere indirectè, & ex parte modi illud. Et hoc evenit in peccato Angeli.

24 Cont. Appetere ita proprium bonum, nòn ſervata tali regula ſubiectionis ſuperiori, non eſt peccatum ſuperbiæ: ergo. Prob. antec. Eſt peccatum inobedientiæ, aut conditio generalis omnibus peccatis: ergo. Reſp. diſt.antec. Ex alio motivo, conc. ant. Ex motivo propriæ excellentiæ, nego ant.& conſ. Licèt appetere proprium bonum, non ſervata regula ſubiectionis Deo, vt regulanti, & menſuranti actus rationis, ſit conditio generalis omnibus peccatis mortalibus: cum averſio à regula, cui actio debebat conformari, ſit eis communis. Eſt tamen ſpeciali peccati inobedientiæ recuſare, exequi rem prę ceptam, ex eo quod præcipitur à ſuperiore, cui, vt ſuperiori, & præcipienti renuit ſubjici: vt conſtat in D. Thoma 2.2. quæſt. 104. Præterea eſt peculiare ſuperbiæ recuſare, ſubeſſe ſuperiori ex motivo propriæ excellentiæ: nam ita talis attendit eam, vt nulli reputetur inferior; & vt excellens maneat, non vult ſubeſſe alteri, & propriè renuit ſubeſſe ſuperiori, vt præexcellenti. Nunc Ang. Doct. 2.2. quæſt. 162. art. 6. ait: *Averti à Deo, & eius præceptis, quod eſt quaſi conſequens in alijs peccatis, per ſe ad ſuperbiā pertinet, cuius eſt Dei contēptus.* Cumque Angelus ita proceſsiſſet ex motivo proprię excellentię: ideò peccatum eius fuit ſuperbiæ.

Arg.

25 Arg.4. In Angelis poſſunt etiam eſſe peccata carnalia: ergo non ſolum potuerunt eſſe peccata ſpiritualia ſuperbiæ, & invidiæ. Prob. ant. In Angelis poſſunt eſſe peccata obſcænitatis carnalis: ergo. Probat. antec. In quocumque poteſt eſſe delectatio alicuius peccati, poteſt eſſe tale peccatum; ſed in Angelis poteſt eſſe delectatio obſcænitatis carnalis: ergo. Min. docetur à B. Aug. lib. 4. de Civ. Dei. Reſp. diſt. maior. Delectatio afficiens, conc. mai. Alia, nego mai. & diſt. min. Alia, conc. min. Afficiens, nego min. & conſ. Delectatio afficiens eſt de peccato commiſſo ab eliciente delectationem. Alia eſt de peccato alterius, non delectans ſubiectum intra propriã ſpeciem, ſed aliunde, quia eſt malum elicientis peccatum, vel impeditivum alicuius boni, quod alter vult ex invidia. Et licet hæc ſit in Angelis malis: quia gaudent de obſcænitatibus hominum, vt ſunt malum ipſorum, & impeditivũ boni eorum, quod ex invidia quærunt; non tamen delectatio afficiens. Quare Ang. Doct. art. 1. ad 4. ait: *Nec in Angelis ſunt paſsiones.* Et artic. 2. *Spiritualem autem naturam affici non contingit ad bona, quæ ſunt propria corpori.* Cumque tale peccatum carnale ſolùm ſit in eo, in quo eſt talis delectatio afficiens: ideò non poteſt eſſe in Angelis. Ita explicat M. P. Aug. art. 2. ad 1. Divus Thomas. Ubi repetit: quod tale peccatum, & aliud ſimile, quoad reatum poteſt eſſe in Angelis; non quantum ad affectum.

26 Cont. Quomodocumque ſit in homine delectatio obſcænitatis carnalis alterius, eſt in ipſo delectatio afficiens, ſecundùm affectum, & proprium peccatum carnale: ergo etiam in Angelis. Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia homo, eo quod corporeus, eſt capax afficientiæ talis, & ſimilis delectationis; non verò Angelus, omninò incorporeus. Subtilis Scotus exiſtimavit: Primum peccatum Angeli fuiſſe luxuriam ſpiritualem, qua in proprio decore delectatus fuit. Hæc tamen eſt implicatoria: nam luxuria, propriè dicta, eſt in materia intemperantiæ circa venerea, quæ ſunt in corporibus ſenſitivis. Et quia delectatio de proprio decore ex ſe non eſt mala: cum fuerit in omnibus Angelis in primo inſtanti ſuæ conditionis, & nunc eſt in beatis. Solùm enim eſt prava, ſi quis in ea ſiſtat, & fiat ſine ſubiectione ad Deum. Quæ iam eſt ſuperbia: quæ eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ in ſanguine, dignitate, dominio, pulchritudine, ſcientia, aut aliis; vt docet Ang. Doct. 2. 2. quæſ. 162.

27 Cont. Angeli ſunt capaces afficientiæ talis delectationis: ergo.

ergo. Prob.ant. Sunt capaces aſſicientiæ ſuperbiæ, & invidiæ: ergo. Prob.conſ. Ex ſuperbia, & invidia naſcuntur plura vitia: vt docet S.Gregor. in lib. Moral. ſed poſita cauſa, ponitur effectus quoad afficientiam: ergo. Reſp. admitto, & explico author. Cuius ſenſus eſt: quod naſcuntur omnia vitia, iuxta capacitatem ſubiecti. Et cum Angeli non ſint capaces afficientiæ aliquorum vitiorum, præcipuè carnalium: ideò in eis non naſcuntur, quoad afficientiam, ex ſuperbia, & invidia, ſed ſolum quoad reatum. Ita Ang. M. ad 3 inquiens: *Sub invidia, & ſuperbia, prout in dæmonibus ponuntur, comprehenduntur omnia peccata, quæ ab illis derivantur.* Hæc doctrina patet in virtutibus: Nam omnes radicantur in gratia, & charitate; & tamen in gratia, & charitate Angeli non radicantur pœnitentia, caſtitas, nec aliæ, quarum non ſunt capaces. Nec in Angelis poſſunt eſſe alia peccata ſpiritualia; vt ira, avaritia, & acidia: quia eis repugnant affectiones circa materiam eorum; vt ait Ang. Doctor ad 2.

28 Arg 5. Angelus ſupremus, qui peccavit, non fuit Seraphim, ſed Cherubim; ſed ſupremus inter omnes eſt Seraphim, & non Cherubim: ergo ſupremus inter omnes non peccavit. Min. conſtat ex S. Dioniſio cap. 7. Angelicæ hierarch. Vbi collocat ordinem Cherubim ſub ordine Seraphim. Prob mai. ex illo Ezechiel. 28. *Tu Cherub extentus, & protegens*: ergo. Reſp. admitto, & explico Sacr. Textum de Angelo poſt peccatum; qui retinuit nomen Cherubim, eo quod non amiſit ſcientiam. Erat autem ex ſupremo ordine Seraphim, cuius nomen amiſit per peccatum: cum ceſſaret eius charitas, & ardor, à quo ſumitur. Sic Divus Thomas art. 7. ad 1. dicens: *Cherubim interpretatur plenitudo ſcientiæ, Seraphim interpretatur ardentes, ſive incendentes. Et ſic patet, quod Cherubim denominatur à ſcientia, quæ poteſt eſſe cum mortali peccato: Seraphim verò denominatur ab ardore charitatis. Et ideò primus Angelus peccans non eſt denominatus Seraphim, ſed Cherubim.*

29 Cont. Angelus dictus ante peccatum Seraphim, inter omnes ſupremus, non peccavit: ergo. Prob.ant. Si ille peccaſſet, ordinatio divina eſſet fruſtra in nobiliſsima creatura; ſed nequit eſſe fruſtra: ergo. Prob.maior. Deus fecit creaturam intellectualem propter beatitudinem conſequendam; ſed conſecutio beatitudinis fruſtraretur in nobiliſsima creatura, ſi ille peccaſſet: ergo. Reſp. diſt.min. Fruſtraretur ex voluntate ipſius creaturæ, conc. minor. Ex intentione Dei, nego min. & conſ.

conſ. Pro quo Angel. Doct. ad 2. præclarè ait: *Divina intentio non fruſtratur nec in his, qui peccant, nec in his, qui ſalvantur. Vtrorumque enim eventum Deus præcognoſcit, & ex vtroque habet gloriam, dum hos ex ſua bonitate ſalvat, illos ex iuſtitia punit. Ipſa verò creatura intellectualis dum peccat, à fine debito deficit. Nec hoc eſt inconveniens in quacumque creatura ſublimi. Sic enim creatura intellectualis instituta eſt à Deo, vt in eius arbitrio poſitum ſit agere propter finem.*

30 Cont. Conſecutio beatitudinis non potuit fruſtrari, ex volũtate ſua, in nobiliſsima creatura: ergo. Prob. antec. Quantò vnum magis inclinatur in aliud, minus poteſt deficere à conſecutione illius; ſed creatura nobiliſſima magis inclinatur in beatitudinem, & fruſtratio conſecutionis illius eſſet defectus: ergo. Reſp. diſt. mai. In rebus liberis, nego mai. Neceſſarius, conc. maior. & min. & nego conſ. In neceſſarijs namque, quod eſt magis inclinatum in aliud, minus deficit à conſecutione illius: cum ſit magis ornatum requiſitis pro ea, cum ſaltim excedat inclinatione. In liberis autem non: cum nulla inducat neceſsitas, & pro ſua libertate procedant ad conſecutionem, poſsintque habere motivum, aut occaſionem, vt deſiſtant ab ea. Quod evenit in Angelo ſupremo; nam cum excellentia eius foret maior, fuit occaſio magis ſuperbiendi: itaque potuit magis deficere à conſecutione beatitudinis. Sic D. Thomas ad 3.

31 Arg. 6. ex Philoſopho aſſerente: *Malum eſt vt in pluribus, bonum vt in paucioribus*: ergo plures Angeli peccaverunt, quàm permanſerunt in gratia. Reſp. admitto, & explico dictum Ariſt. cum Ang. Doct. art. 9. ad 1. dicente: *Philoſophus loquitur quantum ad homines, in quibus malum contingit ex hoc, quod ſequuntur bona ſenſibilia, quæ ſunt pluribus nota, deſerto bono rationis, quod paucioribus notum eſt. In Angelis autem non eſt niſi natura intellectualis. Vnde non eſt ſimilis ratio.* Hac doctrina ſolvit ſequentem obiectionem: Juſtitia, & peccatum eadem ratione inveniuntur in Angelis, & hominibus; ſed in hominibus plures inveniuntur mali, quàm boni: Secund. illud Eccleſ. 1. *Stultorum infinitus eſt numerus*: ergo pari ratione in Angelis. Advertit autem ad 3. Quod in noſtra ſententia, iuxtà quam ſupremus Angelus omnium peccavit, & cecidit, eſt probabile, quod de quolibet ordine aliqui ceciderunt: Sicut ad quemlibet ordinem aſſumuntur homines, in ſupplementum ruinę angelicæ. In Sac. autem Scriptura nomina quorundam ordinum non attribuuntur dœmonibus:

Ut *Seraphim, & Thronus*: quia hæc nomina ſumuntur ab ardore charitatis, & ab habitatione Dei; quæ nequeunt eſſe cum peccato mortali. Attribuuntur verò illis nomina *Cherubim*, *Poteſtas*, & *Principatus*: quia hæc ſumuntur à ſcientia, & potentia; quæ bonis, & malis poſſunt eſſe communia.

## ARTICULUS SEPTIMUS.

### *QVID ANGELVS APPETIERIT, dum ſuperbivit.*

1 SUPPONO 1. Quod Angelus malus appetijt eſſe, vt Deus. Hæc reſolutio eſt Divi Thomæ art. 3. Quam fundat in illo Iſ. 14. *In Cœlum conſcendam. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſsimo.* Et refert S. Aug. aſſerentem: *Elatione inflatus voluit dici Deus.* Et Angel. Mag. in corp. *Angelus abſque omni dubio peccavit appetendo eſſe vt Deus.* Quare Ezechiel. 28 dicitur: *Elevatum eſt cor tuum, & dixiſti: Deus ego ſum, & in Cathedra Dei ſedi in corde maris.* Nunc S. Greg. Nazianc. *Dum Deus eſſe cupit, citra caligine totus obrutus eſt.* Difficultas eſt: Quo pacto voluerit eſſe, vt Deus?

2 Suppono 2. Quod Angelus non appetijt eſſe, vt Deus, per æquiparantiam, ſed per ſimilitudinem. Contrarium tenuerunt Hugo de Sancto Victore, Scotus, Suar. Vazq. & alij. Thomiſtæ verò tenent id, cum D. Thoma art. 3. Prob. prima pars ratione illius: Nemo appetit impoſsibile, naturaliter cognitum; ſed Angelus naturaliter cognovit, eſſe impoſſibilem eius æquiparantiam, & æqualitatem cum Deo: ergo. Mai. eſt certa: Nam appetitus voluntatis eſt ad bonum, vt cognitum: & cognitum naturaliter vt impoſsibile, non cognoſcitur, nec proponitur vt bonum. Min. patet: Siquidē Angelus perfectè ſe cognovit, & comprehendit; & advertit, ſe eſſe creaturam Dei, inferiorem, & inæqualem Deo.

3 Roboratur ex ipſo: Nemo appetit ſuum non eſſe, maximè cum advertentia; ſed ſi Angelus appeteret eſſe per æqualitatem, vt Deus, appeteret cum advertentia ſuum non eſſe; ergo. Mai. eſt Divi Thomæ aſſerentis: *Eſt enim vnicuique naturale deſiderium ad conſervandum ſuum eſſe Quod non conſervaretur, ſi tranſmutaretur in alteram naturam. Vnde nulla res, quæ eſt in inferiori gradu naturæ, poteſt appetere ſuperioris naturæ gradum.* Min. conſtat: Siquidem cognovit, quod natura, & eſſe Dei eſt quid incompatibile cum natura, & eſſe Angeli. Conſ. patet ex eodem, ita concludente: *Vnde impoſsibile eſt, quod vnus Angelus in-*

*ferior appetat eſſe æqualis ſuperiori, nedum quod appetat eſſe æqualis Deo.* Secunda pars conſtabit in concluſione Mag. Sent. in 2. diſt 5 dixit: Excellentiam ab Angelo ſuperbè concupitam fore nobis omninò ignotam. Catherinus, Viguerius, Dioniſ. Cartuſ. P. Molina, & alij aſſeruerunt: Fore Unionem hypoſtaticam cum aliqua Perſona divina, cogoita vnione Verbi divini cum natura humana. S. Bonaventura, Lira, Burgenſis, & aliqui: Poteſtatem tiranicam ſuper alias creaturas. Alij: Nolle ſubjici Chriſto Domino, nec recognoſcere, venerari, & adorare illum, vt Dominum, & Caput.

4 Concluſio: Angelus ſuperbivit, appetendo inordinatè ſuam beatitudinem, volens propria virtute habere illam. Ita Thomiſtę, & multi alij, cum Divo Thoma art 3. & B. Alb. quæſt. 21. Conſtat ex illo Ezechiel. 28 v. 5. *Multiplicaſti tibi fortitudinem: & elevatum eſt cor tuum in robore tuo.* D. Thomas in corp. *In hoc appetijt eſſe ſimilis Deo, quia appetijt vt finem vltimum beatitudinis id, ad quod virtute ſuæ naturæ poterat pervenire: avertens ſuum appetitum à beatitudine ſupernaturali, quæ eſt ex gratia Dei*; ſed hoc eſt velle inordinatè, & propria virtute ſuam beatitudinem: ergo. Et loquens de beatitudine ſupernaturali, addit: *Si appetijt vt finem vltimum illam Dei ſimilitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem ſuæ naturæ, non ex divino auxilio ſecundum Dei diſpoſitionem. Et hoc conſonat dictis Anſelmi, qui dicit: quod appetijt illud, ad quod perveniſſet, ſi ſtetiſſet. Et hæc duo quodammodo in idem redeunt: quia ſecundum vtrumque appetijt finalem beatitudinem per ſuam virtutem habere, quod eſt proprium Dei.*

5 Prob. concluſ. ratione Divi Thomæ: Primum peccatum Angeli ſtetit in appetitu, quo voluit eſſe, vt Deus, aut ſimilis Deo; ſed eo voluit inordinatè ſuam beatitudinem, volens propria virtute habere illam: ergo. Mai. conſtat ex dictis. Min. patet ex Angel. Mag. aſſerente: *Si aliquis quantum ad hoc appetat eſſe Deo ſimilis, non peccat, dummodo ſimilitudinem Dei debito ordine appetat adipiſci, vt ſcilicet eam à Deo habeat. Si quis autem appeteret ſecundum iuſtitiam eſſe ſimilis Deo quaſi propria virtute, & non ex virtute Dei, peccaret.* Prob. quoque ratione: Angelus voluit habere ſuam beatitudinem, ſicut Deus, aut ſimili modo, quo Deus; ſed Deus eam habet propria virtute: ergo. Quare art. 1. ad 4 ait: *Et hoc modo Angelus peccavit convertendo ſe per liberum arbitrium ad proprium bonum abſque ordine ad regulam divinæ voluntatis.* Et quæſt. 16. de Malo art. 3. *Fuit ergo peccatum diaboli in hoc, quod ad conſe-*

*quendam ſupernaturalem beatitudinem, quæ in plena Dei viſione conſiſtit, non ſe erexit in Deum, tanquam finalem perfectionem ex eius gratia deſiderans cum Angelis Sanctis, ſed eam conſequi voluit per virtutem ſuæ naturæ.*

6 Reſpondebis: Quod Angelus hoc appetijt appetitu ſimplici, & inefficaci; qui potuit eſſe abſque errore, & ignorantia. Non abſoluto, nec efficaci; qui nequit eſſe abſque illis. Cont. Ang. Mag. loc. cit. ad 9. docet: Talem appetitum non fuiſſe velleitatem; ſed prædictus appetitus ſimplex, & innefficax foret velleitas: ergo. Præterea: Etſi in tali velleitate, ſi libera ſit, & de obiecto malo, poſsit eſſe peccatum: tamen cum ſit voluntas imperfecta, non tendens in aliquid conſequendum, non habet rationem peccati, ita perfectam, & completam, ſicut habet peccatum maximum; ſed primum peccatum Angeli fuit maximum: ergo. Min. conſtat ex dictis. Unde S. Joan. Chriſoſtom. hom. de Adam, & Eva dixit: *Angelus primus, qui Sathana eſt dictus, malignam, & nephariam præſumptionem aſſumens dixit: Pono ſedem meam in Aquilonem, & ero ſimilis Altiſsimo.*

7 Communior intelligentia Thomiſtarum eſt: Quod ſuperbia Angeli ſtetit in appetitu expreſſo propriæ beatitudinis naturalis, vt habendæ virtute propria, & ſine ordine debito ad Deum: & in interpretativo beatitudinis ſupernaturalis ſimiliter, & ſine Dei auxilio conſequendæ. Primum conſtat ex Divo Thoma: nam ſtetit in appetitu propriæ excellentiæ, non ſervatis menſura, & ordine ad Deum, vt primam regulam. Quod fuit appetere indebito modo beatitudinem naturalem. Quare M. P. Aug. de Vera Relig. cap. 13. ait: *Ille autem Angelus magis ſe ipſum, quam Deum diligendo, ſubditus eſſe noluit, & intumuit per ſuperbiam.* Secundum ſimiliter conſtat: Siquidem Angelus peccavit, quia ſe, & propriam excellentiam ita dilexit, vt ad ſe converſus, de nullo alio, quàm de fœlicitate, & perfectione naturali curaſſet; & ſe geſsit, ac ſi iudicaret, bona naturalia ſibi ſufficere. Ac perinde non curavit de beatitudine ſupernaturali, auxilio Dei conſequenda, vt debuit; ſed hic fuit appetitus interpretativus, & non expreſſus, beatitudinis ſupernaturalis, indebito modo conſequendæ: ergo. Unde B. Aug. lib. 12. de Civ. Dei cap. 1. dicit de Angelis malis: *Sua poteſtate potius delectati, velut bonum ſuum ſibi ipſi eſſent, à ſuperiori communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt.*

8 Arg. 1. cont. 1. ſup. Nemo poteſt appetere, quod non poteſt

cadere ſub eius apprehenſione; ſed eſſe, vt Deus, non potuit cadere ſub apprehenſione Angeli: ergo non appetijt eſſe, vt Deus. Mai. eſt certa: Cum ſolum bonum apprehenſum moveat appetitum. Prob. minor. Eſſe vt Deus, dicit æqualitatem cum Deo; ſed Angelum eſſe æqualem Deo, non potuit cadere ſub apprehẽſione Angeli: ergo. Min. patet: Nam Angelus cognovit, eſſe impoſsibilem talem æqualitatem; & impoſsibile cognitum, vt tale, non cadit ſic ſub apprehenſione. Reſp. diſt. mai. Eſſe per ſimilitudinem, nego mai. Per æquiparantiam, conc. mai. & min. & ita diſt. conſ. Angelus namque non apprehendit poſsibilem, imò cognovit impoſſibilem eius, & cuiuslibet creaturæ æqualitatem, & æquiparantiam cum Deo: Sicque non appetijt eſſe, vt Deus. Non tamen apprehendit impoſsibilem ſimilitudinem ipſius cum Deo; nempe, habere propriam excellentiam, quaſi independentem, & omnia bona, vt ſibi naturalia, & non ex auxilio divino conſequenda: In quo fuit defectus conſiderationis; itaque appetijt ſimilitudinem, & dixit: *Similis ero Altiſsimo.* Cum igitur hoc ſit appetere eſſe, vt Deus: hinc eſt, quod ita appetijt eſſe; & exinde peccavit, & reprehenſus eſt à B. Michaele, Angelorum bonorum Duce, proclamante: *Quis vt Deus?* Vnde David Pſal. 112. dixit: *Quis ſicut Dominus Deus noſter?* Ita Divus Thomas art. 3.

9 Cont. Angelus non appetijt eſſe, vt Deus, per ſimilitudinem: ergo. Prob. ant. Angelus in ſuo appetitu peccavit; ſed non potuit peccare in appetere eſſe, vt Deus, per ſimilitudinem: ergo. Prob. min. Creatura non poteſt peccare in appetitu ſui finis; ſed eſſe, vt Deus, per ſimilitudinem eſt finis Angeli: ergo. Maior. eſt certa: Nam debet appetere, & deſiderare finem ſuum. Min. patet: Cum finis creaturæ intellectualis ſit aſsimilari Deo. Reſp. diſt. min. Eſſe debito modo, conc. min. Indebito nego minor. & ita diſt. conſ. Solutio conſtat ex Ang. Mag. loc. cit. dicente: *Appetere autem eſſe vt Deus per ſimilitudinem, contingit dupliciter. Vno modo quantum ad id, in quo natum eſt Deo aſsimilari. Et ſic ſi aliquis quantum ad hoc appetat eſſe Deo ſimilis, non peccat, dummodo ſimilitudinem Dei debito ordine appetat adipiſci, vt ſcilicet eam à Deo habeat. Si quis autem appeteret ſecundum iuſtitiam eſſe ſimilis Deo, quaſi propria virtute, & non ex virtute Dei, peccaret.* Superaddit autem: *Illam Dei ſimilitudinem, quæ datur ex gratia, voluit habere per virtutem ſuæ naturæ, non ex divino auxilio ſecundum Dei diſpoſitionem.*

10 His ſatisfit huic obiectioni: Angelus eſt conditus cum maiori plenitudine ſapientiæ, quã homo; ſed nullus homo, ſed omninò amens, appetit æqualitatem cum Deo, imò nec cum Angelo: ergo nec Angelus. Non enim appetijt primus homo æqualitatem omnimodam, neceſſe per æquiparantiam, vt Deus, ſed per ſimilitudinem, iuxta illud Gen. *Eritis ſicut Dij.* Quare Divus Thomas 2.2.quæſt.163.art.2.ait: *Cum vterque, ſcilicet Diabolus, & primus homo inordinatè divinam ſimilitudinem appetierit:: Veruntamen quantum ad aliquid vterque Deo æquiparari appetijt: in quantum ſcilicet ad aliquid vterque ſibi inniti voluit, contempto divinæ regulæ ordine.*

11 Cont. Angelus nec indebito modo appetijt eſſe, vt Deus, per ſimilitudinem: ergo. Probat. ant. Angelus non appetijt impoſſibile; ſed ita eſſe, vt Deus, erat impoſsibile: ergo. Reſp. diſt. mai. Non appetijt inconſideratè, & perverſe, nego mai. Conſideratè, & rectè, conc. maior. & min. & nego conſ. Prædicta enim ſimilitudo cum Deo erat poſsibilis Angelo; vt innuit Ang. Doct. hic, & loc. cit. 2.2. Eamque appetijt, & voluit Angelus, & primus homo; perverſe tamen, & inordinatè ex parte modi: nam præſumptuosè quievit in propria excellentia, quaſi vellet habere virtute propria, & non ex divino auxilio, talem ſimilitudinem. In quo ſteti ſuperbia, & peccatum vtriuſque quin ex parte rei appetierit impoſsibile, ſed poſsibile; indebito tamen ordine, & impoſsibili quem non appetijt expreſsè, ſed interpretativè: nam cum eum non conſideraverit, vt debuit, vt iuxta ordinem debitum procederet; dum ſic inconſideratè proceſsit, interpretatur voluiſſe ita eſſe per ſimilitudinem, vt Deus.

12 Arg 2. cont. 2. ſup. Angelus in primo inſtanti appetijt eſſe, vt Deus, per æqualitatem: ergo non per ſolam ſimilitudinem. Prob. ant. Si non appetijſſet eſſe, vt Deus, per æqualitatem, foret quia hoc eſt impoſsibile: quod ſapiens, vt Angelus, nequit appetere; ſed Angelus poteſt appetere impoſsibile: ergo. Prob. min. Licèt Angelus non poſsit per electionem appetere impoſsibile, poteſt ſimplici voluntate: ergo. Prob. ant. ex Ariſt. 3. Ethic. cap. 2. dicente: *Electio quidem non eſt impoſsibilium, voluntas autem eſt impoſsibilium*: ergo. Reſp. admitto, & explico author. de impoſsibilibus per accidens, & ex ſuppoſitione; quorum poteſt eſſe ſimplex voluntas. Non de impoſsibilibus per ſe, & ſimpliciter; qualiter æqualitas cum Deo eſt impoſsibilis Angelo, & ita ſciebatur ab illo. Conſtat nu. 3. ex D. Thoma.

Nec

Nec obſtat: quod Ariſt. apponit exemplum immortalitatis; quæ eſt impoſsibilis, & appetitur ſimplici voluntate. Nam Angel. Doctor ibi lect. 5. docet: quod eſſe immortale eſt impoſsibile homini ſecundùm ſtatum huius vitæ. Quod eſt eſſe per accidens, & ex ſuppoſitione huius ſtatus. Non per ſe, & ſimpliciter. Vel dicitur impoſsibile in ordine ad cauſas naturales, nõ in ordine ad Deum, qui poteſt perpetuò conſervare hominem. Æqualitas autem cum Deo eſt omninò impoſsibilis Angelo, & vt talis cognita ab ipſo.

13 Cont. Voluntas ſimplex poteſt eſſe de impoſsibili per accidens, & ex ſuppoſitione: ergo etiam de impoſsibili per ſe, & ſimpliciter. Prob. conſ. Vtrumque caret ordine ad eſſe; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia impoſsibile per accidens, & ex ſuppoſitione ſolùm caret ordine ad eſſe, vt ſubeſt tali ſuppoſitioni, quæ reddit illud impoſsibile. Secundùm ſe tamen, & vt abſtrahens ab illa, dicit talem ordinem: Sicque poteſt eſſe ſimplex voluntas de illo. Impoſsibile verò per ſe, & ſimpliciter, omninò caret ordine ad eſſe. Quare nectiquam poteſt eſſe talis voluntas circa illud.

14 Cont. Licèt impoſsibile per ſe, & ſimpliciter careat omni ordine ad eſſe, poteſt eſſe ſimplex voluntas de illo: ergo. Prob. ant. Deum non eſſe, eſt per ſe, & ſimpliciter impoſsibile, & caret omni ordine ad eſſe; ſed in damnatis eſt ſimplex voluntas circa non eſſe Dei: ergo. Min. conſtat: Cum odiant Deum punientem ipſos: & vellent, Deum non eſſe, ne eos puniret. Reſp. diſt. minor. Eſt per accidens, conc. min. Per ſe, nego min. & ita diſt. conſ. Volitum, & appetibile per ſe eſt: quod ratione ſui terminat volitionem, & appetitum. Per accidens: quod ratione alterius volitū. Et licèt per accidens poſsit eſſe ſimplex voluntas, & appetitus de tali impoſsibili; non verò per ſe. Cumque damnati non velint, Deum non eſſe, ratione ipſius, ſicut nec ita volunt proprium non eſſe; ſed ratione pœnæ, quam fugiunt, & qua carerent, ſi Deus non eſſet: ideò per accidens, & non per ſe eſt prædicta ſimplex voluntas de tali impoſsibili. Ita Emin. Caiet. in pręſenti. Et Mag. Serra addit: quod in damnatis non eſt actus expreſſus, ſed hic: Vellem Deum non eſſe, ſi foret poſsibile; ne punirer ab illo. Quod non ſignificat actum voluntatis, qui ſit, ſed qui eſſet, ſi prædicta conditio, & poſsibilitas ſubſiſteret. Æqualitas autem cum Deo, nec ita per accidens eſt appetibilis ab Angelo, cum nec ap-

pre-

prehendatur bona ratione alicuius boni conſequendi, aut mali fugiendi.

15 Arg.3.cont.concluſ. Angelus ſuperbivit, volens ſibi vnionem hypoſtaticam: ergo. Probat. ant. ex D.Bernardo Serm.69.explicante illud Ezechiel.28. *Dixiſti: Deus ego ſum.* Et Iſa.14. *Sedebo in monte teſtamenti*; de his, quæ debebantur Chriſto Domino: ergo. Reſp.admitto, & explico author. Ex qua ſequitur: Quod Angelus ſuperbierit circa vnionem hypoſtaticam; non tamen primò: nam eius ſuperbia prius reſpexit finem vltimum conſequendum, nempe, beatitudinem: cum ſic reſpexerit obiectum primarium. Exinde autem fuit invidus; & advertens Maieſtatem, & Principatum Chriſti Domini, noluit humiliari illi: in quo etiam fuit ſuperbus. Vnde Imperfectus homil. 24. in Mat. dicit: *Diabolus ſemper adverſarius Chriſti eſt, qui ſemper ſibi Thronum Domini vſurpabat.*

16 Arg.4. Angelus peccavit, appetens habere aliquem Principatum ſuper alios: ergo primum peccatum illius fuit ambitio, aut ſuperbia alia. Prob.ant.ex illo Iſ. *Super aſtra Dei exaltabo ſoliū meum.* Vbi S.Hieron.per aſtra intelligit Angelos. Et Divus Thomas 2. 2. quæſt.131.artic.1. & 2. ad 2. ait: *Inordinatus appetitus dignitatum pertinet ad ambitionem.* Et in præſenti: *Appetijt principatum aliquem ſuper alia habere.* Et S.Greg.lib 34. Moral.cap 14. *Appetijt, vt præeſſet cæteris, & nulli ſubeſſet.* Et S. Aug.lib 14. de Civit.Dei cap.11. addit: *Quodam tyranico fauſtu gaudere ſubditis, quam eſſe ſubditus eligens, de ſpirituali paradyſo cecidit.* Et S. Baſilius de Inſtitut. Vitæ Cœnobitarum: *Morbus diabolicus ambitio, principatuſque cupido, quo ille in primis de Cœlo ruit*: ergo.

17 Reſp.admitto, & explico omnes author. Quarum, & ſimilium ſenſus eſt: Quod Angelus peccavit tali ambitione, alijſque vitijs, vt conſecutis ad ſuperbiam; qua primò peccavit, appetens inordinatè excellentiam propriam, ſiſtens in ea, & exinde volens talem principatum. Prius enim dixerat: *In Cœlum conſcendam*: & quia elevatum fuit cor eius in decore ſuo, factus ſuperbus, protulit: *Super aſtra Dei exaltabo ſoliū meum.* Præceſsit ergo ambitionem ſuperbia, quæ eſt primum omnium peccatum; ex quo oritur ambitio; vt ait Ang.Præce.2.2.quæſt.162. art.7. Et in præſenti artic.3. ita concludit: *Appetijt finalem beatitudinem per ſuam virtutem habere, quod eſt proprium Dei: quia verò quod eſt per ſe, eſt principium, & cauſa eius quod eſt per aliud: ex hoc etiam conſecutum eſt, quod appetijt aliquem principatum ſuper alia habere. In quo*

etiam

*etiam perverſe voluit Deo aſsimilari.* Debet tamen adverti: Quod cum peccaverit Angelus Supremus omnium, iam habebat ſuperioritatem, & principatum ſuper illos. Voluit autem poſsidere propria virtute illum, & non ex gratia Dei. In quo ſtetit ſuperbia.

18 Arg. 5. Angelus non ſuperbivit primo circa ſuam beatitudinem naturalem: ergo nec eam ſic appetijt, dum ita ſuperbivit. Prob. antec. Primò ſuperbivit circa illud, quod appetijt; ſed non appetijt ſuam beatitudinem naturalem: ergo. Prob. minor. Non appetijt, quod iam poſsidebat; ſed iam poſsidebat ſuam beatitudinem naturalem: ergo. Mai. patet ex S. Anſelmo: Nam appetijt id, ad quod perveniſſet, ſi ſtetiſſet. Min. conſtat: Quia tali appetitu peccavit in ſecundo inſtanti; & ſuam beatitudinem naturalem iā poſsidebat in primo.

19 Reſp. diſt. minor. Beatitudinem naturalem quo ad entitatem, conc. minor. Quo ad modum nego minor. & ita diſt. conſeq. Beatitudo naturalis Angeli quoad entitatem dicit ſuam fœlicitatem naturalem. Quoad modum ab ipſo inſpecta importabat rationem vltimi finis, & non ſubordinationē ad Deum, & ad beatitudinem ſupernaturalem. Et licet poſsideret illam quoad entitatem: cum haberet fœlicitatem prædictam; non tamen quoad talem modum: ſicquè eam appetebat, volebat, & præſumptuosè quærebat; illamque apprehendebat futuram, dum dicebat: In Cœlum conſcendam: Similis ero Altiſsimo: attentavitquè eam negotiatione, iuxtà illud Ezechiel. 28. *In negotiatione tua multiplicaſti tibi fortitudinem: & elevatum eſt cor tuum, in robore tuo.* Cum ergo hoc ſufficiat, vt illam appetierit, dum primò ſuperbivit: ideo ſic appetijt eam. Dictum autem S. Anſelmi verificatur: quia perveniſſet ad conſervandam ſuam beatitudinem naturalem, ſimulquè ipſam, & ſupernaturalē poſſidendam, ſi ſtetiſſet in ea, ſicut in primo inſtanti; non reſpiciendo ipſam, vt vltimum finem, ſed eam ſubordinando ad ſupernaturalem, & ad Deum, ex cuius gratia, & auxilio permaneret in illa.

20 Cont. Dum Angelus ſuperbivit, non appetijt ſuam beatitudinem naturalem quoad modum: ergo. Prob. ant. Dum Angelus ſuperbivit, peccavit; ſed in appetitu ſuæ beatitudinis naturalis non potuit peccare: ergo. Prob. minor. Angelus non potuit peccare in appetitu illius, quod neceſſariò quoad exercitium diligit; ſed Angelus neceſſariò quoad exercitium diligit ſuam beatitudinem naturalem: ergo. Mai. eſt certa: Nam peccatum eſt actus liber. Min. docetur ar. 2. Reſp. diſting. min.

minor. Beatitudinem naturalem ſecundum ſe,& quoad entitatem, conc.minor. Quoad modum,nego minor.& ita diſt.conſ.Licet enim Angelus diligat neceſſariò quoad exercitium ſuam beatitudinem naturalem ſecundum ſe, & quoad entitatem; non tamen quoad modum, nempe, vt ſubordinatam, vel non ſubordinatam ad ſupernaturalem,& Deum;& vt ex gratia,& auxilio Dei conſervandam. Cumquè hoc ſufficiat,vt in appetitu illius poſsit peccare: ideo in eo peccavit, itaquè illam appetijt, dum ſuperbivit.

21 Cont. Licet Angelus non ita neceſſariò, ſed liberè diligat ſuam beatitudinem naturalem quoad modum,non potuit peccare in appetitu illius: ergo. Prob. antec. Appetitus, quo Angelus peccavit, fuit ſuperbia; ſed non fuit ſuperbia in Angelo,quieſcere in beatitudine naturali, eam non ſic ordinando ad ſupernaturalem & Deum: ergo. Prob. minor. Potius fuit puſilanimitas, quam ſuperbia: ergo. Prob. antec. Iuxta D.Thomam 2.2. quæſt.133. ar.1. quieſcere in minori, recuſando tendere ad maiora,ad quæ poteſt quis accedere,ſive ex Deo,ſive ex propria virtute, pertinet ad puſillanimitatem; ſed Angelus ex virtute Dei poterat pervenire ad permanendum in ſua beatitudine naturali quoad talem modum, & vt coniuncta cum ſupernaturali; quod erat ei maius: ergo.

22 Reſp.diſt.mai. Quieſcere ob deſpectum, nego maior. Ob reſpectum, conc.maior & minor. & nego conſ.Dum enim quis, ob reſpectum maiorum, propter ipſorum magnitudinem, & inſufficientiam ſui,quieſcit in minori, & recuſat tendere ad maiora, eſt puſillanimitas; vt loc. cit. docet Ang. Mag. Cum verò,ob eo corũ deſpectum, ſaltim virtualem,quis ita propriam excellentiam nimiè diligit, vt, & ſi parvam, maximè extimet, eamquè ad maiora non ordinet;quieſcere in illa, etſi minori,maxima ſuperbia eſt. Cumque Angelus hoc modo proceſſerit: ideo fuit ſuperbia, & non puſillanimitas. Hinc S. Gregor. lib 34. Moral.cap.14.dicit:*Factus eſt vt nullum timeret. Ei quippè, à quo conditus fuerat,ſubeſſe deſpexit: dum privatam celſitudinem ſuperbè appetijt, iure perdidit participatam. Relicto enim eo, cui debuit inhærere principio, ſuum ſibi appetijt quodammodo eſſe principium.*

23 Arg. 6. Et poteſt eſſe inſtantia:Dum Angelus ſuperbivit, non appetijt aliquid impoſsibile; ſed habere propriam beatitudinẽ naturalem, ſine ordine ad ſupernaturalem, & ad Deum,propriaquè virtute, eſt impoſsibile: ergo. Reſp. diſt. maior. Impoſsibile ex parte modi,nego maior.Ex parte

rei,

rei, conc.maior.& minor.& diſt. conſ.Ex parte modi,conc.conſeq. Ex parte rei,nego conſ.In obiecto enim prædicto res appetita eſt propria beatitudo naturalis. Modus eius eſt,quod poſsideatur ſine ordine ad beatitudinem ſupernaturalem,& Deum. Et licet hic ſit impoſsibilis, illa poſsibilis eſt. Dum enim Angelus ſuperbivit,& peccavit, non intendit ſignatè,& expreſsè, nec ita appetijt vtrumquè, ſed beatitudinem naturalem propriam: & quia ſtetit in ea, & non curavit, vt debuit, ordinare illam in ſupernaturalem, & Deũ; vt ipſam ex Dei gratia,& auxilio poſsideret, & conſervaret: ideò ſuperbè proceſsit, quin ex parte rei appeteret impoſsibile; etſi procedens inconſideratè, talis modus impoſsibilis interpretetur ab eo volitus. Nec inconſideratio fuit reſpectu obiecti appetiti, ſed modi appetendi.

## QUÆSTIO SECUNDA.

### *DE POENA DÆMONVM.*

CUM pœna ſit correlativa culpæ; poſtquam actum eſt de culpa, peccato, & malitia Dœmonum, agit Div. Thomas quæſt.64. de pœna eorum.

## ARTICULVS PRIMVS.

### *DE OBTENEBRATIONE intellectus Dœmonis.*

1 NOTO: Quod in intellectu Angeli, in primo inſtanti ſuæ conditionis, fuit duplex cognitio. Naturalis, quæ habetur per naturam. Et ſupernaturalis, quæ per gratiam. Hæc erat ſpeculativa: cum cognoſcebat veritates divinas, ei revelatas. Et affectiva: cum producebat in illo amorem Dei. Ante peccatum habebat perfectiſsimè has; vt docet Ang. Doct. artic.1. Cum autem intellectus eius ſit peccato obtenebratus, inquirimus: Poſt illud, quid evenerit in Dœmone circa illas?

2 Concluſio: Cognitio naturalis poſt peccatum permanſit integra in dœmone: Supernaturalis purè ſpeculativa, diminuta: affectiva verò totaliter ablata. Sic Angel. Præcept. artic. 1. Fundat concluſ.quoad 1.part. cum Sanct. Dion.cap.4. de Div. Nomin. dicente: *Data ſunt Dæmonibus aliqua dona, quæ nequaquam mutata eſſe dicimus: ſed ſunt integra, & ſplendidiſsima.* Nunc Div. Thomas: *Inter iſta autem naturalia dona eſt cognitio veritatis:* ergo.

3 Prob. ratione ipſius: Cognitio naturalis dœmonis poſt pec

catum non fuit ablata, nec diminuta: ergo. Prob. ant. Per peccatum non fuit ablata ab Angelo, nec diminuta vis intellectiva naturalis. Nec ſunt ablatæ ab eo, nec diminutæ ſpecies naturales intelligibiles, ei inditæ ab initio ſuæ conditionis; ſed cognitio naturalis illius non aliunde poterat auferri, aut minui: ergo. Mai. quoad 1. par. conſtat: Nam cum natura Angeli non ſit compoſita, ſed ſimplex, non eſt capax diminutionis, augmenti, nec incrementi. Nec fuit totaliter ablata: cum Angelus, ſive dœmon, permanſerit intelligens. Prob. quoad 2. Formæ connaturales non auferuntur, nec minuuntur in peccatore per peccatum; ſed ſpecies intelligibiles ſunt formæ connaturales Angeli, exactæ ab illo: ergo. Mai. eſt certa: Siquidem in pœnā peccati, ſolùm auferuntur ab eo dona gratuita; non verò prædicata naturalia, nec proprietativa.

4 Prob. Concluſ. quoad 2. p. ex Div. Thoma: Cognitio ſupernaturalis purè ſpeculativa eſt, quę habetur per revelationem divinorum; ſed dœmon poſt peccatum cognoſcit aliqua divina, etſi non omnia, media revelatione; licet non tam clarè, ſicut ante illud: ergo talis cognitio non eſt totaliter ablata, ſed diminuta. Cuius rationem præbet S. Doct. dicens: *Quia de huiuſmodi ſecretis divinis tantum revelatur eis quantum oportet, vel mediantibus Angelis, vel per aliqua temporalia divinæ virtutis officia*, vt dicit Aug. 9. de Civit. Dei: *Non autem ſicut ipſis Sanctis Angelis, quibus plura, & clarius revelantur in ipſo Verbo.*

5 Prob. concluſ. quoad 3. par. ex Ang. Doct. Cognitio ſupernaturalis affectiva producit amorem Dei; ſed in dœmone defecit omninò amor Dei: ergo talis cognitio totaliter eſt ablata. Mai. eſt D. Thomæ aſſerentis: *Eſt affectiva producens amorem Dei.* Min. & conſ. patent ex ipſo ita concludente: *A tertia vero cognitione ſunt totaliter privati, ſicut & à charitate.*

6 Arg. 1. In dœmone defecit per peccatum aliqua cognitio veritatis naturalis: ergo hæc non permanſit integra. Prob. antec. Defecit propria cognitio ſui; ſed hæc eſt cognitio veritatis naturalis: ergo. Probat. maior. Defecit omnis magna fœlicitas eius; ſed propria cognitio eſt magna fœlicitas eius: ergo. Probat. minor. Cognitio ſubſtantiæ ſeparatæ eſt magna fœlicitas; ſed cognitio propria dœmonis eſt ſubſtantiæ ſeparatæ: ergo. Mai. eſt certa: Imò aliqui poſuerunt vltimam fœlicitatem in cognitione ſubſtātiæ ſeparatæ. Reſp. diſt. maior, In Angelo, nego maior. In homine, conc. mai. & min. & nego conſ.

7 Cont. In homine cognitio

ſub-

ſubſtantiæ ſeparatæ eſt magna fœlicitas: ergo etiam in Angelo. Prob.conſ. Talis cognitio eſt perfectior in Angelo, quam in homine; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Nam cognitio obiecti ſuperioris, & exiſtentis ſuprà ſphæram cognoſcentis, eſt aliqualis, vel magna fœlicitas. Non verò cognitio obiecti ita non excedentis, cuius cognitio eſt connaturalis. Et cum ſubſtantia ſeparata, ſive Angelus, ſit obiectum ſuperius, & exiſtens ſuprà ſphœram hominis, non tamen ipſius Angeli, & dœmonis: ideo cognitio eius in homine eſt talis fœlicitas, non verò in Angelo, cui connaturalis eſt. Sicut propterea, cognitio ſenſibilium non eſt fœlicitas hominis. Perfecta namquè fœlicitas conſiſtit in cognitione primæ ſub ſtantiæ, & Dei. Ita Angel. Mag. ad 1.

8 Cont. Cognitio naturalis Dei eſt magna fœlicitas Angeli, iuxtà ſolutionem; ſed hæc defecit in Angelo per peccatum: ergo. Prob. min. Angelus per peccatum eſt conſtitutus in maxima miſeria; ſed hæc importat defectum omnis fœlicitatis: ergo. Reſp. diſt. min. Per ablationem naturalium, nego min. Doni gratuiti, conc. min. & ſimiliter diſt. conſ. Licet cognitio naturalis Dei, relata ad laudem creatoris, & ſociata dono gratuito, ſit maxima fœlicitas, & beatitudo naturalis creaturæ rationalis, & Angeli, atque incompatibilis cum miſeria maxima; ſecus non relata, nec ita ſociata. Cumque in Angelo, & dœmone poſt peccatum non ſit ita relata, nec ſociata: ideò perſeverat, & manſit integra cum tali miſeria. Hanc difficultatem ita objicit ſibi Div. Thomas: dœmones non poſſunt cognoſcere Deum, qui eſt ſecundum ſe manifeſtiſsimus, cum ſit in ſummo veritatis: eo quod nō habent mundum cor, quo ſolo videtur Deus: ergo nec alia cognoſcere poſſunt. Et reſpondet ad 2. dicens: *Talis cognitio remanet etiam in dœmonibus. Licet enim non habeant puritatem, quæ eſt per gratiam, habent tamen puritatem naturæ, quæ ſufficit ad cognitionem Dei, quæ eis competit ex natura.*

9 Cont. Si in dœmone maneret talis cognitio Dei, etſi non ita relata, nec ſociata, maneret in eo beatitudo naturalis: ergo & ſumma fœlicitas. Prob. antec. Etſi Deus privaret aliquem beatum charitate, qua ſe, omnia, ſuam viſionem, & cognitionem Dei ſupernaturalem ordinaret in Deum; ſi viſio, & cognitio prædicta maneret in eo, beatitudo ſupernaturalis perſeveraret in illo: ergo. Prob. conſ. Sicut beatitudo ſupernaturalis conſiſtit in viſione, & cognitione ſupernaturali clara Dei, ita beatitudo naturalis in

cognitione naturali; ſed: ergo.

10 Reſp. Solummodo permiſſa paritate, nego conſeq. Ratio eſt: Quia viſio beata rectificaret ita talem beatum, vt neceſsitaret illũ, ſaltem radicaliter, & quoad ſpeciem, vt omnia prædicta referret in Deum, & non operaretur pravè: ſicque in aliquo ſenſu maneret in eo beatitudo ſupernaturalis. Cognitio autem prædicta naturalis Dei non neceſsitat ſic dœmonem. Imò cohæret illi, vt ita ſit propriæ excellentiæ adhærens, & firmus in malo, vt maneat obſtinatus in eo, & operans ex pravo fine. Cumque ita procedens ſit abſque omni beatitudine naturali, & ſumme infœlix: ideo hæc nõ perſeverat in dœmone. Et licèt talis cognitio non ita obſtinatum moveat, vt omnia referat in Deũ; non verò ſic obſtinatum, vt eſt dœmon, qui in eſſe moris non reſpicit Deum, vt regulam ſui actus, ſed illud, cuius appetitu peccavit.

11 Arg. 2. Cognitio naturalis non manſit in dœmone poſt peccatum, ſicut antea: ergo aut eſt ablata, aut diminuta. Prob. antec. Alia cognitio Angeli eſt veſpertina, alia matutina; ſed in dœmone nec manſit cognitio veſpertina, nec matutina: ergo. Mai. docetur à SS. Aug. Thoma, & Alb. Min. patet: Nam matutina videt res in Verbo; & veſpertina refert res cognitas in laudem Dei: quod dœmon non exequitur. Reſp. diſt. mai. Angeli mali, nego mai. Boni, conc. mai. & min. & nego conſeq. Cognitio rerum in propria natura, cum refertur in laudem creatoris, eſt veſpertina. Cognitio in Verbo, eſt matutina. Si verò illa ita non referatur, dicitur nocturna: quia non habet aliquid de luce divina, ſicut alia ſic relata. Cum igitur Angelus bonus, & non malus, eam referat in laudem creatoris: ideo in bono cognitio eſt matutina, aut veſpertina; in malo autem non, ſed nocturna. Sic D. Thomas ad 3. exponens D. Aug. & addens: *Vnde in Gen. legitur, quod tenebras, quas Deus à luce ſeparavit, vocavit noctem.* Nec propterea, quia nocturna, & quaſi tenebroſa talis cognitio naturalis eſt diminuta in dœmone: ſiquidem dicitur tenebroſa comparativè ad ipſam non privatam luce divina, aſſerente Div. Thoma: *Creatura tenebra eſt comparata excellentiæ divini luminis; in ſe autem, & vt proveniens à lumine intellectuali Angeli clara, ſubtilis, & comprehenſiva eſt.* Quare Sanct. Doct. ad 5. aſſerit: *Dœmones tribus modis cognoſcunt veritatem aliquam. Vno modo ſubtilitate ſuæ naturæ. Quia licet ſint obtenebrati per privationem luminis gratiæ, ſunt tamen lucidi lumine intellectualis naturæ.*

12 Cont. Nec tale lumen intellectuale manſit in dœmone: ergo

ergo cognitio eius eſt nocturna per privationem illius. Prob.ant. Dœmon per peccatum meruit ablationem talis luminis : ergo. Ant.eſt certum: Cum etiam meruerit ſuam anihilationem. Reſp. nego conſ. Ratio eſt : Nam etſi attenta gravitate peccati,meruerit ablationem talis luminis, & anihilationem ſui, Deus non eſt vſus,nec vtitur,in punitione eius, tali rigore iuſtitiæ, ſed eam miſericordia temperat. Quare dicunt de parvulis lymbi, canere illud Thren. 3. verſ. 22. *Miſericordiæ Domini quia non ſumus conſumpti.* Vnde miſericors Deus non abſtulit tale lumen à dœmone. Et Ang. Mag. in corp. ait: *Propter ſimplicitatem autem ſuæ ſubſtantiæ à natura eius aliquid ſubſtrahi non poteſt: vt ſic per ſubſtractionem naturalium puniatur.*

13 Cont. Deus in pœnam peccati abſtulit à dœmone tale lumen etſi naturale: ergo. Prob. antec. Licet vivere ſit naturale hominibus, Deus in pœnam peccati auſert à multis vitam, & infert illis mortem : ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Nam vivere hoc, vel illo tempore non eſt ita naturale homini, vt ſit prædicatū proprietativum illius ; ſed eſt accidens commune ita vt homo ex natura ſua ſit mortalis, & morti ſubiectus. Lumen autem prædictum, & alia principia cognitionis naturalis Angeli, & dœmonis ſunt prædicata proprietativa eius: quorum privatione Deus non punit in pœnam peccati, etſi puniat privatione accidentis communis; vt cum ita aufert vitam,& infert mortem.

14 Cont. Licet tale lumen ſit prædicatum proprietativum Angeli, Deus in pœnam peccati abſtulit : illud à dœmone circa cognitionem aliquam: ergo.Prob. antec. Si dœmon non peccaſſet, cognoviſſet tali lumine, B. Mariam fore Puriſsimam Virginem poſt partum; ſed hoc non cognovit, quia peccavit ; ergo. Prob. min.ex Angel.Doct.3.part.quæſt. 29 art.1. vbi reſolvit: Fuiſſe conveniens,Chriſtum Dominum naſci de Virgine deſponſata, adducens inter alias, rationem S. Ignatij: *Vt partus eius diabolo celaretur.* Et S.Hieron.c.1.Math. addit: *Dum eum putat,non de Virgine, ſed de vxore generatum*: ergo. Reſp.admitto, & explico author. cum Divo Thoma ad 3. aſſerente : *Dicendum, quod ſicut Aug. dicit in 3. de Trin. Diabolus multa poteſt virtute ſuæ naturæ,à quibus tamen probibetur virtute divina. Et hoc modo poteſt dici, quod virtute naturæ ſuæ Diabolus cognoſcere poterat Matrem Dei non fuiſſe corruptam, ſed Virginem : prohibebatur tamen à Deo cognoſcere modum partus divini.* Ex quo patet quod non abſtulit ab eo tale lu-

men, nec virtutem cognoſcitivam; ſed impedivit vſum eius circa talem cognitionem. Sicut non abſtulit ab igne babilonico virtutem combuſtivam, ſed exercitium comburendi pueros per eum ambulantes.

15 Arg. 3. Angeli in ſua cognitione cognoverunt cognitione ſupernaturali myſterium regni Dei; ſed dœmones ſunt privati hac cognitione, etiam purè ſpeculativa: ergo hæc eſt totaliter ablata ab illis. Maior. docetur à Divo Aug. 4. ſup. Gen. ad lit. Prob. min. ex illo 1. Cor. 2. *Quia ſi cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*: ergo. Reſp. admitto, & explico author. cum Ang. Doct. artic. 1. ad 4. dicente: *Myſterium regni Dei, quod eſt impletum per Chriſtum omnes quidem Angeli à principio aliquomodo cognoverunt, maximè ex quo beatificati ſunt viſione Verbi, quàm dœmones nunquam habuerunt. Non tamen omnes Angeli cognoverunt perfectè, neque æqualiter. Vnde dœmones multo minus, Chriſto exiſtente in mundo, perfectè myſterium Incarnationis cognoverunt. Non enim innotuit eis, vt Aug. dicit, ſicut Angelis Sanctis, qui Verbi participata æternitate perfruuntur, ſed ſicut eis terrendis innoteſcendum fuit per quædam temporalia effecta: Si autem perfectè cognoviſſent ipſum eſſe Filium Dei, & effectum paſſionis eius, nunquam Dominum gloriæ crucifigi procuraſſent.*

16 Cont. Dœmones nec talem cognitionem ſupernaturalem ſpeculativam habent de myſterio regni Dei, & de Chriſto: ergo. Prob. ant. Dœmones non habent cognitionem ſupernaturalem fidei; ſed talis cognitio eſſet fidei: ergo. Min. patet: Siquidem non eſſet ſcientiæ beatæ, nec alia cognitio evidens, ſed obſcura. Prob. mai. Cognitio ſupernaturalis fidei eſt meritoria; ſed dœmones non habent cognitionem meritoriam: ergo. Reſp. diſt. mai. Cognitio coacta, & purè ſpeculativa nego mai. Voluntaria, & affectiva, conc. mai. & minor. & ita diſt. conſeq. Talis cognitio coacta, & purè ſpeculativa eſt: cum intellectus convictus credit; non voluntariè, nec ſine recto. Alia autem, cum intellectus, motus à voluntate, credit voluntariè, & ſine optimo. Hæc eſt meritoria, & laudabilis. Illa non. Cumque ſolum prædicta ſit in dœmonibus: ideò eſt in illis, quin ſit meritoria. Ita Divus Thomas 2. 2. quæſt. 5. artic. 2. qui referens illud Jacobi 2 *Dœmones credunt, & contremiſcunt*, ad 1. ait: *Dœmonum fides eſt quodammodo coacta ex ſignorum evidentia: & ideo non pertinet ad laudem voluntatis ipſorum.*

17 Cont. In dœmonibus nec eſt cognitio coacta fidei: ergo. Prob. antec. Nemo poteſt cogi ad cognitionem fidei; ergo. Prob. ant.

Cog-

Cognitio fidei eſt aſſenſus obſcurus veritatis non viſæ; ſed nemo poteſt cogi ad aſſenſum obſcurum veritatis non viſæ: ergo. Reſp.diſt.min. Ex meritis obiecti, conc.min. Ex evidentia ſignorum, & timore ſervili, nego min.& ita diſt.conſ. Cum enim veritas fidei proponatur obſcurè, nemo ex meritis illius, ſeu obiecti, poteſt cogi ad cognitionem, & aſſenſum eius. Cum verò ſigna illius ſunt evidentia, & negari nequit, dictam eſſe à Deo, qui nec poteſt mentiri, falli, nec fallere, cogi valet, imò & cogitur, præcipuè cum cognoſcens eſt valde perſpicax, & timet incurrere pœnas maiores. Cumque hoc eveniat in dœmonibus: ideò eſt in illis cognitio coacta fidei. Ita Ang Mag.loc citat. concludens: *Fides, quæ eſt in dœmonibus, non eſt donum gratiæ, ſed magis coguntur ad credendum ex perſpicacitate naturalis intellectus.* Et ad 3. ait: *Hoc ipſum dœmonibus diſplicet, quod ſigna fidei ſunt tam evidentia, vt per ea credere compellantur.*

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### *DE OBSTINATIONE Voluntatis Dœmonis.*

5 PRÆMITTO 1. Quod obſtinatio importat firmitatem in peccato. Sic Angel.Doct.quæſt.24. de Verit.art.11. Si autem voluntas nectiquam poſsit reſurgere à peccato, nec cooperari, vt reſurgat, eſt obſtinatio perfecta. Si poſsit, ſed non faciliter, eſt imperfecta. Hæc eſt in aliquibus hominibus. Difficultas eſt de perfecta; quæ eſt in dœmonibus, vt docet Sáct. Doctor art.2.dicens: *Origenis poſitio fuit, quod omnis voluntas creaturæ propter libertatem arbitrij poteſt flecti, & in bonum, & in malum, excepta Anima Chriſti propter vnionem Verbi. Sed hæc poſitio tollit veritatem beatitudinis à Sanctis Angelis, & hominibus: quia ſtabilitas ſempiterna eſt de ratione veræ beatitudinis. Vnde & vita æterna nominatur. Repugnat etiam authoritati Scripturæ Sacræ, quæ dœmones, & homines malos in ſupplicium æternum mittendos, bonos autem in vitam æternam transferendos pronuntiat. Vnde hæc poſitio eſt tanquam erronea reputanda, & tenendum eſt firmiter ſecundum ſidem Catholicam, quod & voluntas bonorum Angelorum confirmata eſt in bono, & voluntas dœmonum obſtinata eſt in malo.*

2 Fundat hanc veritatem in illo Pſal. *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.* S. Thomas: *Quod de dœmonibus exponitur Ergo ſemper obſtinati in malitia perſeverant.* Propter hoc, & alia teſtimonia Eccleſia reprobavit Ori-

genem, vt refert D. Aug. lib. 21. de Civ. Dei cap. 17. Diſſidium eſt in examinanda cauſa talis obſtinationis. Pro quo præmitto 2. hæc verba Angel. Mag. in corp. *Cauſam autem huius obſtinationis debes accipere, non ex gravitate culpe, ſed ex conditione naturæ ſtatus. Hoc enim eſt hominibus mors quod Angelis caſus, vt Damaſcen. dicit. Manifeſtum eſt autem, quod omnia mortalia peccata hominum, ſive ſint magna, ſive ſint parva, ante mortem ſunt remiſsibilia, poſt mortem verò irremiſsibilia, & perpetuò permanentia.* Advertit autem Caiet. Quod gravitatem culpæ, non dixit S. Thomas, non eſſe cauſam; ſed non tantum eſſe cauſam: quia in rei veritate gravitas culpæ tanta, quanta eſt peccati mortalis, quædam cauſa demeritoria eſt; & ex genere, quia mortalis; & ex ſpecie, quia ſuperbiæ: & ex cauſa, quia ex malitia: & ex conditione peccantis, quia tam ſpiritualis; eſt obſtinationis, eo quod iuſtum eſt, vt qui non venialiter, ſed vſquè adeò delinquit, vt impotentem ſe faciat ad benefaciendum, hac pœna mulctetur, vt benè velle non poſsit. Non tamen hæc ſufficiens, & proxima eſt obſtinationis cauſa, quia quantumcumquè gravior ſit culpa, remiſsibilitatem ex gravitate non excludit.

3 Exinde aſsignat, vt cauſam proximam phyſicam obſtinationis, conditionem ſtatus: Quia Angelus peccans, cadit, & fit extra viam, ſicut homo moriens: quare ſicut peccatá mortalia hominis mortui, & non viatoris, non ſunt remiſsibilia; ita nec Angelica ſi, ſive dœmonis: Sicquè manet obſtinatus. Cauſa autem, cur Angelus cadendo fiat extrà viam, eſt anterior cauſa talis obſtinationis, & præcipua: de qua eſt præſens difficultas. Aureolus igitur dixit: Fore quemdam habitum vitioſum, à ſolo Deo cauſatum, à quo voluntas dœmonis inclinatur neceſſariò in affectionem pravam. Gabriel affirmavit: Provenire ex eo, quod Deus producit, aut conſervat in voluntate dœmonis odium Dei vel alium actum peccaminoſum quo ſtante, non poteſt pœnitere nec amare Deum. Omnes alii Theologi conveniunt in hoc quod talis obſtinatio provenit vt à cauſa extrinſeca, & ſubtractione divinæ gratiæ, & auxilii divini requiſiti ad pœnitentiam. Differunt autem in eo: quod vni dicunt: Deum præcisè id negare ex diſpoſitione ſuæ iuſtitiæ, in pœnam primi peccati. Alij: illud negare ex ſuavi ſua providentia attendente modum operandi Angelorum, qui immobiliter adhærent fini, ad quem ex plena deliberatione ſemel ſunt conver

ſi. Quare etiam provenit ex eorum inflexibilitate.

4 Concluſio: Obſtinatio voluntatis dœmonis in malo, non ſolum provenit ex ſubtractione divinæ gratiæ, ſed etiam ex naturali inflexibilitate eorum. Ita Thomiſtæ cum Divo Thoma, & B.A.b. quæſt.25. art.4. Scotiſtæ autem, & plures Jeſuitæ oppoſitum tenent. Videtur expreſſa in Angel. Mag. quæſt.24. de Verit. art.10. dicente: *Cuius quidem rationem ex illa parte oportet accipere, vnde cauſatur liberatio à peccato; ad quam duo concurrunt: divina gratia principaliter operans, & humana voluntas gratiæ cooperans: quia ſecundum Aug.* Qui creavit te ſine te, non iuſtificabit te ſine te. *Cauſa igitur confirmationis in malo partim quidem accipienda eſt ex Deo, partim ex libero arbitrio: Ex Deo quidem non ſicut ex faciente, vel conſervante malitiam, ſed ſicut non largiente gratiam. Quod quidem eius iuſtitia depoſcit; iuſtum eſt enim, vt qui benè velle, dum poſſent, noluerunt, ad hanc miſeriam deducantur, vt benè velle omninò non poſſint.* Et quæſt.16. de Malo artic.5. ait: *Mutatur enim in nobis liberum arbitrium ex cauſa intrinſeca, & ex cauſa extrinſeca.* Cuius intelligentia eſt: quod mutatur à ſe ipſo, & à Deo: ergo ab vtroquè provenit, quod voluntas dœmonis ſit obſtinata in malo, & ita immutabilis: ex ſubtractione gratiæ, *& ex ſua inflexibilitate.* Et ad 3. addit: *Deus eſt cauſa ſtatus Angelorum, in quo ſunt obſtinati in malo, non quidem ſicut cauſando, vel conſervando malitiam, ſed ſicut non impartiendo gratiam. Sic enim dicitur aliquos indurare, ſecund. illud Rom.9. Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.*

5 Prob. concluſ. ratione Divi Thomæ art.2. Obſtinatio eſt firma, & immobilis adhæſio malo; ſed dœmon ex eius naturali inflexibilitate habet, quod poſtquam plena deliberatione converſus eſt per peccatum ad malum, firmiter, & immobiliter adhæreat malo: ergo eius obſtinatio etiam provenit ex ea. Probat. min. Angelus adhæret immobiliter fini, ad quem ſemel ex plena deliberatione cōvērſus eſt: ergo. Conſeq. patet: Nam talis immobilitas eſt naturalis inflexibilitas. Prob. anteç. Voluntas Angeli in volitione finis ſequitur neceſſariò iudicium intellectus; ſed intellectus Angeli iudicat immobiliter de fine; ergo. Maior eſt certa: Nam voluntas dicitur appetitus rationalis; quia ſequitur rationem, & iudicium intellectus. Prob. min. Modus iudicandi intellectus Angeli eſt, ſicut modus apprehendendi ipſius; ſed Angelus apprehendit immobiliter finem; ergo. Maior patet

in homine: qui mobiliter iudicat, quia mobiliter apprehendit. Prob.min. Angelus ſimplici intuitu apprehendit finem, & abſque compoſitione, & diſcurſu: ergo. Prob.conſ. Eo ipſo attingit obiectū ſecundùm omnia eius prædicata, accidentia, cauſas, & circunſtantias: ergo. Conſ. patet: Nam homo non apprehendit immobiliter finem, quia non attingit ita obiectum.

6 Illuſtratur: Adhærens fixè, & immobiliter malo, eſt propterea obſtinatus in malo; ſed dœmon, quia inflexibilis, adhæret fixè, & immobiliter malo, poſtquam deliberatè peccavit: ergo. Prob.min. Angelus, quia inflexibilis, adhæret fixè, & immobiliter fini, & obiecto, cui deliberatè adhæret: ergo. Prob. ant. Angelus ſic procedens, appetit immobiliter: ergo. Prob.ant. Angelus apprehēdit immobiliter: ergo. Ant eſt D. Th. Quia Angelus apprehēdit, & cognoſcit perfectè omnia ſimplici intuitu, & abſquè diſcurſu: ſicquè non reſtat motivum, vt mutet apprehenſionem. Sicut eſt in homine, qui apprehendit mobiliter, & diſcurrendo de vno in aliud: Et ſæpè mutat apprehēſionem: quia prius cognoſcit obiectum ſecundùm vnam rationem, deinde ſecundùm aliam; & vna ſuadente, obiectum eſſe verum, occurrit alia ſuadens, fore falſum; vi cuius movetur, vt mutet apprehenſionem, & apprehendat oppoſitum. Prob.iam conſ. Appetitus volūtatis proportionatur in omnibus apprehenſioni intellectus; ſed: ergo. Conſ. patet: Quare concludit Divus Thomas: *Et ideò ſi conſideretur ante adhæſionem, poteſt liberè adhærere, & huic, & oppoſito, in his ſcilicet, quæ non naturaliter vult. Sed poſtquam iam adhæſit, immobiliter adhæret. Et ideò conſuevit dici, quod liberum arbitrium hominis flexibile eſt ad oppoſitum, & ante electionem, & poſt: liberum autem arbitrium Angeli eſt flexibile ad vtrumquè oppoſitum ante electionem, ſed non poſt. Sic igitur & boni Angeli ſemper adhærētes iuſtitiæ ſunt in illa cōfirmati, mali verò peccātes ſunt in peccato obſtinati.*

7 Dices: Eſſe verum circa obiecta naturalia, quæ Angelus attingit ſimplici intuitu. Non circa ſupernaturalia, quæ ita non cognoſcit. Reſponſio eſt contra Ang. Doct. qui relata ſtatuit de confirmatione Angeli in bono ſupernaturali, & de obſtinatione dœmonis in malo, & peccato, qui etiam ita cognovit ſupernaturalia, à quibus receſsit. Præterea inſtatur: Sicut gratia non deprimit naturam ad ordinem inferiorem, ſed eam perficit, & elevat ad ſuperiorem; ita cognitio ſupernaturalis naturalem; ſed mo-

dus naturalis cognoſcendi in Angelo eſt ſimplici intuitu, & ſine diſcurſu; & ſic cognoſcit omnia obiecta naturalia: ergo ſimilis eſt ſupernaturalis, cum ſit perfectior: & ſic cognoſcit omnia ſupernaturalia. Unde 2.2. quæſt. 9. art. 1. ad 1. docet: Quod lumen ſupernaturale non eſt diſcurſivũ, niſi ex parte ſubiecti, cum eſt in ſubiecto ex ſe diſcurſivo; ſed 1. p. quæſt. 58. art. 3. reſolvit: Quod Angelus non eſt diſcurſivus, ſed ſimplici intuitu intellectivus: ergo in eo non eſt diſcurſivum lumen ſupernaturale, quo cognoſcit ſupernaturalia. Quapropter quæſt. 16. de malo, art. 5 oſtendit: quod quia omne adveniens alicui, ei advenit ſecundũm modum ſuæ naturæ, cognitio ſupernaturalis non adveniens Angelo, advenit ei ſecundũm modum ſuæ naturę; ſed hic eſt cognoſcẽdi ſimplici intuitu, & apprehẽdẽdi immobiliter: ergo ita procedit, etiam circa ſupernaturalia.

8 Roboratur: Angelus eſt medius inter Deum, & hominẽ, etiam in modo cognoſcendi; ſed Deus eſt omninò immutabilis ante, & poſt electionem, circa naturalia, & ſupernaturalia; & cognoſcit cuncta ſimplici intuitu: homo autem vbique eſt mutabilis, & diſcurſu cognoſcit, cum per rationem procedit: ergo Angelus ante electionem mutabilis, poſt illam eſt immutabilis, circa naturalia, & ſupernaturalia, erga quæ ſimplici intuitu procedit. Unde cum deliberatè procedit, vt cum peccavit, circa vtraque eſt inflexibilis: ideòque manſit obſtinatus, & naturalis eius inflexibilitas fuit vnica cauſa præcipua ſuæ obſtinationis. Præterea eſt cauſa ſufficiens ſubſtractio divinæ gratiæ, & auxilij divini.

9 Prob. ratione: Obſtinatio eſt perpetua permanentia in malo; & impotentia, vt voluntas convertatur in bonum; ſed hæc adeſt, dum eſt ſubſtractio gratię, & auxilij Dei: ergo. Min. patet: Nam voluntas creata ſine auxilijs ſufficientibus Dei, non poteſt averti à malo, nec converti ad bonum: & ſine efficacibus, non avertetur, nec convertetur. Præterea non datur peccatum, quin Deus ſubſtrahat gratiam, qua voluntas operetur bonum: ergo nec permanentia in peccato, in qua obſtinatio conſiſtit.

10 Ex his colligitur: Dœmonem ita eſſe obſtinatum in malo, vt non poſsit efficere aliquod bonum morale. Nam Dœmon in Sacra Scriptura abſolutè vocatur malus. Matth. 13. dicitur de illo: *Venit malus.* Et Lucæ 8. *Venit Diabolus.* Et in oratione Dominica: *Libera nos à malo.* Quæ intelliguntur de Dœmone, iuxta

S. Joannem Chryſoſt. Hom. 20. in Matth. *Propter exceſſum malitiæ*; quæ eſt tanta, vt nihil bonitatis moralis permittat. Vnde S. Gregorius lib. 18. moral. cap. 1. inquit: *Omnis voluntas diaboli iniuſta eſt.* Et D. Auguſt. lib. 14. de Civit. Dei cap. 17. ait; *Propter meritum primæ voluntatis malæ, ita obduratum eſſe Angelum malum, vt iam bonam voluntatem vlterius non haberet.* Et Divus Thomas ad 3. aſſerit de actu Dœmonis, ex voluntate deliberata procedente: *Semper eſt malus. Quia etſi aliquando bonum faciat, non tamen benè facit. Sicut dum veritatem dicit, vt decipiat, & dum non voluntariè credit, & confitetur, ſed rerum evidentia coactus.*

11 Arg. 1. cont. præmiſ. Voluntas potens eligere bonum non eſt obſtinata in malo; ſed voluntas Dœmonis poteſt eligere bonum: ergo. Prob. min. Voluntas ornata libero arbitrio, poteſt eligere bonum; ſed voluntas Dœmonis eſt ornata libero arbitrio: ergo. Maior eſt certa: Nam libertas arbitrij per ſe, & prius ordinatur ad bonum, quàm ad malum. Min. patet: Quia voluntas naturæ intellectualis, vt eſt natura Angeli, ornata eſt libero arbitrio. Reſp. diſt. mai. Poteſt cõtra modum, & conditionem ſuæ naturæ, nego mai. Iuxta, concedo mai. & min. & diſt. conſ. Ante electionẽ deliberatam mali, concedo conſ. Poſt illam, nego conſ. Voluntas vtique creata, libero arbitrio prædita, poteſt eligere bonum, & malum, porrigens manum ad quod voluerit: & per prius eſt ordinata in bonum, quia præcipuum, quia eius obiectum, & quia nemo intendens malum, ſed bonum operatur. Verumtamen hoc eſt iuxta modum, & conditionem ſuæ naturæ. Cùm enim hæc eſt inflexibilis in apprehenſione, & iudicio, poſtquã voluntas his ducta elegit plenariè deliberatè malum, nequit iam eligere bonum, quod ante potuit eligere. Cumque Dœmõn ſit huiuſmodi: ideò eius voluntas ante electionem deliberatam mali potuit eligere bonum; non tamen poſt illam, ſed manet obſtinata in malo. Ita Divus Thomas ad 1.

12 Cont. Voluntas Dœmonis poſt electionem mali poteſt eligere bonum: ergo. Prob. ant. Ante electionem mali poteſt eligere bonum: ergo. Prob. conſ. Voluntas Dęmonis æquè eſt libera ante, & poſt electionem; ſed: ergo. Reſp. diſt. mai. Contra modum ſuæ naturæ, nego mai. iuxta illum, conc. mai. & min. & nego conſ. Libertas namque Angeli eſt talis modi, & conditionis, vt ante deliberatam, & plenariam electionem reſpiciat vtrumque oppo-

oppoſitum. Poſt illam autem non reſpicit, niſi quod eligit, cuius electionem conſervat. Quo exercitio non deſtruitur, ſed perficitur: quia exercetur. Cum ergo ita procedat voluntas Dæmonis: ideò etſi potuerit ante electionem mali eligere bonum, poſt illam non poteſt.

13 Cont. Iuxta modum libertatis Angeli eſt, poſſe eligere bonum, poſt electionem mali: ergo. Prob. ant. Iuxta modum illius eſt, poſſe retractare pravam electionem mali: ergo. Patet conſ. Nam retractatio mali eſt electio boni. Prob. ant. Continuare liberè pravam electionem mali, & perſeverare in peccato, eſt poſſe retractare pravam electionem mali; ſed iuxta modum libertatis Angeli eſt, continuare liberè pravam electionem mali, & perſeverare in peccato: ergo. Mai. patet; aliàs talis continuatio, & perſeverantia foret neceſſaria. Min. conſtat ex dictis. Reſp. diſt. mai. In Angelo, nego mai. In homine, conc. mai. & min. & nego conſ.

14 Cont. In homine continuare liberè pravam electionem mali, & perſeverare in peccato, eſt poſſe retractare illam: ergo etiam in Angelo. Prob. conſ. Libertas hominis non eſt maior, quam Angeli; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia cum iudicium hominis ſit mutabile, & voluntas eius volubilis, dum liberè continuat pravam electionem mali, & perſeverat in peccato, ſignum eſt, quod poſſet, ſi vellet, retractare illam: Sicque dum non retractat eam, eius continuatio eſt libera. Cum autem iudicium Angeli non ſit mutabile, nec voluntas eius volubilis, non ideò electionem pravam mali liberè continuat, ac in peccato perſeverat; ſed quatenus in principio eam non haberet, & ſe liberè determinavit ad illam.

15 Cont. Ut continuatio Angeli in electione mali ſit libera, requiritur, quod iudicium eius ſit mutabile, & voluntas volubilis: ergo. Prob. ant. Ut ſit peccaminoſa, requiritur, quod iudicium eius ſit mutabile, & voluntas volubilis; ſed continuatio libera Angeli in electione mali eſt peccaminoſa: ergo. Probat mai. Impotentia retractandi, & auferendi malum, excuſat à peccato; ſed ſi iudicium Angeli non ſit mutabile, & voluntas volubilis, eſſet in illo impotentia retractandi, & auferendi malum: ergo. Mai. eſt communis. Minor eſt certa: Nam eſſet impotens retractare, & auferre pravam electionem mali.

16 Reſp. diſt. mai. Impotentia naturalis, & involuntaria, conc. mai. Voluntaria, & libera,

nego mai.& diſt.min. Voluntaria, & libera, conc.min. Naturalis, & involuntaria, nego min. & conſ. Impotentia naturalis,& involuntaria eſt inhabilitas ex voluntate non orta. Voluntaria, & libera eſt orta ex ea. Et licèt illa excuſet à peccato: cum hoc ſit voluntarium, & liberum;non tamen hæc: cum proveniat ex libera voluntate, à qua oritur non poſſe retractare, nèc auferre malum, præcipuè cum ita eſt prævisum. Cumquè impotentia Angeli circa retractationem electionis pravæ, & ablationem peccati, ſit voluntaria, & libera: ideò non excuſat à peccato, ſed eius continuatio eſt ita libera, & peccaminoſa. Ratio huius adducitur ab Ang. Mag. quæſt.16 de Malo art.5 ad 8. Nam quies in termino eſt voluntaria, quoties motus in terminum eſt voluntarius. Cum igitur averſio à Deo, & prava electio mali fuerit Angelo voluntaria: adeò eius continuatio,& permanentia in malo, etiam eſt voluntaria.

17 Cont. Licèt talis impotentia Angeli ſit ita voluntaria, non peccat in ſui non converſione ad Deum: ergo talis permanentia non eſt peccaminoſa. Prob.antec. Angelus non peccat in ſui non converſione ad Deum, cum non tenetur converti in Deum; ſed Angelus, cum tali impotentia, non tenetur converti in Deum: ergo. Prob.minor. Nemo tenetur ad impoſsibile; ſed cum tali impotentia,converſio Angeli in Deum eſt impoſsibilis: ergo. Reſp. diſt.mai. Ad impoſsibile abſolutè, conc.mai. Ex propria voluntate, nego mai. & diſt.min. Impoſsibilis ex propria voluntate, conc.min. Abſolutè, nego min. & conſ. Pro qua doctrina Ang.Doct.ad 11.aſſerit: *Sicut ebrius tenetur non peccare, non quidem conſiderato præſenti ſtatu, ſed conſiderata ebrietatis voluntaria cauſa, ſecundùm quàm imputatur ei aliquid ad culpam; ita etiam poteſt intelligi, quod diabolus tenetur converti in Deum, quamvis hoc ſit ei impoſsibile ſecundùm præſentem ſtatum, quia in hunc ſtatum ex voluntaria cauſa devenit.*

18 Arg. 2. Dœmon poteſt per miſericordiam Dei redire de ſtatu malitiæ ad ſtatum gratiæ, & iuſtitiæ: ergo non eſt obſtinatus in malo. Prob.ant. Maior eſt miſericordia Dei, quàm malitia Dœmonis; ſed peccator per miſericordiam Dei reddit à ſtatu malitiæ ad ſtatum gratiæ, & iuſtitiæ: ergo. Mai.eſt certa:Nam miſericordia Dei eſt infinita, & malitia Dœmonis finita. Reſp. diſt.min. Peccator capax pœnitentiæ, conc. min. incapax,nego min. & conſ. Subiectum enim peccans, ſive peccator, ſi capax

ſit

ſit pœnitendi, poteſt per miſericordiam Dei pœnitere, & redire de ſtatu malitiæ ad ſtatum gratiæ, & iuſtitiæ: nam maior, & potentior eſt miſericordia Dei, quàm quælibet malitia peccatoris. Verumtamen ſi eſt incapax, non poteſt. Cumque Dœmon ſit incapax pœnitendi: quia poſt plenam deliberationē circa malum, immobiliter adhæret malo, cum ſit inflexibilis: ideò poſtquam peccavit, non poteſt iam ita redire, ſed eſt obſtinatus in malo. Sic reſpondet D. Thomas art.2 ad 2. dicens: *Miſericordia Dei liberat à peccato pœnitentes. Illi verò qui pœnitentiæ capaces non ſunt, immobiliter malo adhærent: & per divinam miſericordiam non liberantur.*

19 Cont. Dœmon eſt capax pœnitendi de peccato ſuo: ergo. Prob.antec. Peccatum dœmonis non eſt irremiſsibile; ſed quilibet peccator eſt capax pœnitendi de peccato non irremiſsibili: ergo. Min.patet: Siquidem peccatum remittitur per pœnitentiam. Prob.maior. Solum peccatum in Spiritum Sanctum eſt irremiſsibile; ſed peccatum dœmonis non fuit in Spiritum Sanctum: ergo. Min. docetur à Divo Thoma in 2.diſt.43.quæſt.1. art.6. Quia fuit in Filium, eo quod proceſsit ex inconſideratione, oppoſita Scientiæ, quæ attribuitur Filio.Reſp.diſt.min. Ex ſuo genere, & obiecto, conc. min. Ex parte ſubiecti, & modi operandi, nego min..& conſeq. Licet primum peccatum dœmonis ex ſuo genere, & obiecto non fuerit in Spiritum Sanctum; vt docet Ang.Doctor: eo quod directè non fuit contra illum, nec procedens deſperatè, fecit propoſitum expreſſum non pœnitendi; tamen ex parte ſubiecti, & modi peccandi fuit in eum: nam Angelus, ſive dœmon, adhæſit immobiliter peccato, in quo inflexibilis manſit. Cumquè ſimile peccatum ſit irremiſsibile, & committens illud, ſit incapax pœnitendi de eo: ideò eſt.

20 Cont. Peccatum dœmonis nec ex parte ſubiecti,nec modi fuit in Spiritum Sanctum: ergo. Prob.ant. Dœmon non adhæſit immobiliter peccato ſuo: ergo. Prob.ant. Homo non adhæſit immobiliter peccato ſuo: ergo. Prob.conſ. Homo non eſt magis liber, quàm Angelus, ſive Dœmon; ſed: ergo. Reſp.nego conſ. Ratio eſt: quia homo non eſt immobilis in apprehenſione, & iudicio; neque inflexibilis poſt deliberatam, & plenam electionem mali, ſicut Angelus,& dœmon. Hac doctrina ſolvitur ſequens difficultas, relata à Divo Thoma arg. 4. S.Gregor. dicit: quod homo per alium reparari

potuit, quia per alium cecidit; ſed dœmones inferiores per primum ceciderunt. Ergo eorum caſus per alium reparari potuit. Reſpondet Angel. Mag. ad 4. dicendum: *Quod non eſt tota cauſa, quare peccatum hominis ſit remiſsibile, quia alio ſuggerente peccavit. Et ideò ratio non ſequitur.*

21 Arg. 3. Dœmon non eſt deſtitutus omni auxilio ſufficiente: ergo nec obſtinatus in malo per ſubſtractionem omnium auxiliorum Dei. Prob. ant. Dœmon committit plurima peccata; ſed ſi foret deſtitutus omni auxilio ſufficiente, non committeret plurima peccata: ergo. Probat. min. Non poſſet peccare: ergo. Prob. ant. Potentia ad peccandum requirit poteſtatem, & indifferentiam ad bonum, & malum; ſed ſi dœmon foret deſtitutus omni auxilio ſufficiente, non haberet poteſtatem, nec indifferentiam ad bonum, & malum: ergo. Mai. conſtat: Cum requirat perfectam libertatem. Min. patet: Siquidem potentia ad bonum requirit auxilia ſufficientia.

22 Reſp. diſt. mai. Potentia libera libertate contradictionis, nego mai. Contrarietatis, conc. mai. & min. & ita diſt. conſ. Libertas contrarietatis eſt ad contraria. Libertas contradictionis ad contradictoria. Et licèt potentia libera libertate contrarietatis ad peccandum, requirat indifferentiam ad bonum, & malum: cum ſit ad benè, & malè operandum. Non verò libera ſola libertate contradictionis. Cum hæc ſolum ſit ad malè operandum, & non operandum. Cumque potentia dœmonis ad peccandum, ſolùm ſit libera libertate contradictionis: cum ſit ad malè operandum, & non operandum; non ad benè, & malè operandum: ideò non requirit indifferentiam ad bonum, & malum, nec auxilia ſufficientia: Sicque dœmon eſt omnibus deſtitutus, & in malo obſtinatus. Sicut potentia Chriſti Domini ad mærendum non requirit talem indifferentiam, nec poteſtatem ad malum: quia ſolùm eſt libera libertate contradictionis, & ſolum eſt ad benè operandum, & non operandum.

23 Cont. In Angelo potentia ad peccandum debet eſſe libera libertate contrarietatis: ergo. In homine potentia ad peccandum debet eſſe libera libertate contrarietatis: ergo. Mai. eſt certa: ideoquè homo, deſtitutus omni auxilio ſufficiente, non peccaret in non adimpletione præcepti: quia non poſſet eam vitare, cum careret potentia ad illam: cum non haberet omnia ſufficientia requiſita pro illa, &

pro elicientia boni. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia tunc impotentia ad benè operandum excuſat à peccato, cum non deſcendit ex libera electione voluntatis. Secùs cum oritur ex ea. Cumque in Angelo, & Dœmone deſcendat ex ea; & in homine regulariter non: ideò in illo non excuſat, etſi in homine excuſet. Unde etſi in homine potentia ad peccandum ſit libera libertate contrarietatis, in dœmone ſolùm eſt libera libertate contradictionis. Solutio patet in ebrio; vt dictum eſt nu.17. Et in projiciente voluntariè breviarium in mare; cui non recitatio quotidie imputatur ad culpam, donec projectionem retractet: quia impotentia recitandi procedit ex voluntate libera.

24 Si inſtes: Ideò tali homini quotidie non recitatio imputatur ad culpam, quia cum poſſit retractare proiectionem breviarij, & pravam ſuam voluntatem, dum non retractat, interpretatur perſeverare voluntariè in ea, atquè quotidie, dum inſtat præceptum, nolle recitare; ſed ſi dœmon ſit ita omni auxilio deſtitutus, & in malo obſtinatus, ac ſola potentia libera libertate contradictionis potens peccare, non poſſet retractare electionem pravam mali, à qua procedit talis impotentia: ergo nil poſſet ei imputari ad culpam; & vt illi imputetur, debet eſſe aliter potés.

25 Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: Nam quando impotentia ad benè operandum, & conſtitutio in actu peccandi, ſeu operandi malè, & non benè, eſt voluntaria, & procedens ex voluntate, & electione libera, ac plenè deliberata, non excuſat à culpa pravè operantem: vt conſtat prædictis exemplis. Cumquè talis impotentia dœmonis, & conſtitutio in ſtatu prædicto ſic procedat: ideò non excuſat eum. Homo autem, ita privatus breviario, non excuſatur, dum non retractat; propter rationem inſtantiæ: quia non eſt conſtitutus in tanta miſeria, vt ſit impotens benè operari, & retractare operationem pravam antecedentem, ſed manet potens, & expeditus retractare. Quare ſi dum inſtat præceptum recitandi, eam non retractet, intelligitur denuò velle non recitare, ſive non adimplere præceptum: ac perinde peccat. Si verò ſemel retractet proiectionem; & neſciens recitare memoriter, interea non recitet, ei iam non imputatur ad culpam: quia facti pœnituit, & vellet recitare, ſi poſſet. Quod nequit evenire in dœmone.

26 Conr. Etſi prædicta impotentia dœmonis oritur ex culpa ſua, excuſaret eum à pecca-

to: ergo. Prob. ant. Si Deus alicui homini in pœnam ſui peccati denegaret auxilia ſufficientia, ſimilis impotẽtia ad bonum oriretur à culpa ſua; ſed excuſaret eum à peccato, dum pravè operaretur: ergo. Reſp. Nego conſ. Ratio eſt: nam vt impotentia, orta ex culpa, à peccato excuſet, requiritur, quod non ſit prẹviſa. Cumq; prædicta nõ ſit ab homine prẹviſa, cũ videat, quod Deus homini peccãti multoties non negavit, ſed miſericors cõceſsit auxilia ſufficientia, & efficacia, quibus pœniteat, & operetur bonum; ab Angelo autem præviſa ſit: cum adverterit, quod maneret impœnitens, ſi ſemel peccatum committeret: ideò talis impotentia excuſat hominem, & non dœmonem. Cuius doctrina adeſt exemplum in moralibus: Nam ſi quis apponat opus incõponibile cum adimpletione præcepti, cum advertentia, & præviſione impotẽtiæ ad eius obſervantiam, omiſſio adimpletionis imputatur ei ad culpam. Vnde propterea, non auditio Sacri eſt peccaminoſa in tradito ſomno, cum advertentia, & præviſione ſuæ permanentiæ in illo, dum inſtet præceptum auditionis.

27 Arg. 4. Voluntas dœmonis eſſet obſtinata in malo, & in peccato, quod primò commiſsit; ſed non eſt obſtinata in illo: ergo in nullo. Prob. minor. Voluntas dœmonis non eſt obſtinata in peccato non manente; ſed primum peccatum hominis non manet: ergo. Prob. min. Superbia non manet in dœmone; ſed primum peccatum dœmonis fuit ſuperbia: ergo. Prob. mai. Dum non perſeverat motivum ſuperbiæ, non manet ſuperbia; ſed in dœmone non perſeverat motivum ſuperbiæ: ergo. Min. conſtat: Nam motivum fuit propria excellentia; quam dœmon iam non exiſtimat poſſe obtinere.

28 Reſp. diſt. mai. Quantum ad appetitum, nego mai. Quantum ad intelligentiam antecedentem, conc. mai. & min. & ita diſt. conſeq. Poſtquam enim quis peccavit, poteſt attendi intelligentia, & appetitus illius; & illa mutata, hic perſeveraret pravus: Sicquè perſeverat, & permanet peccatum. Sicut exiſtimans poſſe efficere homicidium, volenſquè exequi ipſum, etſi poſtea videat ei ademptam poteſtatem, poteſt perſeverare in tali voluntate prava, qua velit feciſſe, aut facere, ſi poſſet: itaquè maneret in ipſo peccatum. Cum igitur huiuſmodi appetitus, & voluntas maneat in dœmone, etſi intelligat non poſſe pervenire ad excellentiam, vt voluit eam: ideò primum peccatum ita manet in eo, in quo perſeverat obſtinatus. Ita Divus

Tho-

Thomas ad 3. aſſerens: *Adhùc manet in diabolo peccatum, quo primò peccavit, quantum ad appetitum, licèt non quantum ad hoc, quod credat ſe poſſe obtinere.*

29 Cont. Superbia dœmonis poteſt non perſeverare quoad appetitum: ergo. Prob. ant. Dœmon non quieſcit naturaliter, ſed liberè in fine pravo, qui fuit motivum ſuperbiæ: ergo. Conſeq. patet: Cum eo ipſo poſsit liberè deſiſtere à tali fine, & motivo. Prob. ant. Quies in fine proportionatur cum motu ad finem; ſed dœmon motus eſt, non naturaliter, ſed liberè in finem pravum, qui fuit motivum ſuperbiæ: ergo. Reſp. diſt. mai. Quies, vt correſpondens alteri principio, nego mai. Motui, conc. mai. & minor. & nego conſ. Quieſcere namquè in fine, & termino motus liberi correſpondet libero arbitrio eligenti, & ſemoventi; & etiam naturæ ſubiecti ipſius. Quies enim, vt primo modo correſpondens, eſt libera ea libertate, qua motus fuit liber, & voluit eligere: ſiquidem eſt libera à fine, vt electo. Cum verò natura ſubiecti liberi arbitrij eſt talis, vt ſuppoſita electione alicuius, ei adhæreat fixè, & immobiliter; ex ſuppoſitione talis electionis, quies, vt naturæ correſpondens, eſt naturalis. Et cum natura Angeli, & dœmonis ſit huiuſmodi; ideò eſt ita naturalis; nec poteſt deſiſtere ab illa, nec à tali appetitu: ſicquè eius ſuperbia, & primum peccatum perſeverat.

30 Cont. Quies in peccato non proportionatur naturæ: ergo. Prob. ant. Quies in peccato nulli eſt naturalis: ergo. Antec. patet: Siquidem nullus ex natura ſua peccat, nec permanet in peccato; ſed liberè, & pro libertate ſua. Reſp. diſt. ant. In peccato ex ratione peccati, conc. ant. Ex ratione electionis deliberatę, nego ant. & ita diſt. conſ. Cum enim natura creaturæ inclinetur primariò in bonum; & nulli conveniat ex neceſsitate peccare, nec permanere in peccato, ſed vtrumque ſit ei liberum, præcipue attenta ratione peccati, & malitię: Sic quies in peccato non eſt naturalis, ſed libera Angelo. Conſiderata autem electione deliberata, & plena, qua peccavit, eſt naturalis ei permanentia, & quies in actu peccati, ſub tali ratione: nam ex natura ſua habet adhærere fixè, & immobiliter fini ita inſpecto. Unde talis quies ſic eſt ei naturalis. Vel poteſt dici: Quod non eſt illi naturalis abſolutè, ſed ex tali ſuppoſitione libera electionis prædictæ.

31 Arg. 5. Obſtinatus in malo, nunquam operatur bonum; ſed dœmon aliquando operatus eſt bonum; ergo. Prob. minor. Dœ-

Dœmon confeſſus eſt veritatem, dicens de Chriſto Domino Marci 1. *Scio qui ſis, Sanctus Dei.* Et Jac 3.dicitur: *Et Dœmones credunt, & contremiſcunt.* Et S.Dion. 4.de divin. Nomin.ait: *Bonum, & optimum concupiſcunt, eſſe, vivere, & intelligere*: ergo. Reſp. admitto, & explico has author. cum Ang. Mag.ad 5. ita eas exponente: *Actus Dœmonis eſt duplex. Quidam ſcilicet ex voluntate deliberata procedens, & is propriè poteſt dici actus eius. Et talis actus Dœmonis ſemper eſt malus. Quia etſi aliquando aliquod bonum faciat, non tamen benè facit. Sicut dum veritatem dicit vt decipiat, & dum non voluntariè credit, & confitetur, ſed rerum evidentia coactus. Alius autem actus Dœmonis eſt naturalis: qui bonus eſſe poteſt, & atteſtatur bonitati naturæ. Et tamen tali bono actu abutuntur ad malum.*

32 Cont. Præfata confeſsio nec ſic eſt actus malus:ergo Probat.ant. Dœmon in ea non operatur malè; ſed Dœmon in actu malo operatur malè: ergo. Prob. mai. Ex eo, quod in ea non operetur benè, non ſequitur, quod operetur malè: ergo. Prob.ant. Hæc conſequentia non valet: Aliquid fit non benè: ergo fit malè: ergo. Antec.patet: Nam videtur ſophiſma conſequentis: Quia *non benè*, & dicitur de malo, quod eſt contrarium bono; & de non bono negativè, quod opponitur negativè, ſeu contradictoriè bono, & non eſt poſitivè malum.

33 Reſp.diſt.ant. Non valet ſimpliciter, & in omnibus,conc. ant. In obſtinato in malo, nego ant. & conſ. Cum enim voluntas libera,non obſtinata in malo,nec confirmata in bono, poſsit abſolutè elicere quodlibet exercitium liberum ſui, ambiens bonum, & malum, vtriuſque ſuſpenſionem, atque non bonum negativè, modo propoſito; in ea non valet: Hoc fit non benè: ergo fit malè. Nec è contrà. Et præcipuè attenta bonitate morali: nam in carente gratia, honoratio parẽtum fit ita non benè, & non fit malè: quia non ordinat tale opus in finem malum, quod neceſſe erat vt fieret malè, & foret actus malus. Obſtinata autem in malo, quod facit non benè, ordinat in finem malum, cui adhæret fixè, & immobiliter. Imò omnia ordinat in illum,& propter eum vult, quidquid vult. Vnde voluntas Dœmonis ita obſtinata ordinat, & vult omnia, talem confeſsionem, timorem, & deſiderium propter ſuum finem pravum: Et in ea valet: Fit non benè: ergo fit malè. Sicut in confirmata in bono,quia ei adhæret immobiliter, & cuncta ordinat in bonum, tenet: Fit non malè; ergo fit benè. Imò hæc om-

omnia benè facit, cum obſtinata cuncta malefaciat. Huius rationem aſsignat Emin. Caietanus, nam proportionem, quam voluntas confirmata in bono, habet cum ſuo fine bono, obſtinata in malo habet cum fine ſuo malo. Quare non benè arguitur à voluntate ad voluntatem obſtinatam: nam committitur ſophiſma figuræ dictionis.

34 Arg. 6. cont. concluſ. Ex eodem habent dœmones, ac animæ damnatorum obſtinationem in malo; ſed animæ damnatorum eam habent ex ſola ſubſtractione gratiæ divinæ, & ratione ſtatus: ergo etiam dœmones. Maior patet in Divo Thoma in 2. diſt. 7. quæſt. 1. art. 2. Min. conſtat: Siquidem eam non habent ex immobilitate iudicij, nec inflexibilitate liberi arbitrij, cum animę ſeparatæ cognoſcant componendo, & diſcurrendo, vt docet Ang. Præcept. in 3. diſtin. 31. quæſt. 2. art. 4.

35 Reſp. diſt. mai. Ex eodem intrinſeco, nego mai. Extrinſeco, conc. mai. & min. & nego conſeq. Cum Ang. Doct. loc. cit. concedat diſcurſum in animabus ſeparatis damnatorum; & 3. part. quæſt. 11. art. 3. ad 3. in animabus beatorum; iuxta hoc dicendum eſt, quod in 2. Sent. parificat obſtinationem dœmonum, & animarum damnatarum quantum ad cauſam extrinſecam illius, quæ eſt ſubſtractio gratiæ, & ſtatus, ſeu terminus vltimus, in quo ſunt. Non verò quantum ad intrinſecam, quæ in dœmonibus eſt inflexibilitas naturalis, eo quod apprehendunt, & iudicant immobiliter, quia ſimplici intuitu percipiunt omnia; non tamen animæ ſeparatæ, quæ diſcurſu cognoſcunt. Hoc patet ex contextu Divi Thomæ. Advertit tamen Magiſter Garraſco: quod loquitur in Sententia aliorum, qua ſolùm vt probabili vtitur: nam in propria docet: Animas ſeparatas cõvenire cum Angelis in modo intelligendi, vt conſtat 1. part. q. 88. & 2. cont. Gent. cap. 82. Iuxta quod videtur dicendum: quod intelligunt ſimplici intuitu, & ſine diſcurſu; & quod ſunt etiam inflexibiles, & obſtinatio oritur ex earum inflexibilitate, & immutabili modo operandi, ſicut in dœmonibus. Hic modus reſpondendi aſsignatur à prædicto Magiſtro, vt probabilior. Veruntamen cum anima ſeparata, non quia talis, ſecundùm ſe, nec ſpecificativè accepta; ſed quia ſeparata, ita intelligat; & non omnia clarè, nec perfectè, ſicut Angelus, ſed aliqua in communi, & non ſtatim, vt docet D. Thom. q. 88. citata, non habebit talem immutabilitatem, & inflexibilitatem, ſicut Angelus, qui ſecundùm ſe

ha-

habet illam; ſed ratione talis ſtatus. Vnde in ea, & in Angelo aliter orietur obſtinatio quantum ad cauſam intrinſecam, & ſolùm eodem modo quantum ad extrinſecam ſubſtractionis gratiæ, & ſtatus finalis.

36 Cont. S. Joannes Damaſcenus lib. 2. de Fide cap. 3. ait de Angelis: *Nunc vero ea iam conditione ſunt; vt nec vix quidem moveri, atque inflecti queant; quod tamen non eorum naturæ, ſed gratiæ tribuendum eſt*: ergo quod nequeant inflecti, & maneant obſtinati, provenit quoque vnicè ex ſubſtractione gratiæ: Reſp admitto, & explico auth. In qua S.P. loquitur de Angelis confirmatis in gratia, quorum inflexibilitas naturalis non erat ſufficiens, ſine gratia, ad conſervandum amorem ſupernaturalem Dei, perſeverandum in bono, & eos præſervandum à malo, cuius cauſa principalis eſt gratia: etſi iuxta naturam eorum, immobilitatem, & inflexibilitatem liberi arbitrij ſit permanentia in bono, poſtquam deliberatè elegerunt illud. Similiter ergo, licèt permanentia in malo proveniat à ſubſtractione gratiæ, vt à cauſa extrinſeca, provenit à tali immobilitate, & inflexibilitate, vt ab intrinſeca. In hoc ſenſu, cap. 4. docet: Angelos, poſt lapſum, non habere locum pœnitentiæ, nec eſſe capaces illius. Et S. Iſi[...] lib. 1. de ſum. bono cap. 10. *Diabolus ideò non petit veniam, [...] non compungitur ad pœnitentiam*

37 Arg. 7. Voluntas Dæ[...]nis non eſt inflexibilis poſt [...]ctionem: ergo obſtinatio [...] nequaquam provenit ab inflexi[...]litate. Prob. ant. Voluntas D[...]monis poteſt mutare electione[...] ergo. Prob. antec. Si non po[...] mutare electionem, eſſet, q[...] non poteſt mutare iudicium; licet non poſsit mutare iudiciu[...] poteſt mutare electionem: er[...] Prob. min. Non mutato iudic[...] poteſt voluntas Dœmonis mu[...]re electionem: ergo. Prob. ant Voluntas ſe determinata ad e[...]ctionem per iudicium indif[...]rens; ſed non mutato iudicio [...]differente, poteſt voluntas D[...]monis mutare electionem: er[...] Mai. patet: Siquidem liber[...] fundatur in indifferentia iu[...]cij. Min. conſtat: Nam per iu[...]cium indifferens proponit vtrumque oppoſitum, vt conv[...]niens. Unde ſicut voluntas [...] facto elegit vnum extremu[...] non mutato iudicio, quia fi[...] propoſitum vt conveniens; [...]terit mutare electionem, & e[...]gere aliud, quia etiam ma[...] propoſitum vt conveniens.

38 Reſp. diſt. mai. Determ[...]natur vltimò, & completè, ne[...] mai. Aliqualiter, conc. maior.

min.& diſt.conſ. Iudicio indifferente ſolo, conc.conſ. Practico determinato, nego conſ. A principio vtique, vt indifferente, nequit oriri determinatio, maximè vltima, & completa. Quare vt voluntas vltimò, & completè ſe determinet ad electionem, non ſufficit tale judicium indifferẽs, ſed requiritur practicum determinatum; vt dictum eſt Tract. 5. quæſt. 1. Cumque voluntas Angeli, & Dœmonis nequeat mutare tale iudicium determinatum, quo immutato, nec poteſt mutare electionem: ideò nequit eam mutare, & eſt inflexibilis poſt electionem.

39 Cont. Voluntas Dœmonis poſt tale iudicium determinatum, & electionem poteſt eligere oppoſitum: ergo & mutare electionem, tali iudicio non mutato. Prob.ant. Voluntas Dœmonis manet æquè libera poſt illud iudicium, ac ante illud; ſed ante illud poterat in vi iudicij indifferentis eligere oppoſitum eius, quod de facto elegit: ergo. Mai.eſt certa: Alias eligeret neceſſariò, & non liberè. Reſpond. diſt.mai. Libera ex ſuppoſitione, nego mai. Abſolutè, conc.maior. & min.& nego conſ. Tale enim iudicium determinatum fit ab intellectu, vt moto à voluntate, quæ eſt primum movens quoad exercitium, quatenus voluntas, ſuppoſito iudicio indifferente mediorum quodammodo afficitur ad vnum præ alio; ex quo movet intellectum, vt illud ſibi proponat eligendum. Et propterea tale iudicium determinatum eſt liberum, ex libera determinatione voluntatis procedens; & intellectus ſic motus participat efficaciam à voluntate: atque exinde prædictum iudicium eſt efficax, movens voluntatem ad electionem mediorum, & infallibiliter inferens illam; vt loc.cit. dictum eſt. Unde voluntas ex ſuppoſitione illius non eſt libera, ſed neceſsitata ad electionem; licèt abſolutè ſit libera: quia potuit non ita movere intellectum, & non communicare ei efficaciam, vt eam ſic iterum moveret: Cumquè hoc ipſo, voluntas Dœmonis non poſsit mutare electionem, non mutato tali iudicio; quod nequit mutare, ſicut voluntas humana, propter ſupradicta: ideò non poteſt.

40 Volũtas Dœmonis etiam in tali ſuppoſitione eſt libera: ergo. Prob.ant. Voluntas dœmonis poteſt mutare primam affectionem, qua ita movet, & determinat intellectum ad formandum tale iudicium practicum de amore inordinato propriæ excellentiæ: ergo. Prob. ant. Si non poſſet, immutabilitas iudicij reduceretur in voluntatis immobili-

tatem, & non è contrà; ſed hoc eſt falſum, vt viſum eſt: ergo. Maior patet: Nā determinatio prædicti iudicij oritur ex ea. Prob. min. Dictum eſt, quod immobilitas voluntatis reducitur in talis iudicij immutabilitatem: ergo.

41 Reſp. diſt. ant. In electione perfectâ, conc. ant. In alia, nego ant. & ita diſt. conſ. Licèt immobilitas voluntatis in electione perfecta, plena, & vltimò determinata reducatur in prędicti iudicij immutabilitatem; vt dictū eſt. Immobilitas autem voluntatis in affectione, qua movet intellectum ad tale iudicium, quæ dicitur electio imperfecta, & incohata, non reducitur in immutabilitatem iudicij, ſed è contra; vt probat inſtantia. Imò, vt probabimus, immutabilitas iudicij non ſumitur præcipuè ab ea, ſed immutabilitate cognitionis, & apprehenſionis, in quam, vt radicem reducitur. Nomine autem iudicij practici intelligimus vtrūque, nempè, actum intellectus, & affectionem volūtatis, media qua movetur intellectus ad ſic iudicandum, & à qua iudicium participat efficaciam. Exinde vtique dœmon neutrum poteſt mutare: quia nequit proponi voluntati novum motivum, vt aliter reficiatur, nec vt aliter moveat intellectum, vt mutet priorem electionem, & eliciat aliam. Sicque tale iudicium practicum de amore inordinato propriæ excellentiæ manet immutatum, & immutabile.

42 Cont. Immobilitas volūtatis prout ſic nequit reduci in immutabilitatem cognitionis, & apprehenſionis: ergo omnis reducitur in iudicium practicum; & immutabilitas huius non reducitur in illam. Prob. ant. Talis cognitio, & apprehenſio nequit regulare voluntatem; ſed immobilitas eius prout ſic debet reduci in immutabilitatem ſuæ regulæ: ergo. Prob. mai. Actus ſpeculativus intellectus non regulat voluntatem: ergo. Ant. eſt certum: Nam intellectus, ſolùm prout practicus, regulat voluntatem.

43 Reſp. diſt. ant. Non regulat moraliter, conc. ant. Phyſicè, nego ant. & ita diſt. conſ. Regula moralis voluntatis eſt intellectus, vt practicus; & actus voluntatis regula, eſt actus intellectus, qui dictat quid hic, & nunc eſt faciendum, movens efficaciter voluntatem vt faciat. Intellectus autem, vt ſpeculativus, poteſt regulare phyſicè voluntatem, & actus ſpeculativus eius actum voluntatis, præcipuè cum proponit omnia motiva pro iudicio practico, & electione; & novum non poteſt occurrere, propter quod nec ille poteſt mutari. Cumque cognitio, & apprehenſio Angeli,

&

& dœmonis ſit huiuſmodi: ideò ita regulat actum voluntatis, & in ipſam reducitur eius immobilitas, ſaltim vt in cauſam infallibiliter inferentem immutabilitatem judicij, & electionis.

44 Si inſtes: Quod ſi iudicium practicum ſit ita immutabile, obſtinatio dœmonis in malo conſiſtet in eo, & pręcedet electionem voluntatis: nam ex vi illius volũtas iam non poteſt eligere oppoſitum; ſed non conſiſtit in eo ſed in converſione fixa, & immobili ad obiectũ pravum, quæ eſt electio voluntatis: ergo. Reſp. Quod obſtinatio incohata, vt in cauſa, & in radice, conſiſtit in eo, & præcedit electionem perfectam. Obſtinatio autem perfecta, in ſe, & formaliter ſumpta non; ſed conſiſtit in tali converſione, & electione, tale iudicium ſupponente. Sicut propterea non conſiſtit in affectione movẽte intellectum ad iudicium practicum; nec in cognitione, & apprehenſione præcedente talem affectionem.

45 Arg. 8. & poteſt eſſe inſtantia. Dœmon poteſt mutare iudicium: ergo & electionem. Prob. ant. De facto mutavit iudicium circa mortem Chriſti Domini: ergo. Prob. ant. Primò iudicavit, Chriſtum eſſe purum hominem, mortemque eius eſſe ſibi convenientem; ſed poſtea iudicavit, eſſe Deum, & mortem fore ſibi pernicioſam: ergo. Mai. patet Ioann. 13. nam procuravit diligenter mortem Chriſti, cum miſsit in cor Iudæ, vt traderet illum Iudæis. Min. conſtat Matthæi 27. Siquidem poſtea connatus eſt, per vxorem ſuadere Pilato, vt non crucifigeret eum.

46 Reſp. diſt. mai. Iudicavit certò, nego mai. Coniecturaliter, conc. mai. & min. & diſt. conſeq. Iudicium coniecturale, conc. conſeq. Certum, nego conſ. Iudicium certum Angeli eſt perfectum, totale, & completum, quo certè cognoſcit omnia, vt ſunt, etiam quoad circumſtantias. Coniecturale eſt: cum non ita, ſed ſub dubio, & ſuſpitione procedit. Et licèt Dœmon poſsit mutare hoc, cum advenit novum motivum oppoſitum; non verò illud. Cumque iudicium Dœmonis circa mortem Chriſti fuerit coniecturale; & iudicium, quo peccavit, omninò certum, totale, & perfectum: ideò mutavit illud, & non poteſt mutare iſtud.

47 Cont. Dœmon poteſt mutare iudicium certum, determinatum, totale, & completum: ergo. Prob. ant. In primo inſtanti ſuę creationis habuit iudicium certum, determinatum, & completum de bonitate Dei; ſed mutavit tale iudicium in ſecundo inſtanti, dum peccavit: ergo.

Mai.patet: Siquidem in primo inſtanti fuit bonus, & cognovit quæ debuit de Deo, quem amavit. Min.conſtat: Nam mutavit intellectum, & voluntatem, iudicans propriam excellentiam inconſideratè, ſine ordine, & ſubiectione debita ad Deum; quam ita diligens, peccavit.

48 Reſp diſt.mai. Plenè deliberatum, nego mai. Non plenè deliberatum, conc.mai. & min. & ita diſt. conſ. Iudicium namque determinatum, abſolutè liberum, efformatur ex ſpeciali Dei motione, & applicatione, & non ex propria Angeli: Sicquè eſt determinatum ad bonum, & liberum quoad exercitium; non quoad ſpecificationem. Iudicium autem plenè deliberatum fit propria motione, & applicatione; ſupponit indifferentiam ad bonum, & malum; & in creatura eſt liberum, etiam quoad ſpecificationem. Et licèt Angelus poſſit mutare illud iudicium liberum; non tamen iſtud deliberatum: quia in hoc, & non in illo, advertit omnes, & ſingulas rationes, & circunſtantias obiecti, vt diligat, vel non diligat illud: & exinde determinatus ad vnũ, non reſtat ei locus, vt ipſum relinquat, & in aliud propendat. Cumque iudicium Angeli in primo inſtanti fuerit liberum, ſed non plenè deliberatum, ſicut in ſecundo, cum peccavit: ideò potuit mutare illud, & non hoc. Quod aliqualiter patet in homine: qui plus permanet in obiecti amore, ad quem propria deliberatione motus, & applicatus eſt, quàm in amore ex imperio, & applicatione alterius: quia magis placet obiectum, electum primo modo, quàm ſecundo.

49 Cont. Dœmon poteſt mutare iudicium determinatum, & plenè deliberatum: ergo. Probat antec. Iudicium determinatum, quo peccavit, fuit ita deliberatum; ſed de facto mutavit tale iudicium: ergo. Prob.min. Tale iudicium proceſsit ex inconſideratione illius, quod debuerat conſiderare; ſed modo videt, & cognoſcit, non conſideraſſe, quod debuerat: ergo. Mai.patet quæſt.ant.art.6. Minor conſtat: Siquidem videt, fore illud impoſsibile. Reſp. diſt.min. Cognoſcit ſpeculativè, conc.minor. Practicè, nego min.& conſ. Cognitio ſpeculativa reſpicit obiectum, vt verum, & in ſe. Practica, vt proſequibile. Licèt enim Dœmon cognoſcat illud tunc inconſideratum ſecundùm ſe, & ſpecificativè videat ipſum, ſicut & cognovit in inſtanti, in quo peccavit; & practicè etiam in primo inſtanti, in quo rectè proceſsit; modo non cognoſcit practicè, & affectivè illud, ſed per-

ſe-

ſeverat in tali inconſideratione, & in appetitu inordinato propriç excellentiæ. Quare Angel.Mag. ad 3. ait: *Adhuc manet in diabolo peccatum, quo primò peccavit quantum ad appetitum, licèt non quantum ad hoc, quod credat ſe poſſe obtinere.* Cumquè hoc ſit, non mutaſſe tale iudicium practicum deliberatum: hinc eſt, quod non mutavit illud. In hoc ſenſu dicit S.Gregor. lib.34. Moral. cap.4. *Appetitum itaque celſitudinis vertit in rigorem mentis, vt damnatus iam per duritiam ſe malè egiſſe non ſentiat.*

50 Cont. Eo quod Dœmon cognoſcat ſpeculativè tunc inconſiderata, poteſt mutare tale iudicium practicum deliberatum: ergo. Prob.antec. Cum occurrit novum motivum, poteſt quis mutare iudicium practicum, quamtumvis deliberatum; ſed Dœmoni cognoſcenti ſpeculativè tunc inconſiderata occurrit novum motivum: ergo. Probat. min. Dœmoni ſic cognoſcenti occurrit eſſe ſibi conveniens deſiſtere ab amore inordinato propriæ excellentiæ, ipſam amare cum ſubiectione ad Deum, & exercere ſuam libertatem in retractatione ſuperbiæ, & in actu humilitatis: Et quia hoc in ſe eſt appetibile: & propter experientiam acerbitatis pœnarum, & remorſum conſcientiç, quem modo eſt expertus; ſed hoc eſt novum motivum ſufficiens mutandi tale iudicium: ergo. Reſp. diſt. maior. Occurrit de novo, nego mai. Non de novo, conc. mai. & min. & nego conſ. Omnes Angeli in primo inſtanti ſuæ conditionis, cum eſſent boni, & ornati lumine fidei, cognoverunt omnia prædicta, antequam peccarent, tàm ſpeculativè, quàm practicè; & etiam ſpeculativè in inſtanti, in quo dœmones peccaverunt. Nihilominus, hi noluerunt vti tali cognitione, ad formandum iudicium practicū de amore ſuæ excellentiæ, cum ſubiectione ad Deum; & inconſideratè formaverunt illud, ſine tali ſubiectione. Quod fuit interpretativè, implicitè, virtualiter, & ex parte modi iudicare propriam excellentiam diligendam ſine illa: & hoc eſſe melius, & magis conveniens illis. Cumque de novo iam aliud eis non occurrat, etſi interveniat talis cognitio ſpeculativa, quæ eſt quaſi non eſſet, ad effectum mutandi tale iudicium: ideò Dœmon non poteſt mutare illud.

51 Nec Angelo, etſi non cognoſcat futura contingentia, poteſt occurrere nova circunſtantia pertinens ad propriam excellentiam: quia antea iam omnes fuerunt cognitæ. Etſi fuerit impertinens, non conducit ad mutan-

tan-

tandum iudicium. Nec poteſt vti inadæquatè ſpecie, vt repræſentet obiectum, & non omnia prædicata, & circumſtantias illius: nam foret cognitio imperfecta, & cognitio Angeli eſt perfectiſſima, attingens ſimplici intuitu cuncta obiecti; etſi pro ſua libertate, vt formet iudicium practicum, attendat vnam circumſtantiam potius, quàm aliam. Cum verò vna ſpecies ei plura obiecta repræſentat, ita vt cognitio vnius non conducat ad formandum iudicium de alio, poteſt vti inadæquatè ſpecie, vt repræſentante vnum, & non aliud. Sic enim poteſt vti ſpecie animalis, vt repræſentante hominem, & non leonem.

52 Arg. 9. Angelus poteſt mutare electionem circa ſupernaturalia: ergo etiam Dæmon circa peccatum. Conſeq. patet: Cum oppoſitorum eadem ſit ratio, & peccatum ſit oppoſitum gratiæ, quam amiſsit per peccatum. Prob. ant. Angelus poteſt mutare iudicium circa obiecta ſupernaturalia: ergo. Prob. ant. Non adhæret immobiliter obiectis ſupernaturalibus: ergo. Prob. ant. Quia Angelus adhæret immobiliter obiectis naturalibus, eſt inditum ei à natura lumen pro cognitione perfecta naturalium; ſed non eſt ei inditum à natura lumen pro cognitione ſupernaturalium: ergo. Min. patet: Cum iſtud lumen ſit ſupernaturale, infuſum ex gratia Dei, Authoris ſupernaturalis.

53 Reſp. diſt. min. Et eſt à Deo inditum, iuxtà modum luminis naturalis, conc. minor. Et non eſt à Deo ita inditum, nego min. & conſ. Gratia enim non deſtruit, nec imperficit, ſed perficit naturam: & ſimiliter ſupernaturale naturale. Unde ſicut Angelo eſt inditum à natura lumen pro cognitione perfecta naturalium, quæ cognoſcit perfectè, & diſtinctè ſimplici intuitu; & propterea nequit mutare iudicium circa ea; ita Deus ei infundit lumẽ ſupernaturale pro cognitione perfecta ſupernaturalium: quod eſt iuxtà modum luminis naturalis, quo ſimplici intuitu cognoſcat ſimiliter ſupernaturalia; vt vidimus Tractat. ant. quæſt. 3. art. 7. Quapropter non poteſt mutare iudicium circa ſupernaturalia, eiſquè immobiliter adhæret. Cumque hoc ſit, non poſſe mutare electionem circa ſupernaturalia: ideò non poteſt.

54 Cont. Angelo non eſt inditum à Deo, pro cognitione perfecta ſupernaturalium, lumen ſupernaturale, iuxtà modum luminis naturalis: ergo. Prob. ant. Omnis cognitio naturalis Angeli, elicita lumine naturali, etiam

in primo inſtanti ſuę creationis, eſt immutabilis; ſed cognitio ſupernaturalis Angeli, elicita medio tali lumine, in primo inſtanti, non eſt immutabilis: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia Angelus erga cognitionem naturalem eodem modo, & eadem diſpoſitione ſe habet in primo, ac in ſecundo inſtanti: cum in neutro habeat indifferentiam ad bonum, & malum; ſed ex natura ſua ſit determinatus ad verum, & bonum naturale, & ornatus omni comprincipio pro cognitione perfecta illius: quam ideò nequit in vllo inſtanti mutare. Circa ſupernaturalem autem nō eodem modo, nec eadem diſpoſitione ſe habet in vtroque: nam in primo inſtanti non habet indifferentiam ad bonum, & malum: cum ſit determinatus ad bonum ſupernaturale, ad quod ſpeciali motione applicatur à ſolo Deo. In ſecundo tamen habet indifferentiam ad vtrumque, & procedit propria applicatione, atque plena libertate, & deliberatione. Quare in ſecundo inſtanti poteſt mutare cognitionem, quam habuit in primo, non vtendo lumine ſupernaturali, vt debet; nec eo ſe dirigens, vt rectè operetur; ſed relinquens lucem illius, adhærere dictamini, & fini oppoſito, & pravo. Ex quo non ſequitur; quod lumen ſupernaturale, ei inditum, non ſit iuxtà modum luminis naturalis in cognoſcendo ſimplici intuitu: ſed quod Angelus eo non operetur iuxtà modum naturæ, dum deliberatè procedit, & vt indifferens ad bonum, & malum: cum eo liberè vtatur, vt vult. Poſtquam autem ſemel deliberatè procedit in cognitione, iudicio, & electione, iam eo operatur modo immutabili, & modo ſimili ſuæ naturæ.

55 Arg. 10. Dæmon obſtinatus in malo, poteſt elicere aliquam operationem ex nullo pravo fine viciatam: ergo & facere aliquod opus bonum morale. Prob. ant. Homo peccans mortaliter in via, manet habitualiter converſus ad finem malum; ſed poteſt tunc elicere aliquam operationem ex nullo fine pravo viciatam: ergo. Min. patet: Cum elargitur eleemoſynam, vt pauperi ſuccurat. Reſp. nego conſeq. Ratio eſt: Nam homo in via vtitur habitibus cum, quando, & quomodo vult: cum non ſit determinatus, nec neceſſitatus eis, aut ſecundum eos operari. Quare exiſtens in peccato mortali, & habitualiter converſus ad malum, poteſt non operari; & non vti tali habitu, aut determinatione habituali, & elicere operationem ex alio fine non pravo, nulloque pacto viciatam; vt ſi elar-

gia-

giatur eleemoſynam, vt pauperi ſubveniat. Quod opus erit bonum morale, etſi non meritorium: quia caret gratia, quæ eſt principium meriti. Dœmon autem obſtinatus non ſic procedit: nam ex vi electionis pravæ deliberatæ, qua primò peccavit, permanſit determinatus, & neceſsitatus quoad ſpeciem ad finem pravum: eo quod voluntas eius ſic affecta, verſa eſt in naturam, ita vt talis finis pravus, nempe, excellentia propria inconſideratè, & inordinatè inſpecta, factus ſit illi vniverſaliſsimus, ad quem ex tunc, quaſi naturaliter inclinatus, omnia ordinat, ſaltim virtualiter. Unde ſemper operatur ex tali pravo fine, & non poteſt efficere opus morale.

56 Cont. Dœmon ex vi electionis pravæ non eſt ita determinatus ad finem malum: ergo. Prob. ant. Voluntas ita affecta non eſt ſic verſa in naturam, vt ſemper operetur ex tali affectione: ergo. Prob. ant. Si ita eſſet verſa in naturam, eſſet in poteſtate libera Angeli addere ſuæ naturæ aliquid, quod eſſet ei naturale; ſed hoc non eſt in poteſtate libera Angeli: ergo. Mai. patet: Nam electio finis pravi fuit libera Angelo, & Dœmoni foret iam ita naturalis. Minor. conſtat: Siquidem nulla creatura poteſt ſibi addere, nec adimere aliquid de naturalibus. Hoc enim eſt proprium Dei, vt Authoris naturæ.

57 Reſp. diſt. mai. Addere per modum efficientis, nego maior. Determinantis, conc. mai. & diſt. min. Per modum efficientis, conc. min. Determinantis, nego min. & conſeq. Licèt efficere aliquid naturale, itaque illud naturæ addere, aut adimere, non poſsit Angelo, nec creaturæ convenire: cum ſit proprium Dei. Determinare autem aliquam materiam, circa quam aliquis naturaliter ſe habeat, in quo ſtat tale addere per modum determinantis, competit creaturæ, & præcipuè Angelo, in cuius poteſtate libera eſt: nam cum Angelo conveniat naturaliter, & ex natura ſua firmari in eo, quod ſemel deliberatè, & plenè elegit, & talis electio ſit ei libera; eſt in ſua poteſtate firmari ſic in hac, vel illa materia, in quantum eſt liber, vt eligat hanc, vel illam. Ex ſuppoſitione tamen talis electionis iam eſt firmatus circa materiam electam, & naturaliter ſe habet ad illam, atque circa finem eius procedit naturaliter, & non liberè. Cumque hoc, & non aliud ſequatur ex eo, quod voluntas Dœmonis ſic affecta, ſit ita verſa in naturam, & ipſe determinatus ad finem pravum: ideò eſt. Qua doctrina hæc

ſolvitur inſtantia: Quod convenit naturaliter alicui, non convenit ei ex libera volitione ipſius; ſed prædicta electio eſt volitio libera Angeli: ergo ex vi illius nequit ei convenire naturaliter, reſpicere finem pravum. Non enim convenit effectivè, ſed determinativè.

58 Cont. Angelus nec per modum determinantis poteſt addere naturæ ſuæ aliquid naturale: ergo. Prob.ant. Angelus nec divinitus poteſt à ſe adimere quod eſt ſibi naturale; ſed quod ita adderet per modum determinantis, poſſet divinitus adimere: ergo. Min.patet: Cum Deus, vtens ſua abſoluta potentia, præberet Dœmoni auxilia ſufficientia, & efficacia ad retractationem voluntatis: tunc enim non procederet naturaliter erga pravum finem, nam de facto averteretur ab illo. Reſp.diſt.maior. Eſt ſibi ex aliqua ſuppoſitione naturale, nego mai. Ex terminis, & abſolutè, conc.mai.& min. & nego conſ. Licèt Angelus, nec divinitus poſsit à ſe adimere, quod abſolutè, & ex terminis eſt ſibi naturale: quare non poteſt à ſe adimere intellectum; poteſt quod ſolum eſt naturale ex ſuppoſitione, præcipuè ſibi libera: nam quod ipſe apposluit liberè, poteſt Deus de potentia abſoluta per ipſum auferre; cum non neceſsitet Deum, vt conſervet illud, nec vt per ipſum non auferat. Cumque illud, quod Angelus per modum determinantis adderet ſuæ naturæ, ſolùm foret ei naturale ex ſuppoſitione ſibi libera: ideò poſſet divinitus adimere ipſum.

59 Arg.11.Homo damnatus poteſt facere aliquod opus bonum naturale morale: ergo etiam Dœmon. Conſ.patet: Cum eadem ſit ratio vtriuſque. Probat. ant. Cognitio erroris anteactæ vitæ, & pœnitentię aliqualis, eſt ſaltim opus bonum naturale morale; ſed illa, & hæc eſt in homine damnato: ergo. Probat. min.ex Sap.5: vbi dicitur de hominibus damnatis: *Dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes: Ergo erravimus à via veritatis*: ergo. Reſp. admitto, & explico auth.dicendo: Quod hoc non fuit in damnatis opus bonum morale, adhùc naturale: nam talis cognitio erroris, & pœnitentia procedit ex ſuperbia, & invidia eorum: eo quod ægrè ferant, quod ipſi torqueantur, dum alij, in mundo ab ipſis deſpecti, ſalvantur: de quo eſt dolor ipſorum. Quod patet ex contextu: *Præ anguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt, quos habuimus aliquando inderiſum.*

60 Similiter exponitur Sacer Textus, dum dives epulo, conſtitutus in inferno, dicebat Abra-

Vuu hæ

hæ Luc 16. *Rogo ergo te pater mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* Vbi videtur procuraſſe libertatem fratrum ab inferno, & eorum pœnitentiam. Quod opus apparet bonum morale, ſaltim naturale. Veruntamen etiam proceſsit ex ſuperbia, & invidia: nam iudicabat, quod ipſo, & fratribus ſuis damnatis, alij gauderent in gloria. Vel dicebat hoc, ex dolore pœnæ, quā timebat augeri ex damnatione fratrum.

61 Cont. Naturalia permanſerunt integra in Angelo, & Dœmone; ſed opus bonum morale naturale non eſt ſupra facultatem naturalem Angeli: ergo. Mai. conſtat ex dictis cum Divo Thoma. Minor, patet: Et propterea ante peccatum poterat efficere illud. Reſp. diſt mai. Integritate phyſica, conc. maior. Morali, nego mai & diſt. minor. Cum integritate morali, conc. min. Phyſica ſola, nego min. & conſ. Natura in eſſe phyſico dicit ſola prædicata naturalia, & ordinis naturæ, phyſicè conſideratæ. In eſſe morali importat præcipuè intentionem finis, ex qua deſumitur ordo moralis. Et licèt naturalia Angeli in eſſe phyſico integra permanſerint poſt peccatum; vt docet Angel. Mag. Non tamen in eſſe morali; ſed maximè læſa: eo quod eius intentio remanſit depravata, ita vt omnia exequatur ex fine pravo. Vnde licet opus bonum morale naturale non excederet facultatem naturalem Angeli, ante peccatū, poſt illud excedit eam, imò ei repugnat: Sicquè non poteſt efficere illud. Quare Dœmon obſtinatus in malo, operans ſemper ex fine pravo, omnia vitiat, nullumquè opus eius eſt moraliter bonum: Sicque vitiat appetitum, quo vult eſſe, vivere, & dilectionem Dei, vt Authoris naturæ.

62 Cont. Naturalia Angeli permanſerunt integra moraliter poſt peccatum: ergo. Prob. ant. Dœmon ex voluntate peccati non manſit determinatus, vt exinde operaretur ex fine pravo: ergo. Prob. antec. Voluntas finis primi peccati Dœmonis non inficit neceſſariò ſequentes volitiones ſuas: ergo. Prob. antec. Voluntas, qua homo in via peccat mortaliter, non inficit neceſſariò ſequentes volitiones ſuas: ergo. Prob. conſ. Sicut primum peccatum Angeli fuit grave, ita peccatum mortale hominis in via eſt grave; ſed: ergo. Reſpon. nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia homo in via ex vi voluntatis, qua peccat, non manet obſtinatus in malo: ſicque nec determinatus

ad

ad illud, ſed indifferens ad bonum, & malum. Dœmon autem ex vi primi peccati manet ſic obſtinatus, determinatus, & non indifferens.

63 Cont. Voluntas primi peccati Angeli nec poteſt propterea inficere ſequentes: ergo. Prob.ant. Ut voluntas præterita inficiat ſequentes, opus eſt, vt operetur aliquid in eas; ſed voluntas primi peccati Angeli nil operatur in ſequentes: ergo. Prob.min. Ut operaretur in ſequentes, debebat permanere cum eis; ſed non permanet: cum præterita ſit: ergo. Reſpondeb. diſting. maior. Permanere formaliter, nego maior. Virtualiter, conc.maior. & diſting. minor. Formaliter, conc. minor. Virtualiter, nego minor.& conſeq. Permanentia formalis rei eſt in ſe. Virtualis in aliqua determinatione ſui. Hæc ſufficit, vt aliquid operetur. Et cum voluntas primi peccati Angeli derelinquat voluntatem eius determinatam, vt ſemper operetur ex eodem fine pravo ſuperbiæ, ad quem ordinat quidquid deinde vult: ideò permanet virtualiter in volitionibus ſequentibus. Quod ſufficit, vt inficiat illas.

## ARTICULUS TERTIUS.

### *DE DOLORE DOEMONIS.*

1 SUPPONO: Quod dolor, & gaudium, vt paſſiones, non poſſunt eſſe in Dœmonibus: Nam hæ ſunt propriæ appetitus ſenſitivi, qui non eſt in Angelis, nec in ſpiritibus, ſed in ſubiectis corporeis: cum ſint virtus organi corporei. Ut autem ſunt actus ſimplices voluntatis, poſſunt eſſe in illis, ſicquè eſt dolor in eis. Ita Divus Thomas artic.3. Quod fundat hoc modo: Peccatum Dęmonis eſt gravius, quàm peccatum hominis; ſed homo punitur dolore, pro delectatione peccati: ſecundum illud Apoc. 18 *Quantum glorificavit ſe, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum, & luctum*: ergo multò magis diabolus, qui maximè ſe glorificavit, punitur doloris luctu.

2 Prob. deinde ratione: Dolor, vt ſignificat ſimplicē actum voluntatis, eſt remiſſus voluntatis ad id, quod eſt, vel non eſt, quia vellet non eſſe, quod eſt; aut eſſe, quod non eſt; ſed iſte remiſſus voluntatis eſt in dœmonibus: ergo & dolor prædictus. Minor patet: Nam dœmones, vt invidi, vellent damnari eos, qui ſalvantur; & vellent non puniri, vt pu-

nimatur. Dolent ſimpliciter de ſua pœna: cum de ratione pœnæ ſit, repugnare voluntati. Etiam dolent, quia ſunt privati beatitudine, quam naturaliter appetunt. Hic autem dolor pertinet ad pœnam damni eorum. Conſtat ex Ang. Mag. in 4. diſt. 44. quæſt. 3. art. 2. quæſt. 1. & quæſt. 5. de malo art. 3. ad 3. Prob. ratione: Gaudium, & delectatio de viſione Dei pertinet ad beatitudinem eſſentialem, vt accidens perficiens illam: ergo dolor, & triſtitia de carentia viſionis Dei pertinet ad pœnam eſſentialem, qualis eſt pœna damni, vt complementum accidentale illius. Dolor namque proveniens ex cruciatu ignis, pertinebit ad pœnam ſenſus. Inſurgit nunc difficultas: An iſte dolor permittat in eis aliquod gaudium?

3 Concl. In dœmonibus eſt aliquod gaudium, non minuens eorum dolorem. Ita communiter Thomiſtæ. Et videtur expreſſa in Ang. Præcept. art 3 ad 1. Conſtat ex M. P. Aug. ibi cit. aſſerente: *Diabolus poteſtatem habet in eos qui Dei præcepta contemnunt, & de hac tam infœlici poteſtate lætatur.* Et in Soliloquijs ait: *Quoties à bono deviamus, diabolum lætificamus.* Prob. concl. ratione: Gaudium, vt importans ſimplicem actum voluntatis, eſt cum evenit, quod aliquis deſiderat, & vult; ſed aliquando evenit, quod dœmones deſiderant, & volunt; ergo. Prob. min. Dœmones deſiderant, & volunt tentatione peccati vincere iuſtos; ſed aliquando tali tentatione vincunt iuſtos; ergo.

4 Reſpondebis: Hoc non eſſe verum gaudium, ſed phantaſticum: quia in tentatione ita ſe habent, ac ſi obtenta victoria delectarentur. Et cum non delectentur, illa peracta, iterum in tentatione inſtant, apprehendentes novam cauſam gaudij in futura victoria: Quod revera nunquam obtinent, imò præmuntur dolore ſemper. Cont. Licèt hoc ſit verũ de gaudio, quod eſt paſſio appetitus ſenſitivi, quod repugnat Angelis, & non conſequatur; non tamen de gaudio, quod eſt actus ſimplex voluntatis; quod in victoria prędicta eſt de facto in dœmonibus: ergo. Prob. ant. Hoc gaudium conſiſtit in eo quod fiat, quod voluntas Dei deſiderat, & vult; ſed aliquando fit quod dœmones deſiderant, & volunt; nam deſiderant, & volunt caſum hominis in peccatum, in quod incidit: ergo.

5 Reſpondebis: Quod pro victoria torquentur ſpecialiter, & cum nolint torturam, nec deſiderent illam: ideò non ſit quod deſiderant, & volunt. Cont. Licèt in victoria ſit aliquid, quod nolunt, & non deſiderant; nempè

talis tortura; etiam eſt aliquid, quod volebant, & deſiderabant, ſcilicet, caſus hominis: ergo licèt in eis ſit dolor de primo, etiam eſt in illis gaudium de ſecundo, quod non eſt incompatibile cum illo, ſub ratione diverſa, & de diverſis, vt ait Ang. Doct. ad 1. Hac doctrina manet reiecta opinio aſſerentium: in dœmonibus eſſe gaudium cauſaliter, non formaliter, quatenus in illis eſt cauſa gaudij, ſed in re non eſt gaudium. Nam eſt gaudium formale, vt eſt actus ſimplex voluntatis, licèt non vt eſt paſsio appetitus ſenſitivi.

6 Prob. iam ſecunda pars concluſ. Pœna dœmonum, etiam damni, eſt æterna, & permanens ſemper in eodem ſtatu: ergo nullum gaudium levat, ſublevat, nec minuit illam: imò eam auget, cum victoria obtenta, denuò torquat illos. Præterea gaudium, quod eſt actus ſimplex voluntatis, non minuit dolorem ſimilem; ſed dolor aſsignatus dœmonum eſt actus ſimplex voluntatis: ergo. Mai. eſt certa, ſiquidem ſolum gaudium, quod eſt vera paſsio, minuit triſtitiam, & dolorem, ſibi oppoſitum.

7 Arg. 1. contra ſup. In dœmonibus ſunt triſtitia, & dolor, vt paſsiones: ergo etiam dolor, & gaudium, vt paſsiones. Prob. ant. In dœmonibus ſunt triſtitia, & dolor, vt pœna; ſed pœna, vt pœna, eſt paſsio: ergo. Reſp. diſting. min. Paſsio ſemper rigoroſa, nego min. Rigoroſa aut lata, conc. min. & ita diſt. conſ. Paſsio rigoroſa eſt affectio, quam aliquis recipit, cum abiectione affectionis contrariæ. Lata, & minus propria eſt ea, qua ſubiectum quomodolibet patitur, licèt in re ſit operatio, & actus. Pœna enim vt pœna, non debet eſſe paſsio rigoroſa; ſed ſufficit, quod ſit lata, nam ſubiectum etiam patitur operatione, & actu proprio. Cùmque triſtitia, & dolor dœmonum non ſint affectiones abjicientes contrarias, ſed operationes, & actus voluntatis: ideò ſunt illorum pœna, quin ſint rigoroſa paſsio. Conſtat hoc ex D. Thoma 1.2. quæſt. 22. art. 1. dicente: *Dicitur propriè pati, quando aliquid recipitur cum alterius abiectione.*

8 Cont. In dœmonibus, ſaltim per accidens, poteſt eſſe pœna, vt paſsio rigoroſa: ergo. Probatur ant. In anima rationali, ſaltim per accidens, poteſt eſſe pœna, vt paſsio rigoroſa: ergo. Ant. docetur ab Ang. Doct. loco cit. Prob. conſ. Sicut dœmones ſunt ſpiritus, ita anima rationalis; ſed: ergo. Reſp. nego conſeq. Diſcrimen eſt: quia anima rationalis eſt in corpore, cum quo conſtituit compoſitum, in quo reſidet appetitus ſenſitivus, in

quo eſt rigoroſa paſsio. Sicque ratione talis vnionis cum corpore, & ratione compoſiti eſt per accidens in ea pœna, vt rigoroſa paſsio. Secus in dœmonibus, qui ſunt ſpiritus ſeparati à corpore, & carentes omni compoſitione materiæ. Ita Ang. Mag. in corp. dicens: *Paſsio autem cum abiectione non eſt niſi ſecundum tranſmutationem corporalem. Vnde paſsio propriè dicta non poteſt competere animæ, niſi per accidens, in quantum ſcilicet compoſitum patitur.*

9 Cont. Licèt Dœmones ſint puri ſpiritus, non componentes cum materia, nec compoſiti ex illa, vt dolor, & triſtitia ſint eorum pœna, debent eſſe rigoroſa paſsio: ergo. Prob. antec. Si ſint ſimplices actus voluntatis, non poſſunt eſſe pœna illorum: ergo. Prob. ant. Pœna non eſt voluntaria patienti; ſed triſtitia, & dolor Dœmonum, ſi forent actus ſimplices voluntatis, eſſent illis quid voluntarium: ergo.

10 Reſp. diſt. mai. Contrapoſitivè ad omnem actum voluntatis, nego mai. Ad volitionem, & proſecutionem obiecti, conc. mai. & diſt. min. Voluntarium, vt dicit actum voluntatis, conc. min. Volitionem, & proſecutionem obiecti, nego min. & conſ. Omnis namquè actus voluntatis dicitur ſuo modo voluntarius; cum procedat à voluntate. Voluntarium tamen propriè tale dicit volitionem, & proſecutionem obiecti. Pœna igitur non eſt hoc modo voluntaria: ſiquidem non patitur, niſi nollens. Poteſt autem eſſe voluntaria primo modo, quatenus ſit operatio voluntatis, quæ eſt nolitio obiecti, quod eſt, ipſa nollente, ſive non volente ipſum, aut volente non eſſe ipſius, ſed alterius: nam ſicut eſt gloria, habere ſemper præſens obiectum, quod voluntas diligit; ita eſt pœna, habere ſemper præſens, quod renuit. Cumque triſtitia, & dolor Dæmonum, eo quod ſint actus ſimplices voluntatis, non ſint quid voluntarium, dicens volitionem, & proſecutionem obiecti, ſed actum voluntatis, ita explicatum: ideò prout ſic ſunt pœna eorum.

11 Arg. 2. Nullus dolor eſt in Dœmonibus: ergo nec dolor, vt eſt actus ſimplex voluntatis. Prob. ant. Vbi nullus eſt timor, nullus eſt dolor; ſed nullus timor eſt in Dœmonibus: ergo. Mai. patet: Nam dolor eſt cauſa timoris. Prob. min. ex illo Job 16. dicto de Dœmone: *Factum eſt vt nullum timeret*; ergo. Reſp. admitto, & explico auth. cum Angel. Doct. art. 3. ad 2 aſſerente: *Intelligitur de timore Dei cohibente à peccato. Alibi namque ſcriptum eſt,*

*quod*

*quod Dæmones credunt, & contremiſcunt*: Et prius dixerat: *Sicut in Dæmonibus eſt dolor de præſenti, ita eſt timor de futuro.*

12 Cont. In nullo ſenſu eſt in Dœmonibus dolor de præſenti: ergo. Prob.ant. Omnis dolor de præſenti eſt de aliquo malo; ſed in nullo ſenſu eſt in Dœmonibus dolor de aliquo malo: ergo. Prob.min. In nullo ſenſu eſt in Dœmonibus aliquid bonum; ſed dolor de aliquo malo, eſt aliquid bonum: ergo. Mai.patet: Nam Dœmon ſemper operatur pravè. Minor.conſtat: Quia dolere de malo eſt bonum. Reſp.diſt.min. De malo culpæ, conc. min. Solius pœnæ, nego min. & ita diſt. conſeq. Dolor de malo culpæ propter ſe, eſt bonum. Dolor ſolius pœnæ, aut culpæ propter pœnam non. Ad ſummum enim inſinuat bonitatem naturæ, cui opponitur pœna; non verò voluntatis, cui culpa. Cumque in dœmonibus non ſit dolor de malo culpæ propter ſe: nam vt ait D. Aug. cit. à Divo Thoma ad 3. *Dœmon cum perverſæ ſit voluntatis, & obſtinatæ, de malo culpæ non dolet*: ideò eſt dolor in illis, quin inde ſit aliquid bonum. Imò eſt novum malum: cum doleant ex pravo fine.

13 Arg. 3. cont. concluſ. In dœmonibus non eſt verum gaudium; ergo non eſt propriè gaudium in illis. Prob. ant. In dœmonibus nequit eſſe niſi gaudiũ phantaſticum: ergo. Prob.antec. ex Ang. Doct. in 4. diſt. 45. q. 2. art. 2. Vbi refert, quod quidam Sacerdos gentilis damnatus aiebat: Orationibus V. Macarij ſe, & alios damnatos iubari. Et Divus Thomas addit: Gaudium ex tali adiutorio non fore verum, ſed phantaſticum: ergo. Reſp. admitto, & explico tale dictum, dicendo: Quod S. Doctor vocat tale gaudium phantaſticum, non quia damnati exiſtiment ſe gaudere, & non gaudeant; ſed quia in eo, in quo exiſtimabant plenum gaudium invenire, non inveniunt illud: cum etiam doleant de illo, & dolor, atque pœna eorum non minuatur. Verumtamen in illis, & in Dœmonibus eſt gaudium, ſumptum pro ſimplici actu voluntatis: cum impletur, & fit quod volunt, & deſiderant.

14 Cont. Nec in hoc ſenſu eſt verum gaudium in Dœmonibus: ergo. Prob.ant. In hoc ſenſu eſt dolor in Dœmonibus: ergo. Prob.conſ. Gaudium, & dolor opponuntur; ſed: ergo. Reſp. diſt.mai. De diverſis, nego mai. De eodem, conc.mai. & min. & nego conſ. Pro quo Ang. Mag. ad 1. ait: *Gaudium, & dolor de eodem ſunt oppoſita, non autem de diverſis. Vnde nihil prohibet, vnum*

*ſimul dolere de vno, & gaudere de alio: & maximè ſecundum quod dolor, & gaudium important ſimplices voluntatis actus. Quia non ſolùm in diverſis, ſed etiam in vna, & eadem re poteſt eſſe aliquid, quod volumus, & aliquid quod nolumus.*

15 Cont. Dolor, & gaudium de diverſis, vt ſunt actus ſimplices voluntatis, nequeunt coexiſtere in dœmonibus, & damnatis: ergo. Prob. ant. Nequeunt coexiſtere in Angelis bonis, & beatis: ergo. ant. patet in Divo Thoma loc. cit. ſent. & 1. p. queſt. 113. art. 7. Prob. conſ. Sicut in Angelis beatis eſt ſumma fœlicitas, cui opponitur dolor; ita in damnatis eſt maxima miſeria, cui opponitur gaudium; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: quia dolor, etiam vt ſimplex actus voluntatis, eſt de his, quæ contrariantur voluntati: & nihil fit contrarium voluntati Angelorum beatorum, quæ totaliter inhæret ordini divinæ iuſtitiæ; & in mundo nil fit, niſi quod à iuſtitia divina fit, aut permittitur. Unde non eſt in illis dolor prædictus. Quare Divus Thomas art. 7. aſſerit: *Sic igitur Angeli peccata, & pœnas hominum, vniverſaliter, & abſolutè loquendo, non volunt: volunt tamen quod circa hoc ordo divinæ iuſtitiæ ſervetur, ſecundùm quam quidem pœnis ſubduntur, & peccare permittuntur.* Gaudium autem prædictum conſiſtit in eo, quod fiat aliquid, quod voluntas vult. Et cum aliquando fiat, quod dœmones volunt: ideò eſt in illis cum dolore.

## ARTIC. QUARTUS.

### *DE POENA DOEMONIS.*

1 PRæmitto 1. Quod dœmones ſtatim poſt peccatum ſunt damnati, & ex tunc patiuntur pœnam æternam ſenſus, & damni. Ita Divus Thom. art. 4. ad 3. contra aliquos, qui dixerunt: Talem pœnam ſenſus differri vſque in diem iudicij. Quod dictum iudicat erroneum, & repugnans ſententiæ Apoſt. 2. Corinth. 5 Ait autem in corp. *Dæmonibus duplex locus pœnalis debetur. Vnus quidem ratione ſuæ culpæ, & hic eſt infernus: alius autem ratione exercitationis humanæ, & ſic debetur eis caliginoſus aer.* Prævenit quoque, quod cum Deus per ſuperiora procuret bonum inferiorum; bonum hominis procurat directè per Angelos bonos, quibus hominem inducit ad bonum, & retrahit à malo. Indirectè verò per malos, quibus homo impugnatus exercetur. Propterea aliqui permanent in aere. Nunc ait: *Procuratio autem ſalutis humanæ protenditur vſque ad diem iudicij. Vnde & vſque tunc durat*

*miniſterium Angelorum, & exercitatio dæmonum Vnde & vſque tunc & boni Angeli ad nos huc mittuntur, & dæmones in hoc aere caliginoſo ſunt ad noſtrum exercitium Licèt eorum aliqui etiam nunc in inferno ſint ad torquendum eos, quos ad malum induxerunt, ſicut & aliqui boni Angeli ſunt cum animabus ſanctis in cœlo. Sed poſt diem iudicij omnes mali, tam homines, quàm Angeli in inferno erunt, boni verò in cœlo.*

2 Præmitto 2. Quod ſunt alligati in illo. Conſtat ex Epiſt. B. Iudæ dicentis: *Angelos verò, qui non ſervaverunt ſuum principatum, &c. Vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* : *Ignis æterni pœnam ſuſtinentes.* Talis ignis torquens dęmones, & damnatos, eſt verus, phyſicus, & corporeus. Patet ex illo Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius.* Et Apocal. 20. *Diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Et Lucæ 16. dicebat dives: *Crucior in hac flamma*; ſed verba Sacræ Scripturæ ſunt intelligenda in rigoroſo ſenſu, cum nullum ſequitur inconveniens: ergo cum in præſenti nullum videatur ſequi, prædicta debent intelligi de vero, phyſico, & corporeo igne inferni, qui eſt ſenſus rigoroſus. Unde M. P. Aug. 21. de Civit. Dei cap. 10. dicit: *Adhærebunt Spiritus incorporei corporeis ignibus cruciandi.* Hęc eſt intelligentia Angelici Doctoris Divi Thomæ in Addition. ad 3. part. art. 3. quæſt. 70.

3 Præmitto 3. Quod pœna Dœmonum, non ſolum eſt damni, ſed etiam ſenſus: Nam carent viſione Dei, in quo ſtat pœna damni: Et torquentur, & cruciātur ab igne, in quo pœna ſenſus. Hæc autem pœna non conſiſtit præcisè in eo quod dœmon videat ignem: nam quodlibet viſum, ex quo videtur, eſt perfectio videntis; ſed ignis inferni, quo dœmon ſenſibiliter patitur, non eſt perfectio illiùs, vt inferens pœnam: cum ſit nocivus, & contriſtans ipſum: ergo non patitur, quia videat illum, ſed aliunde, quia ſit in eo aliquid nocivum. Sic Ang. Mag. loc. cit. vbi rejicit opinionem ſentientem: Quod cum ignis corporeus non poſſit exurere ſpiritum; hic apprehendit ignem, vt ſibi nocivum. Ex qua apprehenſione afficitur dolore, vt impleatur illud Pſal. 13. *Trepidaverunt timore, vbi non erat timor.* Quam ita impugnat: quia talis paſſio foret ab imaginatione, & apprehenſione falſa ignis, & non ab ipſo igne. Nec eſſet ſecundùm veritatem, ſed apparientiam rei. Nec ab ipſa re, ſed à ſimilitudine rei. Et addit: *Non eſt probabile, quod animæ ſepa-*

*ratæ, vel dœmones, qui in ſubtilitate ingenij pollent, putarent ignem corporeum ſibi nocere poſſe, ſi ab eo nullatenus gravarentur.*

4 Hinc manet reiecta opinio Ægidij, Ricardi, & Gabrielis aſſerentium: Dœmones torqueri per intellectionem ſuę miſeriæ, cauſatam immediatè ab igne inferni. Nunc refert S. Gregor. 4 Dialog. dicentem: *Colligere ex dictis Evāgelicis poſſumus, quod incendium non ſolum anima videndo, ſed etiam experiendo patiantur.* Idē debet intelligi de dœmonibus, cum eadem ſit ratio. In modo talis paſsionis eſt diſsidium. Aliqui cum P. Suar. tenent: Dœmones torqueri ab igne, vt producente inſtrumentaliter quamdam qualitatem, non alligantem, ſed fœdantem eos. Thomiſtæ tuentur: Torqueri ab igne, ita producente qualitatem alligantem, & detinentem illos in loco. De his vid. Beat. Albert. quæſt. 25.

5 Concluſio: Dœmones patiuntur, torquentur, & cruciantur ab igne inferni, vt producente inſtrumentaliter in potentia operativa eorum aliquam qualitatem alligantem, & detinentem eos in ipſo loco, & impedientem ne pro ſuo libito inde ſe expediāt & alibi operentur. Videtur conformis menti Div. Thomæ. Conſtat ſatis ex Sac. Scriptura: Nam Iſai. 24. dicitur: *Congregabuntur in congregatione vnius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere.* Et Thren. 3. *In tenebroſis collocavit me, ſicut mortuos ſempiternos circum ædificavit adverſum me, vt non egrediar aggravavit compedem meum.* Et 2. Pet. 2. *Angelis peccantibus Deus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Et Apoc. 20. *Et apprehendit Angelus draconem, qui eſt diabolus, & ſatanas, & ligavit eum per annos mille, & miſit in abyſſum.*

6 Prob. concluſ. ratione D. Thomæ artic. 3. Ignis inferni torquet dœmones, quatenus virtute Dei, & vt inſtrumentum Divinæ juſtitiæ punientis eos, agit in ipſos; ſed agit in eos in quantum producit ita prædictam qualitatem: ergo. Diſcurſus patet ex Angelic. Doct. ita aſſante: *Quamvis autem res corporea ex ſua natura habeat, quod ſpiritum in corporeum loco definiat, non tamen ex ſua natura habet, quod ſpiritum in corporeum loco definitum detineat, vt ita alligetur illi loco, quod ad alia divertere non poſsit, cum ſpiritus non ſit ita in loco naturaliter, quod loco ſubdatur: ſed hoc ſuperadditur igni corporeo, in quantum inſtrumentum eſt Divinæ iuſtitiæ iudicantis, quod ſic detinet ſpiritum, & ita efficitur ei pœnalis, retardans eum ab executione propriæ voluntatis, ne ſcilicèt poſſet operari, vbi vult, &*

ſe-

*ſecundum quod vult*. Pro quo refert SS. Auguſt. Gregor. & Julianum.

7 Maior namquè eſt certa: Siquidem Deus eſt cauſa principalis puniens dœmones: cum ignis corporeus nequeat eſſe: quia propria virtute non poteſt agere in ſpiritum, ſed virtute Dei, qua elevatur, & vt inſtrumentum agit in illum. Min. patet: Nam cum dœmones verè, realiter, & phiſicè torqueantur ab igne inferni, hic producit in illis aliquē effectum phiſicum: quia cauſa efficiens producit eum vbi agit. Hic autem eſt qualitas alligans, & detinens illos in determinato loco, ſibi contrario, impediens ne alibi ſe transferant, & operentur. Unde Angelic. Mag. Opuſc. 2. cap. 179. ait: *Pœna iſta ignis corporalis eſt, & omnia quæ in Scriptura de hoc igne inferni dicuntur, ad literam, & non per methaphoram eſſe intelligenda.*

8 Expenditur hoc: Ignis inferni, vt inſtrumentum Divinę iuſtitiæ, cruciat, & torquet ſpiritus, & dœmones: non verè, & realiter comburens illos, ſicut ignis noſter comburit ligna, cum ita nō ſint materia cōbuſtibilis: ſed affligens eos, eo quod detineat illos in inferno, vt in carcere, & loco vili, & ſibi improportionato; & impedit potentias operativas eorum, vt ſolùm ibi, & non alibi, quantum Deus vult operentur, niſi Omnipotens aliter permittat; ſed hoc fit media qualitate phiſica, ſeu modo alligante, & detinente illos: ergo. Mai. videtur difficilis: Quare S. Aug. 21. de Civit. Dei cap. 10. dicit: *Miris, & ineffabilibus modis ignem illum ſpiritus cruciare.* Conſtat tamen ex prædictis, & ex Div. Thoma atque Div. Auguſt repetente: *Adhærebunt ſpiritus corporalibus ignibus, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam.* Prob. min. Ignis vt inſtrumentum agit efficienter phiſicè in ſpiritus, & dœmones; ſed actioni phiſicæ correſpondet in paſſo, & in termino effectus phiſicus, qui in illis nequit eſſe, niſi qualitas phiſica, aut modus: ergo. Mai. patet: Nam inſtrumentum cauſæ efficientis phiſicæ, qualis in præſenti eſt Deus, virtute huius agit efficienter phiſicè. Min. conſtat. Unde Angelic. Doctor in 4. diſt. 44. ait: *Ignis efficitur pœnalis ſpiritui, retardans eum ab executione propriæ voluntatis, ne ſcilicet poſsit operari vbi vult, & ſecundum quod vult.*

9 Hic modus dicendi videtur potentijs ſpiritualibus affligendis aptior: Quia nihil deſtruēdo, impedit eas operari ad libitum, ſive in movendo ſe, ſive in mutando alia; & per talem retardationem aggravantur, & quaſi enervantur, & viribus evacuantur.

tur. Quod eſt illis valdè pœnale, vt maximè repugnans inclinationi naturali ſpirituum, qui ſunt nimis activi. Et cum pœna, & afflictio proveniat à repugnante coniuncto: ideò media tali qualitate, ex hoc provenit in dœmonibus. Hoc experimur in naturis rerum: quæ impediuntur à naturalibus operationibus per qualitatem impedientem, & retardantem, ſed non deſtruentem. Sic impeditur deſcenſus lapidis, ſine deſtructione gravitatis ipſius. Remora impedit curſum navis, ſine deſtructione virtutis deferentis. Et torpedo injicit ſtuporem manui piſcatoris, ſine deſtructione virtutis motivæ illius. Similiter ergo Deus, medio igne, vt inſtrumento, producit quandam qualitatem in potentijs ſpirituum, & dœmonum, non deſtruentem virtutes earum, ſed ita impedientem, & retardantem: in quo ſtat afflictio, & pœna infernalis eorum. In corporibus enim afflictio, & pœna infirmitatum provenit ex ſimili impedimento facultatum, & potentiarum naturalium.

10 Arg. 1. cont. 1 premiſ. Aliqui dœmones erunt in aere vſque in diem iudicij; ſed aer non eſt locus illis pœnalis: ergo tales non patientur pœnam ſenſus vſquè in diem iudicij. Mai. eſt Div Thomæ quæſt. 64. artic. 4. Prob. min. Locus pęnalis alicui afficit illum; ſed aer nō eſt locus afficiens dœmones: ergo. Prob. minor. Locus corporeus non afficit ſpiritus; ſed aer eſt locus corporeus, & dœmones ſunt ſpiritus: ergo. Reſp. diſt. mai. Non afficit contriſtando voluntatem, nego mai. Alterando naturam, conc. mai. & min. & nego conſeq. Locus namque corporeus non alterat, nec immutat naturam ſpiritus, Angeli, & dœmonum: cum ſit incorruptibilis. Verumtamen contriſtat voluntatem eorum, cum detinet eos vt in loco improportionato: itaquè afficit voluntatem, & eſt illis pœnalis. Cumque aer ſit huiuſmodi reſpectu dœmonum in eo permanentium: nam vt ait M.P. Aug. relatus in ſed cont. à Divo Thoma: *Aer caliginoſus eſt quaſi carcer dœmonibus vſque ad tempus iudicij*: ideò eſt illis locus pœnalis, & in eo patiuntur pœnam ſenſus. Ita Angel. Mag. ad 1. Quare S. Hieron. ad Epheſ. 6. aſſerit: *Hæc omnium Doctorum opinio eſt, quod aer iſte, qui Cœlum, & terram medius dividens, inane appellatur, plenus ſit contrarijs fortitudinibus.*

11 Cont. Aer non eſt locus pœnalis, afficiens voluntatem dœmonum, contriſtando illam: ergo. Prob. ant. In loco pœnali ita afficiente, contriſtante dœmones, puniuntur pœna ignis; ſed

ed aer non eſt locus, in quo dœmones puniuntur pœna ignis: ergo. Mai. eſt certa: Cum hæc ſit præcipua pœna illorum. Minor conſtat: Cum ſit infernus. Reſp. diſt. mai. Ignis actu alligantis, nego mai. In potentia, & quoad debitum, conc. mai. & diſt. min. Actu alligantis, conc. minor. In potentia, & quoad debitum, nego min. & conſ. Pro quo Angel. Mag. ad 3. aſſerit: *Sicut locus cœleſtis pertinet ad gloriam Angelorum, tamen gloria eorum non minoratur cum ad nos veniunt: quia conſiderant illum locum eſſe ſuum, eo modo quo dicimus honorem Epiſcopi non minui dum actu non ſedet in Cathedra. Similiter dicendum eſt, quod Dœmones, licet actu non alligentur gehennali igni, dum ſunt in aere iſto caliginoſo: tamen ex hoc ipſo quod ſciunt illam alligationem ſibi deberi, eorum pœna non minuitur. Vnde dicitur in quadam Gloſſa* Jacobi 3. *Quod portant ſecum ignem gehennæ quocumque vadunt. Nec eſt contra hoc: Quod rogaverunt Dominum, vt non mitteret eos in abyſſum, vt dicitur Lucæ* 8. *Quia hoc petierunt, reputantes ſibi pœnam, ſi excluderentur à loco, in quo poſſunt hominibus nocere. Vnde Matth.* 8. *dicit, Quod deprecabantur eum, ne expelleret eos extra regionem.*

12 Cont. Aer non eſt locus pœnalis dœmonum, etſi poſsint in eo ita pati pœnam ignis: ergo. Prob. ant. Aer non eſt locus pœnalis hominum damnatorum, etſi in eo ita poſſent pati pœnã ignis: ergo. Prob. conſ. Peccatum hominum non eſt gravius peccato dœmonum; ſed: ergo. Reſp. Nego conſ. Diſcrimen aſſignatur à D. Thoma ad 2. Nam anima ſecundùm ordinem naturæ non præfertur alteri animæ, ſicut Angeli præferuntur hominibus: eo quod ſunt medij inter Deum, & homines. Quare Angeli boni ita permanent, vt Deus per illos procuret directè noſtrã ſalutem, inducendo homines ad bonum; & mali, ſive dœmones, vt procuret indirectè illam, exercẽdo eos impugnatione ipſorum. Ita Ang. Doct. cit. num. 1. iuxta quem animæ damnatorum poſſunt etiam ita pati in aere, & extra infernum, ſi ex diſpenſatione divina ibi appareant.

13 Arg. 2. cont. 2. præmiſ. Dœmones non puniuntur aliquo corporeo: ergo non patiuntur ab igne corporeo inferni. Prob. ant. Animę damnatorum non puniũtur ab aliquo corporeo: ergo. Conſ. patet: nam puniuntur eodem, & ſimiliter ſunt ſpiritus. Prob. ant. ex D. Auguſtino 12. ſuper Geneſ. ad liter. aſſerente: *Non ſunt corporalia, ſed corporalibus ſimilia, quibus animæ corporibus exutæ afficiuntur, ſeu benè, ſeu malè;* ſed animæ damnatorum afficiũ-

tur malè eo, quo puniuntur: ergo. Reſp. admitto, & explico author. cum Ang. Doct. loc. cit. Addit. art. 3. ad 1. aſſerente: *Quod Auguſt. loquitur inquirendo*: Vnde etiam alium modum ponit determinando lib. de Civit. Dei, vt ex dictis patet. Vel dicendum: quod Aug. dicit, vel intelligit, quod ea, quibus anima proximè afficitur ad dolorem, vel triſtitiam, ſunt ſpiritualia, non enim affligeretur, niſi ignem vt nocivum ſibi apprehenderet: ignis ergo apprehenſus eſt proximum affligens, *ſed ignis corporeus extra animam exiſtens eſt affligens remotum*. Idem dicimus reſpectu dœmonum.

14 Cont. Dœmones non patiuntur aliquo corporeo, vt afficiente remoto: ergo neque tali igne: Prob. ant. Agens puniens, & afficiens, etiam remotum, eſt nobilius patiente; ſed nullum corporeum eſt nobilius dœmonibus: ergo. Mai. eſt Div. Auguſt. loc. cit. Min. eſt manifeſta: Cum dœmones ſint ſpiritus, qui ſunt nobiliores corpore. Reſp. diſt. maior. Agens, vt agens, conc. maior. ſecundùm ſe, nego mai. & diſting. minor. Corporeum ſecundùm ſe, conc. minor. Ut agens, & inſtrumentum divinæ iuſtitiæ, nego minor. & conſeq. Agens enim, præcipuè inſtrumentale, non eſt neceſſe, quod ſecundùm ſe, & entitativè ſit nobilius patiente. Imò poteſt ſic eſſe ignobilius. Sufficit enim, quod vt agens, & ratione virtutis, qua agit, nobilius ſit. Cumquè corporeum, quo dœmones puniuntur, & afficiuntur, ſit ita eis nobilius: nam ignis corporeus inferni, vt inſtrumentum divinę iuſtitiæ, & virtute Dei, longè ipſis nobiliori, agit in eos, afficiens, & puniens illos: ideò illo afficiuntur, & puniuntur. Ita Div. Thomas ad 2. Et conſtat in Sacramento Baptiſmi: Nam aqua ſecundum ſe ignobilior, fit nobilior virtute Chriſti, & ita vt inſtrumentum agit, & cauſat gratiam in anima. Vid. Tract. antec. quæſt. 1. art. 1. à num. 15.

15 Cont. Ignis corporeus nulla virtute poteſt conſtitui inſtrumentum divinæ iuſtitiæ: ergo nec prout ſic. Erit nobilius. Prob. antec. Qualitas ſpiritualis nequit recipi permanenter in ſubiecto corporeo; ſed virtus, qua ignis corporeus inferni conſtitueretur inſtrumentum divinæ iuſtitiæ, foret qualitas ſpiritualis, recepta permanenter in illo: ergo. Probat. minor. Qualitas perſeverans perpetuo in ſubiecto, eſt recepta permanenter in illo; ſed talis virtus eſſet perſeverans perpetuo in igne corporeo inferni: ergo. Mai. patet: Quæ enim maior permanentia,

quàm

quàm perpetua perſeverantia? Min. conſtat: Cum ſit perpetua, perſeverantia æterna: qualis foret in qualitate, & virtute talis ignis; qui ea vſquè in æternum torquebit dœmones.

16 Reſp. diſt. min. Perſeverans per accidens, & ex voluntate Dei, conc. min. Per ſe, & ex natura ſua, nego min. & ſimiliter diſt. conſeq. Perſeverantia enim, & permanentia per ſe, & ex natura ſua; qualis eſt in habitu, qui ita perſeverat, & permanet ſine actione, & voluntaria conſervatione cauſæ principalis, nequit competere virtuti inſtrumenti, nec qualitati ſpirituali receptæ in corpore: quæ in hoc ſenſu non eſt permanenter, ſed tranſeunter in illo. Poteſt tamen ei competere per accidens, & ex voluntate cauſæ principalis, maximè ipſius Dei. Quæ non perſeverat, nec permanet, quia ipſa hoc exigat, ſed quia Deus vult, & cum depẽdentia actuali à motione ipſius, dum actio Dei, vt cauſæ principalis, permaneat. Cumque perſeverantia, & permanentia perpetua, & æternæ virtutis, & qualitatis ſpiritualis ignis inferni ſit huiuſmodi: ideò eſt ita in eo, & conſtituit ipſum inſtrumentum, & agens nobilius.

17 Cont. Vt ignis inferni ita ageret dœmones, deberet eſſe in illo virtus per ſe, & ex natura ſua permanens: ergo. Prob. ant. Vt intellectus beati eliciat viſionem beatificam, debet eſſe in illo virtus per ſe, & ex natura ſua permanens: ergo. Ant. patet: Ideòque eſt in illo lumen gloriæ, ita permanens. Prob. conſ. Sicut viſio beatifica eſt æterna, ita detentio dœmonum in igne; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: quia cum viſio beata ſit actio vitalis, elicitur à beato, non vt inſtrumento, ſed vt agente principali: ſicque virtus eius non eſt inſtrumentalis, ſed principalis. Et cum ex ſe eam non habeat, ei infunditur à Deo lumen gloriæ per modum habitus, imò & quaſi potentia, cum ſit tota ratio agẽdi, & eliciendi viſionem ſupernaturalem. Et cum permanentia illius ſit talis per ſe, & ex natura ſua: ideò prædicta virtus eſt huiuſmodi. Nõ verò virtus ignis detinentis dœmonis: cum talis detentio, & actio ſit ab igne, vt inſtrumento; & non vt à cauſa principali, nec vitali: cum non ſit actio vitalis.

18 Si inſtes: Sicut viſio rei ſpiritualis excedit proportionem oculi corporei, ita productio qualitatis ſpiritualis proportionem ignis corporei; ſed oculus corporeus nequit elevari virtute ſpirituali, vt videat obiectum ſpirituale: ergo nec ignis corporeus, vt producat qualitatem

ſpiritualem, qua torqueat ſpiritus, & dœmones. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia viſio eſt ab oculo, vt cauſa principali, cum ſit actio vitalis. Productio autem prædictæ qualitatis eſt ab igne, vt cauſa inſtrumentali; non virtute ſui, ſed cauſæ principalis.

19 Arg. 3. Ignis corporeus, nec vt inſtrumentum poteſt agere in ſpiritus; ſed ignis inferni eſt corporeus, & dœmones ſunt ſpiritus: ergo. Prob. maior. Secundùm Ariſt. 1. de Generat. Et Boœcium lib. de duab. naturis: Illa ſolum agunt, & patiuntur ad invicem, quæ in materia conveniunt; ſed ignis corporeus, & ſpiritus non conveniunt in materia: ergo. Maior. patet: Nam ſolum illa poſſunt ad invicem tranſmutari Min. conſtat: Cum ſpiritus careat materia. Reſp. admitto, & explico aſſertum cum Angelic. Mag. ad 3. aſſerente: *Quod Phyloſophus, & Boœcius loquuntur de actione illa, per quam patiens tranſmutatur in naturam agentis: talis autem non eſt actio ignis.*

20 Cont. Ignis corporeus nulla actione poteſt agere in ſpiritum: ergo. Prob. ant. Spiritus nectiquam poteſt eſſe patiens reſpectu ignis corporei; ſed eſſet patiens, ſi ignis corporeus aliqua actione ageret in ſpiritum: ergo. Prob. maior. Omne patiens recepit aliquid ab agente; ſed ſpiritus nil poteſt recipere ab igne corporeo: ergo. Prob. minor. Si poſſet recipere aliquid, eſſet aliqua forma ſpiritualis; ſed non recipit formam ſpiritualem: ergo. Mai. patet: Quia vnum quodquè recipitur ad modum recipientis: quare forma recepta in ſubiecto ſpirituali debet eſſe ſpiritualis. Prob. min. Si reciperet formam ſpiritualem, ea non pateretur pœnam inferni; ſed forma, quam recipit, patitur pœnam inferni: ergo. Prob. mai. Nemo patitur pœnam inferni forma, quæ eſt perfectio illius; ſed talis forma ſpiritualis foret perfectio ſpiritus: ergo. Mai. patet: quomodo enim perfectio vnius poteſt eſſe pœna inferni eius? Prob. min. Forma ſpiritualis exiſtens in ſpiritu, eſt perfectio ſpiritus, ſed talis forma ſpiritualis exiſteret in ſpiritu: ergo.

21 Reſp. diſt. mai. Forma perfectiva, & conveniens, conc. mai. Detentiva, & contraria, nego mai. & diſt. min. Detentiva, & contraria, conc. min. Perfectiva, & conveniens, nego min. & conſ. Forma enim ſpiritualis perfectiva, & meliorativa ſubiecti, eſt perfectio ipſius; & ea non patitur pœnam inferni. Non tamen detentiva, & contraria, qua incommodatur, & punitur. Cumque

que forma, ita proveniens ab igne corporeo inferni, & recepta in ſpiritu, ſit ita detentiva, & contraria: ideò non eſt perfectio ſpiritus, eaque patitur pœnam inferni. Hæc eſt intelligentia ſolutionis Ang. Doct. ad 4. aſſerentis: *Ignis agit in animam non per modum influentis, ſed per modum detinentis.* Ex quo conſtat, quod in ſpiritu producit formam, ſeu qualitatem detentivam, & contrariam; non perfectivam, convenientem, nec meliorativam.

22 Cont. Ignis corporeus inferni nec producit formam detentivam ſpiritus: ergo. Probat, ant. Si produceret illam, ſpiritus teneretur ab igne corporeo inferni; ſed non tenetur: ergo. Protur min. Ideò anima corporis tenetur à corpore, dum vivit in corpore, quia eſt forma corporis, recepta in corpore, efficiens cum ipſo vnicum compoſitum; ſed ſpiritus non ſic ſe habet reſpectu ignis corporei inferni: ergo. Reſp. diſt. mai. Tenetur detentivè, & alligativè, nego mai. Informativè, conc. mai. & min. & ita diſt. conſ. Anima enim dum vivit in corpore, informat corpus, itaque tenetur ab eo, & eſt forma illius. Spiritus autem non informat ſic ignem corporeum inferni, nec tenetur ab eo; ſed detinetur in loco, & alligatur in ipſo: ſicque non eſt forma eius, ſe habet enim, vt homo alligatus in carcere reſpectu detinentis. Ita Div. Thomas in corp. dicens: *Spiritus autem corpori vnitur dupliciter. Vno modo, vt forma materiæ. Alio modo ſicut movens mobili, vel ſicut locatum loco, eo modo quo incorporalia ſunt in loco: Vt ita alligetur illi loco, quod ad alia divertere non poſſit, cum ſpiritus non ſit ita in loco naturaliter, quod loco ſubdatur: ſed hoc ſuperadditur igni corporeo, in quantum inſtrumentum eſt divinæ iuſtitiæ vindicantis, quod ſic detinet ſpiritum.*

23 Replica his ſolutionibus communis, adducta ibi ab Ang. Doct. occurrit nunc: Omne inſtrumentum, prçter actionem inſtrumenti, quam elicit virtute cauſæ principalis, habet propriam actionem præviam in paſſum, quam exercens, elicit illam; ſed ignis corporeus inferni non habet propriam actionem præviam in ſpiritum, & dæmones: ergo non poteſt eſſe inſtrumentum divinæ iuſtitiæ, & eos ita torqueat. Maior patet in aqua Baptiſmi, quæ lavando corpus, ſanctificat animam: & ſerra ſecando lignum, diſponit illud ad formam domus. Min. conſtat: Siquidem hoc nequit evenire, niſi ſecundum quod ſpiritus vnitur corpori; iuxta illud Sap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*; & non apparet vnio ſpiri-

tus, & dœmonis cum tali igne.

24 Reſp. diſt. min. Non definitivam, conc. min. Definitivam, nego min. & conſ. Ignis enim corporeus inferni non habet rigoroſam actionem propriã, connaturalem, præviam, & verè elicitam reſpectu ſpiritus, aut dœmonis. Habet tamen ex natura ſua, ſicut & quodlibet corpus, quod ſpiritum loco definiat; quæ definitio eſt quaſi actio ita prævia, vt exinde ſpiritum definitum detineat. Et hoc non facit virtute propria, ſed Dei, & iuſtitiæ divinæ punientis. Cumque hoc ſit, agere vt inſtrumentum in ſpiritum, & dœmones: ideò ita agit, habens propriam actionem præviam, vt definit, & inſtrumentalem, vt detinet. Vnde Ang. Mag. loc. cit. ait: *Quamvis autem res corporea ex ſua, &c.* vt num. 6. & ibidem aſſerit: *Ignis ex natura ſua habet quod ſpiritus incorporeus ei coniungi poſſit, vt loco locatum. Sed in quantum eſt inſtrumentum divinæ iuſtitiæ habet, vt ipſum quodam modo retineat alligatum, & in hoc veraciter ignis ille eſt ſpiritus nocivus.*

25 Cont. Ignis inferni nec talem actionem præviam definitivam habet reſpectu dœmonum pœnas ſubſtinentium: ergo. Probat. ant. Dœmones collocati extra infernum, & in aere, etiam ſuſtinent ſuas pœnas; ſed ignis inferni non habet talem actionem præviam definitivam reſpectu illorum: ergo. Mai. conſtat ex dictis. Min. patet; cum non ſint actu definiti in inferno, ſed extra, & in aere: Et agens corporeum, vt ignis inferni, non poſsit agere in remota: Et ſi agat in remota, prius agit in media; & non videtur, quod talis ignis agat in media inter ipſum, & dœmones.

26 Reſp. diſt. min. Actu conc. min. In præparatione, & quoad debitum, nego min. & conſ. Hæc diſtinctio conſtat num. 11. Eam roborat Angel. Præcept. ad 8. dicens: *Spiritus damnati nunquam ſunt extra infernum, niſi ex diſpenſatione divina, vel ad inſtructionem, vel ad exercitium electorum. Vbicumque autem extra infernum ſint, ſemper tamen vident ignem inferni, vt eis in pœnam præparatum. Vnde cum iſta viſio ſit immediatè affligens, vbicumque ſunt ab igne inferni affliguntur. Sicut & captivi extra carcerem exiſtentes, à carcere affliguntur, dum vident ſe ad carcerem damnatos. Vnde ſicut gloria electorum non minuitur, nec quantum ad præmium eſſentiale, nec quantum ad accidentale, ſi aliquando extra Cœlum Empyreum ſint, ſed quoddammodo in eorum gloriam cædit: ita etiam in nullo minuitur pœna damnatorum, ſi extra infernum ex divi-*

*ua diſpenſatione ponantur ad tempus.* Et hoc eſt quod Gloſſa dicit ſuper illud Jac. 3. *Inflammat rotam nativitatis noſtræ, &c. Diabolus vbicumque ſit, ſive ſub aere, ſive ſub terra, ſecum trahit tormenta ſuarum flammarum.*

27 Arg.4. Dœmones patiuntur per ſolam viſionem intellectualem ignis: ergo non per ignem in re, & vt ita agentem. Prob.ant. ex D. Gregor.4. Dialog. aſſerente: *Igne eo tempore patitur anima: quo videt*; ſed idem evenit in dœmonibus: ergo. Reſ. admitto, & explico auth. cuius sẽſus eſt: quod anima, etiamq; dœmon, patitur igne, dum videt ignem; non præcisè quia videt, ſed quia videt ignem nocivum, & contriſtantem. Unde in re patitur ab igne, ita agente, & detinente ſpiritum; licèt etiam affligatur à viſione intellectuali ignis, ita D. Thomas in corp. Sic quoque exponitur S. Greg. cum ait: *Quia anima cremari ſe conſpicit, crematur* Patet ex ipſo nu.4.

28 Cont. Spiritus, ſive dœmon, patitur ex ſola viſione intellectuali ignis inferni: ergo. Prob.ant. Viſus corporeus patitur ex ſola viſione obiecti: ergo. Prob.conſ. Utraque dicit ordinem ad obiectum; ſed: ergo. Reſp. Nego conſ. Ratio eſt: nam obiectum intelligibile non lædit intellectum; & præcisè, quia videtur, & intelligitur, perficit intellectum, cum intellectio, & viſio intellectualis ſit perfectio intellectus. Unde ſolum, cum eſt nocivum, patitur intellectus ab eo; non quia videt illud, ſed quia eſt nocivum, & videt vt nocivum: & hoc evenit in dœmonibus. Viſibile autem non ſic ſe habet reſpectu viſus corporei, ſed gravat ipſum: cum habeat organa corporea, quæ viſione fatigantur. Quare 3. de Anima dicitur: Quod vehemens ſenſibile lædit ſenſum, ita Angel. Doctor ad 5.

29 Cont. Licèt aliquid in re non ſit nocivum, poteſt apprehendi ab intellectu dœmonis vt nocivum; ſed dœmon tunc patietur ex ſola viſione intellectuali: ergo. Min. patet, nam patietur ex ſola apprehenſione nocivi. Prob. mai. quod in re non eſt nocivum, apprehenditur multoties ab intellectu hominis vt nocivum; & tunc homo patitur: cum affligatur ex tali apprehenſione: ergo. Reſp. Nego conſ. Ratio eſt: nam dœmon, ob ſubtilitatem ſui intellectus, non apprehendit vt nocivum, quod in re non eſt nocivum, nec in re ipſum gravat. Homo autem pro hoc ſtatu ſic apprehendit ob ſui imbecillitatem, & vagam imaginationem, ita Divus Thomas in corp.

30 Arg. 5 cont. concluſ. Dæmones patiuntur pœnam inferni per qualitatem afflictivam fœdantem, & maculantem ipſos: ergo non per alligantem, & detinentem. Prob. ant. Talis qualitas non repugnat dæmonibus; ſed eo ipſo, per illam patiuntur pœnam inferni: ergo. Mai. patet: Non enim repugnat eis qualitas fœdans ipſos, & nil auferens ab ipſis. Sicut lutum fœdat faciem, peccatum veniale animam, & qualitas, â nobis aſſignata, libertatem Angeli. Reſp. diſt. mai. Qualitas præcisè fœdans, nego mai. Et ſimul alligans, & detinens, conc. mai. & diſt. min. Per illam alligantem, & detinentem, conc. min. Solùm fœdantem, nego min. & conſeq. Non negamus dæmonibus qualitatem fœdantem, ſed præcisè hoc facientem: nam ſimul debet eſſe alligans, detinens, & impediens ipſos, modo ſuprà explicato; quin auferat pulchritudinem naturalem illorum: quia dona naturalia manſerunt in Angelis integra, & ſplendidiſsima; vt ait S. Dioniſius. Nec ſupernaturalem, quæ eſt per gratiam: cum hæc auferatur per peccatum, ſicut ipſa gratia. Imò dolor de carentia gratiæ pertinet ad pœnam damni, & non ſenſus; ſicut & dolor de carentia gloriæ, cum eadem ratio ſit vtriuſque. Quare talis qualitas fœdat, & maculat dæmones: quia impedit, & quaſi aggravat illos, ne vt, & vbi velint, operentur; ſed in loco determinato, vnde non poſsint pro ſuo libito exire. Et cum hoc efficiat qualitas alligans, & detinens ipſos in inferno: ideò per ſolam illam patiuntur pœnam ſenſus.

31 Cont. Qualitas afflictiva dæmonum non eſt ita alligans, nec detinens ipſos: ergo præcisè eſt fœdans, & maculans eos. Probat. ant. ex D. Thoma in 4. diſt. 44. quæſt. 3. art. 3. & loc. cit. Addit. ad 4. aſſerente: *Ignis agit in animam, non per modum influentis, ſed per modum detinentis*; ſed ſi talis qualitas eſſet ita alligans, & detinens, ignis ageret in animam, & dæmones, etiam per modum influentis: ergo. Min. patet: nam influeret per productionem talis qualitatis. Reſp. admitto, & explico auth. dicendo: ſenſum eſſe: quod ignis non agit, nec influit vt producens qualitatem productivam, & perfectivam; ſed alligativam, detentivam, & impeditivam. Vnde potiùs huic qualitati, quam igni, negat influxum.

32 Arg. 6. Nõ requiritur qualitas intrinſeca alligativa, & detẽtiva, vt dæmones alligentur, & detineantur in inferno: ergo patiũtur ab ipſo igne, ſine tali qua-

litate. Prob. ant. Non requiritur talis qualitas, vt dœmones per artem magicam alligentur, & ditineantur annulis: ergo. Ant. eſt certum: Siquidem ſolus Deus poteſt producere talem qualitatem; qui non producit illam ad talem finem. Prob. conſ. Sicut alligantur, & detinentur in inferno, ita in annulis; ſed: ergo. Reſp. Nego conſ. Ratio eſt: quia alligatio, & detentio eorum in annulis eſt moralis, orta ex imperio dœmonis ſuperioris, cui inferiores ex timore obediunt, ibique permanent. Alligatio autem, & detentio in inferno eſt phiſica, ad quam requiritur aſsignata qualitas.

33 Cont. Nulla qualitas poteſt impedire dœmones, ne pro ſuo nutu operentur ad extra: ergo nec ita detinere eos in inferno. Prob. ant. Nulla qualitas poteſt impedire dœmones, ne pro ſuo nutu intelligant, & velint, quæ ſpectant ad ordinem naturæ: ergo. Prob. conſ. Sicut potentia Angeli eſt intellectiva, & volitiva, ita eſt operativa ad extra: imò per intellectum, & voluntatem operatur ad extra; ſed: ergo. Reſp. Nego conſ. Diſcrimen eſt: nam voluntas nequit pati violentiam in operibus elicitis. Vnde non eſt dabilis qualitas impediens voluntatem, vt velit; nec intellectum, vt intelligat, cum volitio ſupponat intellectionem. Veruntamen poteſt pati illam in imperatis; quæ in Angelis fiunt à potentia executiva, & operativa ad extra. Quare eſt dabilis qualitas aſsignata, ita alligans, detinens, & impediens dœmones.

34 Cont. Talis qualitas nec poteſt impedire actum elicitum, nec imperatum voluntatis Angeli: ergo. Prob. ant. Nec poteſt impedire voluntatem, vt volitivam; nec ipſam, vel aliam potentiam, vt executivam: ergo. Prob. ant. Nec poteſt impedire voluntatem, vt velit, nec vt velit aliquid facere; ſed hoc pertinet ad potentiam, vt executivam: ergo. Reſp. diſt. mai. Nec vt fiat, nego mai. Et poteſt impedire, quod fiat, conc. mai. & diſt. min. Executivam in actu primo, conc. minor. Secundo, nego min. & ita diſt. conſ. Talis qualitas nec impedit velle, nec velle efficere voluntatis dœmonum; ſed ipſum efficere, & fieri. Primum pertinet ad voluntatem ſolam. Secundum ad ipſam, vt executivam; vel ad potentiam executivam in actu primo. Tertium ad ipſam in actu ſecundo, ſeu vt exequetem. Cumque talis qualitas hoc impediat: ideò eſt ita alligans, detinens, & impediens.

35 Cont. Vt ignis inferni detineat potentiam dœmonum,

vt exequentem, non requiritur, quod producat talem qualitatem intrinſecam: ergo. Prob. ant. Vt manus detineat lapidem in aere, non requiritur, quod producat in illo qualitatem intrinſecam: ergo. Reſp. Nego conſ. Ratio eſt: quia vt mobile ſolo extrinſeco motu detineatur, ſufficit obſtaculum extrinſecum. Vt autem mobile propria operatione intrinſeca, & voluntaria, vt Angelus, & dœmon detineatur, requiritur impediens intrinſecum, ligans, & detinens eius potentias.

36 Dubitabis: Vbi ſubiectatur immediatè talis qualitas? Reſpond. quod in omnibus potentijs requiſitis ad operationes externas; maximè in executiva, ſi diſtinguatur ab intellectu, & voluntate. Aut in intellectu, vt practico, & ſub formalitate qua ſit potentia executiva. Sic enim impedit executionem effectus, quem intellectus dœmonis ordinet, & voluntas velit. Exinde inducit in intellectu vehementem apprehenſionem de impedimento afflictivo, & in voluntate dolorem, & triſtitiam de illo. Virtus namque motiva, & executiva Angeli eſt qualitas potens prorrumpere in operationem; & prædicta qualitas eſt conditionis oppoſitæ, impediens eam, vt prorrumpat. Nec de hac qualitate poſſumus amplius ſpeculari: quæ nec in rebus corporeis cognoſcitur, nec explicatur, niſi per ſuos effectus. Qualitas etenim magnetis explicatur per hoc, quod ſit attractiva ferri, & non auri. Et remoræ, quæ detineat navim, & non piſcem.

37 Dices: Ad hoc ſufficere, quod Deus ſuſpendat ſuum concurſum, vt dœmon moveat ſe, vel alia. Reſp. Quod ſufficit ad meram carentiam actionis; non verò ad repugnantiam, & violentiam naturæ ipſius, ſine qua non foret dolor, afflictio, nec pœna ſenſus. Sicut manus noſtra non mota, nec movens, ex ſola ſuſpenſione concurſus divini, nihil ſentiet doloris, afflictionis, & pœnæ; niſi mediante qualitate diſtemperante, ipſi repugnante, & violenta. Ratio vtriuſque eſt: quia dolor, afflictio, & pœna alicuius oritur ex contrario inſiſtente, & faciente vim, eique repugnante: Et maior pœna vnius, præ alio, ex maiori impedimento. Deo autem ſuſpendente concurſum, natura non reſiſtit, ſed omninò ſuccumbit: ſicque manet ſine repugnantia, dolore, afflictione, & pœna. Vnde requiritur qualitas prædicta efficiens. Quæ fit effectivè à Deo, vt cauſa principali; & ab igne, vt inſtrumentali: & ipſa afficit formaliter ſpiritum, quem torquet. Eius effectus eſt

enervatio, languiditas, tarditas, & impedimentum potentiarum. Hoc ſuo modo, experimur in potentijs corporeis; & Deus poteſt ita facere in ſpiritualibus.

## QVÆSTIO III.
### *DE ACTV, ET ORDINAtione Angelorum in ſe.*

PRimus actus vnius Angeli erga alium eſt illuminatio, de qua D. Thomas agit q. 106. Secundus eſt locutio, de qua quæſt. 107. In quæſt. 108. tractat de ordinatione bonorum Angelorum, & quæſt. 109. de ordinatione malorum.

## ARTICULUS I.
### *DE ILLVMINATIONE Angelorum.*

1. PRæmitto 1. quod vnus Angelus illuminat alium, ita Ang. Mag. art. 1. quod ſic oſtendit: Illuminare eſt tradere alteri manifeſtationem veritatis agnitæ; ſed vnus Angelus tradit alteri manifeſtationem veritatis, quã ipſe cognoſcit: ergo. Mai. fundat in illo Epheſ. 5. *Omne quod manifeſtatur, lumen eſt.* Quare Apoſt. cap. 3. ait: *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia: illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi.* Min. oſtenditur ex S. Dioniſio aſſerente: *Theologi planè monſtrant cœleſtium ſubſtantiarum ornatus à ſupremis mentibus doceri deificas ſcientias.*

2 Præmitto 2. Quod Angelus inferior non illuminat ſuperiorem. Sic D. Thom. art. 3. Adducit S. Dioniſ. aſſerentem: *Legem eſſe divinitatis immobiliter firmatam, vt inferiora reducantur in Deum per ſuperiora.* Prob. ratione: Illuminare Angelum eſt docere ipſum, & per modum magiſterij manifeſtare ei veritatem; ſed Angelus inferior non docet ſuperiorem, nec ita manifeſtat ei veritatem: ergo. Prob. min. Docere, & ita manifeſtare veritatem, requirit, quod docens, & manifeſtans præſciat diſtinctiùs, & perfectiùs illam, quàm edoctus, & illuminatus; ſed Angelus inferior non præſcit diſtinctiùs, nec perfectiùs veritatem, quàm ſuperior: ergo. Mai. conſtat in Magiſtro reſpectu diſcipuli. Min. patet: nam ſuperior habet ſcientiam perfectiorem.

3 Concluſ. Angelus ſuperior illuminat inferiorem, ita Angel. Doct. art. 4. & B. Alb. quæſt. 26. Hoc fundat D. Thom. cum Sancto Gregor. aſſerente: *In illa cœleſti patria licet quædam data ſint excellenter, nihil tamẽ poſſidetur ſingulariter.* Et in S. Dioniſio dicente: *Vnaquæque cœleſtis eſſentia intelligentiam ſibi à ſuperiori datam inferiori communicat.* Et art. 1. re-

fert eumdem aientem: *Angeli ſecundæ hierarchiæ purgantur, illuminantur, & perficiuntur per Angelos primæ*; ſed iſti ſunt ſuperiores, & illi inferiores: ergo.

4 Prob. concluſ. ratione Divi Thomæ: Illuminare aliquem, eſt manifeſtare illi veritatem agnitam, & ipſi ignotam; ſed Angelus ſuperior manifeſtat inferiori veritatem agnitam, & ipſi ignotam: ergo. Prob. min. Omnis creatura participat ex divina bonitate, vt bonum, quod habet, in alia diffundat; ſed in Angelo ſuperiori eſt maximum bonum cognoſcere veritatem, quam inferior ignorat: ergo. Mai. patet: Nam de ratione boni eſt, ſe communicare alijs. Min. eſt certa, quia per hoc aſsimilatur Deo, ſummo bono, & cuncta cognoſcenti. Conſ. eſt optima. Vnde & 1. Pet. 4. dicitur: *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Nunc D Thom. *Multo igitur magis Sancti Angeli, qui ſunt in pleniſsima participatione divinæ bonitatis, quidquid à Deo percipiunt, ſubiectis impartiuntur.*

5 Dices: quod ſic idem ſciet Angelus inferior, ac ſuperior, & erit eadem ſcientia vtriuſque. Reſp. Ang. Mag. ita proſequens: *Non tamen recipitur ab inferioribus ita excellenter, ſicut eſt in ſuperioribus. Et ideò ſuperiores ſemper remanent in altiori ordine, & perfectiorem ſcientiam habentes. Sicut vnam, & eandem rem plenius intelligit Magiſter, quàm diſcipulus, qui ab eo addiſcit.* Advertit autem art. 1. quod cum ad intelligẽdum concurrant duo: Virtus ſcilicet intellectiva, & ſimilitudo rei intellectæ; ſecundum hæc vnus Angelus poteſt manifeſtare veritatem alteri, & illuminare illum. Primò, fortificando virtutem intellectivam alterius: nam ſicut virtus corporis imperfectiori cõfortatur ex ſituali propinquitate perfectioris: vt minus calidum ex pręſentia magis calidi; ita virtus intellectiva Angeli inferioris ex converſione ſuperioris: *Hoc enim facit in ſpiritualibus ordo converſionis, quod facit in corporalibus ordo localis propinquitatis*, ait S. Doctor. Secundô, manifeſtando veritatem ex parte ſimilitudinis, ſeu ſpeciei: nam ſuperior accipit notitiam veritatis perceptione vniverſali, ad quam ſic percipiendam non eſt ſufficiens intellectus inferioris, cum ſit ei cõnaturale, vt accipiat eam magis particularizatam; & ideò ſuperior illam ei diſtinguit, explicat, & particularizat; & ſic eam cognoſcendam illi proponit. Sicut apud nos, Doctores quod in ſumma capiunt, alijs multipliciter diſtinguunt.

In-

6 Inquires: De quibus Angelus ſuperior illuminat inferiorem? Reſp. quod de pertinentibus ad ſtatum naturæ, gratiæ, & gloriæ. Sic Ang. Doct. art. 1. ad 2. Prob. Angelus ſupremus illuminat inferiorem de omnibus, de quibus ipſe illuminatur à Deo: Et ſimiliter quilibet Angelus ſuperior inferiorem, de quibus ipſe illuminatur à ſuo ſuperiori; ſed Angelus ſupremus illuminatur de prædictis à Deo: ergo. Prob. min. quoad 1. part. Aliqua futura contingentia pertinent ad ordinem naturæ; ſed Angelus ſupremus illuminatur à Deo de illis: ergo. Prob. min. Notitia eorum manifeſtatur ei à Deo: ergo. Prob. ant. Angelus non poteſt virtute naturali habere notitiam illorum: ergo. Ant. patet Tract. ant. quæſt. 3. art. 7. Cum ea non cognoſcat futura contingentia. Prob. minor quoad 2. Licèt Deus omnibus Angelis revelet myſteria gratiæ, omnes non noverunt æqualiter illa; ſed ſupremus perfectius novit ea: ergo quia ita ſpecialiter eſt illuminatus à Deo, vt poſtea illuminet inferiorem. Prob. quoad 3. Licèt omnes Angeli beati viſione beata videant eſſentiam divinam, & in hoc non ſit illuminatio; ex his, quæ in eſſentia divina, vt in cauſa videntur, Angelus ſupremus videt plura: ergo de illis eſt illuminatus à Deo, & ipſe illuminat inferiorem. Prob. ant. Angelus ſupremus, vt perfectior, participavit maiorem gratiam, habuit maius meritum, & exinde cõſecutus eſt maiorem gloriã; ſed ornatus maiori gloria videt plura in eſſentia divina: ergo.

7 Hæc autem illuminatio eſt inter Angelos bonos: nam inter malos nullus illuminat alium, ita Ang. Doct. quæſt. 109. Prob. Illuminare alium, eſt manifeſtare ei veritatem, eo modo quo illuminanti eſt manifeſtata à Deo, & cum ordine ad Deum; ſed perverſitas Angelorum malorum non permittit hoc: ergo. Prob. min. Ita illuminare alium, eſt opus bonum morale, quare in hominibus eſt opus miſericordiæ; ſed perverſitas Angelorum malorum non permittit, quod faciant opus bonum morale, vt vidimus quæſt. ant. art. 2. ergo.

8 Dubitabis: An ſicut vnus Angelus illuminat intellectum alterius, poſsit movere voluntatem illius? Reſp. quod non poteſt movere illam, ſed inclinare, & ſuadere eam. Quod fundat D. Thomas art. 2. hoc diſcurſu: Eius eſt immutare voluntatem, cuius eſt iuſtificare: cum iuſtitia ſit rectitudo voluntatis; ſed ſolus Deus eſt qui iuſtificat: ergo vnus Angelus non poteſt mutare voluntatem alterius: ſicque nec movere illam, cum movere ſit mu-

mutare. Prob. ratione ipſius: Vna motio voluntatis eſt ex parte obiecti, alia ex parte potentiæ; ſed vnus Angelus nec ex parte obiecti, nec potentiæ poteſt movere alium: ergo. Prob. min. Solus Deus poteſt movere ex parte obiecti, & potentiæ voluntatem creatam: ergo. Prob. ant. quoad 1. part. Ex parte obiecti ſolùm poteſt movere ſufficienter voluntatem creatam bonum vniverſale, & oſtendens hoc bonum; ſed ſolus Deus eſt bonum vniverſale, & oſtendens ipſum: ergo. Mai. patet: Nam bonum eſt obiectum voluntatis, vt appetibile movens appetitum eius; ad quam motionem cōcurrit oſtendens tale bonum voluntati; ſed non movet ſufficienter, niſi bonum vniverſale. Min. eſt Divi Thomæ aſſerentis: *Quod eſt Deus: Et hoc bonum ſolus ipſe oſtendit, vt per eſſentiam videatur à beatis, qui dicenti Moyſi, oſtende mihi gloriam tuam, reſpondit: Ego oſtendam tibi omne bonum, vt habetur Exodi 33.*

9 Prob. quoad 2. Ille ſolus poteſt movere ex parte potentiæ voluntatē creatam, qui contulit ei virtutē volendi; ſed ſolus Deus cōtulit ei virtutē volēdi: ergo. Maior patet: nam ille ſolus dedit ei inclinationem, vt velit; & eam poteſt immutare. Sicut ſolus poteſt movere, & immutare inclinationem naturalem, qui eam dedit naturæ. Min. eſt certa, & Ang. Doct. aſſerentis: *Solus autem Deus eſt, qui potentiam volendi tribuit creaturæ, quia ipſe ſolus Deus eſt author intellectualis naturæ.* Et concludit: *Vnde Angelus voluntatem alterius movere non poteſt.* Quid igitur facit? Reſpondet: *Inclinat eam, vt amabile quoddam: & vt maniſeſtans aliqua bona creata ordinata in Dei bonitatem. Et per hoc inclinare poteſt ad amorem creaturæ, vel Dei per modum ſuadentis.*

10 Arg. 1. cont. 1. premiſ. Quilibet Angelus illuminatur à ſolo Deo: ergo vnus non illuminat aliùm. Prob. ant. Angelus illuminatur ab eo, à quo recipit lumen; ſed quilibet Angelus recipit lumen a ſolo Deo: ergo. Prob. min. ex D. Auguſt. lib. 83. quæſt. aſſerente: *Mens rationalis à ſolo Deo formatur, nulla interpoſita creatura;* ſed lumen eſt quædam forma mentis rationalis: ergo. Reſp. admitto, & explico auth. cum Ang. Mag. art. 1. ad 3. dicendo, quod formatur immediatè à Deo: Vel ſicut imago ab exemplari, quia non eſt facta, niſi ad imaginem Dei: vel ſicut ſubiectum ab vltima forma completiva: quia ita reputatur informis, vſque dum primæ veritati inhæreat. Quo non obſtanti, etiam formatur diſpoſitivè à creatura, & vnus Angelus ab alio, dum recipit illuminationem, & notitiam veri-

ritatis, qua diſponitur ad illam, vt vltimam formam, & illuminationem præcipuam.

11 Cont. Quilibet Angelus recipit illuminationem a ſolo Deo: ergo nec diſpoſitivè illuminatur ab alio. Prob. ant. In Angelis eſt triplex lumen, naturæ, gratiæ, & gloriæ; ſed quilibet Angelus illuminatur lumine naturæ à creatore, lumine gratiæ à iuſtificante, & lumine gloriæ à beatificante, qui eſt ſolus Deus: ergo. Reſp. diſt. min. Per receptionem luminis, conc. minorem. Per confortationem, nego min. & ita diſt. conſ. Quilibet enim Angelus recipit tale triplex lumē à ſolo Deo, qui ſolus eſt Creator, Salvator, & Glorificator. Cōfortationem autem prædicti luminis, & manifeſtationem veritatis pertinentis ad ordinem naturæ, gratiæ, & gloriæ habet vnus Angelus ab alio. Et cum in hoc ſtet illuminatio prædicta: ideò illuminatur ab eo.

12 Cont. Quilibet Angelus etiam ſic illuminatur à Deo, & non ab alio, ſaltim de pertinentibus ad ordinem gloriæ: ergo. Prob. ant. ex illo Jer. 31. *Non docebit vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum*: ergo. Reſp. admitto, & explico Sac. Text. cum Divo Thoma ad 1. ita exponente: *Omnes Angeli tam ſuperiores, quàm inferiores immediatè vident Dei eſſentiam. Et quantum ad hoc vnus non docet alium. De hac enim doctrina loquitur. Vnde dicit, non docebit vir fratrem ſuum dicens, cognoſce dominum. Omnes enim cognoſcent me à minimo eorum vſque ad maximum. Sed rationes divinorum operum, quæ in Deo cognoſcuntur ſicut in cauſa, omnes quidem Deus in ſe ipſo cognoſcit: quia ſe ipſum comprehendit: aliorum verò Deus videntium tanto vnuſquiſque in Deo plures rationes cognoſcit, quantò eum perfectius videt. Vnde ſuperior Angelus plura in Deo de rationibus divinorum operum cognoſcit, quàm inferior: & de his eum illuminat.*

13 Arg. 2. cont. 2. præmiſ. In cœleſti hierarchia inferior poteſt illuminare ſuperiorem; ſed Angeli ſunt in cœleſti hierarchia: ergo. Prob. mai. In Eccleſiaſtica Hierarchia inferior poteſt illuminare ſuperiorem: ergo. Ant. patet ex illo 1. Cor. 14 *Poteſtis omnis per ſingulos prophetare, vt omnes diſcant.* Prob. conſ. Eccleſiaſtica hierarchia eſt derivata à cœleſti, eam repræſentat, & imitatur. Unde & *ſuperna* Jeruſalem *dicitur mater noſtra*, Galat. 4. Sed: ergo. Reſp. diſt. mai. Imitatur perfectè, nego mai. Aliqualiter, conc. mai. & min. & nego conſeq. Pro quo Ang. Doct. art. 3. ad 1. ait: *Eccleſiaſtica hierarchia imitatur cœleſtem aliqualiter, ſed non perfectè conſequitur eius ſimilitudinem.*

*In cœleſti enim hierarchia tota ratio ordinis eſt ex propinquitate ad Deũ: & ideò illi qui ſunt Deo propinquiores, ſunt & gradu ſublimiores, & ſcientia clariores. Et propter hoc ſuperiores nunquam ab inferioribus illuminantur. Sed in Eccleſiaſtica hierarchia interdum, qui ſunt Deo per ſanctitatem propinquiores, ſunt gradu infimi, & ſcientia non eminentes. Et quidem in vno etiam ſecundum ſcientiam eminent, & in alio deſſiciunt. Et propter hoc ſuperiores ab inferioribus doceri poſſunt.*

14 Cont. Licèt Angelus ſuperior ſit propinquior Deo, quę poteſt velle illuminari ab inferiori: ergo ex voluntate ſua poteſt inferior illuminare illum. Prob. ant. Angelus illuminat illum, ad quem ſe convertit; ſed Angelus ſuperior poteſt velle cõverſionem ſui ad inferiorem: ergo. Prob. min. Talis converſio eſt voluntaria: ergo. Reſp. diſt. antec. Et regulata lege divina, conc. ant. Non regulata, nego ant. & conſ. Angelus namque ſuperior convertitur voluntariè, vt illuminet inferiorem; non tamen poteſt converti, vt illuminetur ab inferiori: quia voluntas eius regulatur lege divina, quæ in Angelis inſtituit ordinem, vt inferiores illuminentur per ſuperiores.

15 Cont. Licèt Deus inſtituerit talem ordinem in Angelis ſpiritualibus, poteſt præter illum operari, non illuminando inferiores per ſuperiores, ſed aliquem ſuperiorem per inferiorem: ergo. Prob. ant. Etiam inſtituit ordinem in cauſando in ſubſtantijs corporalibus; ſed poteſt operari præter illum: ergo. Mai. eſt certa, ſiquidem omnia inſtituit, & fecit cum ordine. Min. conſtat, cum operatur miraculosè. Prob. conſ. Sicut ordo ſubſtantiarum corporalium pendet ex voluntate Dei, ita ordo ſpiritualium; ſed: ergo. Reſp. Nego conſ. Ratio eſt: Quia talis ordo ſubſtantiarum ſpiritualium nunquam prætermittitur à Deo, ſicut ordo corporalium, eo quod ad primum non eſt motivum, ſicut ad ſecundum. Sic D. Thomas ad 2.

16 Cont. Aliquando prætermittitur, & eſt motivũ vt prætermittatur à Deo, ordo ſubſtantiarum corporalium in cauſando: ergo & ordo ſpiritualium, & Angelorum in illuminãdo. Reſp. Nego conſ. diſcrimen eſt: Quia Deus ordinat homines ad ſui cognitionem per cauſas corporales, & operationes earum: eo quod ſunt manifeſtæ hominibus. Quarum aliquando prætermittit ordinem, & producit aliter effectum, operando miraculosè, ſic etiam inducens homines in cognitionem Dei: quod eſt moti-

tivum ſpeciale talis prætermiſſionis. Enim verò non ordinat ita homines ad ſui cognitionem per illuminationes Angelorum inter ſe, nec per operationes earum, quæ non ſunt ita manifeſtę hominibus. Unde nec in prętermiſsione talis ordinis ducet eos ad cognitionem Dei. Sicque non eſt ſimile motivum, ita Aug. Mag. in corp.

17 Arg. 3. cont. concluſ. Licèt Angelus ſuperior excedat in ſcientia inferiorem, non illuminat illum: ergo. Prob. ant. Cherubin excedit in ſcientia Seraphim; ſed non illuminat illum, ergo. Min. patet: cum Seraphim ſit ſuperior. Prob. mai. Cherubin excedit in ſcientia omnes Angelos: ergo. Prob. ant. Cherubin dicitur plenitudo ſcientiæ: ergo. Reſp. diſt. ant. Comparativè ad Choros, & ordines inferiores, conc. ant. Ad Seraphim, nego ant. & ita diſt. conſ. Cherubim enim pertinet ad Chorum immediatum Seraphico: ſicque eſt inferior ad Seraphim, & ſuperior Angelis cuiuslibet inferioris Chori: ideòque excedit in ſcientia iſtos, & non illos: cum Angelus ſuperior excedat in ſciẽtia inferiorem. Quare dicitur plenitudo ſcientiæ comparativè ad Choros inferiores; non verò ad Seraphim, quem propterea non illuminat, ſicut Angelus ſuperior illuminat inferiorem.

18 Cont. Cherubim dicitur plenitudo ſcientiæ comparativè ad Seraphim: ergo. Prob. antec. Seraphim non excedit in ſcientia Cherubim: ergo. Prob. ant. Si excederet, poſſet potiùs dici plenitudo ſcientiæ, quàm Cherubim: ergo. Prob. ant. Seraphim excederet in ſcientia octo Choros Angelorum, in quorum vno eſt Cherubim; ſed Cherubim ſolum excedit ſeptem Choros, & non Chorum Seraphicum: ergo. Reſp. diſt. conſ. dici abſolutè, conc. conſ. Excellẽter, nego conſ. Seraphim enim excedit in ſcientia omnes Choros, etiam Cherubicum; & habet plenitudinem ſcientiæ, cuius nomenclatura poteſt abſolutè ornari. Veruntamen in illo excellit amor, & ardor charitatis, qui habentem cõſtituit meliorem: Et exinde dicitur *plenitudo amoris*; quæ denominatio præcellit, eaque diſtinguitur à Cherubinis, quibus relinquit denominationem plenitudinis ſcientiæ.

19 Arg. 4. Deus illuminat immediatè omnes Angelos: ergo. ſuperior non illuminat inferiorem. Prob. ant. Deus immediatè communicat omnibus Angelis lumen, & ſpecies, vt cognoſcant: ergo. Prob. conſ. Sicut Angelus requirit illuminationem, vt cognoſcat veritatem, ita requi-

quirit lumen, & ſpecies; ſed: ergo. Reſp. Nego conſ. Ratio eſt: quia lumen eſt proprietas dimanans, & ſpecies eſt exapta ab eſſentia Angeli. Et cum ſit proprium Dei conditoris, præbentis eſſentiam præſtare illius proprietates: ideò Deus producens Angelos, præſtat immediatè illis lumen, & ſpecies, vt cognoſcant. Illuminatio autem non eſt huiuſmodi proprietas, ſed quædam expreſsio, & manifeſtatio veritatis per modum doctrinæ, & magiſterij: quod Deus exequitur medijs ſuperioribus reſpectu inferiorum.

20 Cont. Licèt ſic fiat illuminatio, Deus immediatè communicat lumen, & illuminat omnes Angelos: ergo. Prob. ant. Deus immediatè communicat lumen, & illuminat Angelum ſupremum: ergo. Prob. conſeq. Virtus Dei illuminativa eſt eadem quoad omnes; ſed: ergo. Reſp. Nego conſ. Diſcrimen eſt: quia inter Deum, & Angelum ſupremum non mediat alius, qui illuminet illum. Inter Deum autem, & reliquos Angelos mediant alij, quibus Deus diſpoſuit illuminare illos: nam providus ordinavit, facere miniſterio creaturarum aliqua, ſed non omnia.

21 Cont. Etſi inter Deum, & reliquos Angelos medient Angeli ſuperiores, Deus illuminat immediatè illos: ergo. Prob. ant. Inter Deum, & Angelum ſupremum poſſunt mediare alij ſuperiores; ſed diſpoſuit illuminare immediatè, & illuminat illum: ergo. Reſp. Nego conſ. Ratio eſt: Quia ſolus Angelus exiſtens illuminat, ſicut ſolus exiſtens eſt illuminatus. Cumq; Angeli mediantes inter Deũ, & Angelum ſupremũ non ſint exiſtẽtes, ſed poſsibiles; mediantes autem inter Deum, & reliquos iam ſint exiſtentes: ideò illuminat immediatè ſupremum, & non alios. Ex inſtantia enim ſolum ſequitur, quod ita poſsit illuminare ſupremum, medio alio ſuperiori, quem poteſt producere; de quo tunc eſſet eadem difficultas; non tamẽ quod actu illuminet. Quod autem dicimus de illuminatione ſcientiæ, affirmamus quoque de illuminatione fidei: nam Deus infundit immediatè lumen fidei Angelis, & hominibus; illuminat tamen inferiores per ſuperiores. Per Angelos namque inſtruxit Prophetas, & per illos populos. Et in Eccleſia eſt vnus ſupremus Magiſter, nempe Summus Pontifex, qui docet alios. Hæc docet M.P. Aug. ſup Pſal. *Fundamenta eius in montibus ſanctis.*

22 Arg 5. Angelus ſuperior illuminat inferiorem producendo, vel augendo lucem in illo: er-

ergo non præciſe confortando eum. Prob. ant. ex Ang. Magiſt. art. 1. aſſerente: *Sicut enim virtus imperfectioris corporis confortatur ex ſituali propinquitate perfectioris corporis; vt minus calidum creſcit in calore ex præſentia magis calidi; ita virtus intellectiva inferioris Angeli confortatur ex converſione ſuperioris Angeli ad ipſum*; ſed magis calidum confortat minus calidum producendo, vel augendo calorem in illo: ergo. Reſp. Admitto, & explico author. in qua Ang. Doct. comparat Angelum calido in confortatione, & non in alio. Et ſentit illuminationem Angeli inferioris fieri per converſionem ſuperioris ad illum, qua ipſum confortat, ſicut calidum confortatur ex propinquitate magis calidi. Ad vtramque enim ſub ratione ſolius confortationis ſufficiebat concurſus extrinſecus: ſicque cum hoc ſtatuit illuminationem Angeli.

23 Cont. Ex propinquitate corporis magis calidi non ſolum confortatur minus calidum, ſed etiam producitur, aut intenditur calor in illo: ergo ex converſione Angeli ſuperioris ad inferiorem, non ſolum confortatur virtus intellectiva, ſed etiam producitur, aut intenditur. Prob. conſ. ex Divo Thoma ibi aſſerente: *Hoc enim facit in ſpiritualibus ordo converſionis, quod facit in corporalibus ordo localis propinquitatis*; ſed: ergo. Reſp. Admitto auth. & nego conſeq. Ratio eſt: quia illuminatio, eiuſque confortatio fit per extrinſecam propoſitionem, & expreſsionem veritatis: vt cum Magiſter docet diſcipulum. Quam efficit Angelus ſuperior ſua converſione ad inferiorem. Corpus autem calidum cõmunicat minus calido calorem, aut intendit primum.

24 Henricus dixit: Quod talis illuminatio fit per hoc, quod Angelus ſuperior infundit lumen ſpirituale inferiori. Verum ita non eſt: Nam tale lumen eſſet naturale, vel ſupernaturale; ſed Angelus ſuperior neutrum poteſt infundere inferiori: ergo. Prob. min. quoad 1. part. Lumen naturale Angeli eſt intellectus illius; ſed non poteſt infundere intellectum inferiori: ergo. Prob. min. Solus Deus poteſt infundere illum: ergo. Prob. ant. Solus præbens eſſentiam, poteſt infundere, aut præbere proprietatem; ſed ſolus Deus præbet Angelo inferiori eſſentiam, cuius eſt proprietas intellectus: ergo. Probat. quoad 2. Lumẽ ſupernaturale foret gratia Angeli; ſed ſolus Deus, & non Angelus ſuperior, poteſt infundere alteri gratiam: ergo.

25 Herveus aſſeruit: Fieri per hoc, quod ſuperior intendit lumen inferioris. Enim verò in-

tellectus Angeli inferioris, qui eſt lumen naturale ipſius, non eſt intenſibilis: nam producens eius ſubſtantiam, producit proprietates illius, cum omni ſua intenſione, & perfectione. Alij aſſeruerunt: Fieri per hoc, quod producat ſpeciem impreſſam in Angelo illuminato. Iam autem vidimus: quod quilibet Angelus habet ſuas ſpecies infuſas à ſolo Deo. Alij dixerunt: Fieri per hoc, quod producat in illuminato qualitatem intentionalem, ad modum luminis. Quod nequit eſſe: Nam cum foret qualitas ſpiritualis, non poſſet diffundi, nec tranſire per medium materiale, & ſenſibile ad Angelum illuminatum. Nec vnus Angelus poteſt illabi intellectui alterius, vt immediatè relinquat ei ſpeciem, aut talem qualitatem. Omnia vtique relata ſunt reiecta in Ang. Doct. art. 1. dum ad 2. ait: *Vnus Angelus non illuminat alium, tradendo ei lumen naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ, ſed confortando lumen naturale ipſius, & manifeſtando ei veritatem.*

26 Subtilis Doctor docet: Fieri per hoc, quod illuminans producat in mente illuminati notitiam formalem obiecti, ita vt illuminatus ſe habeat merè paſsivè ad cognitionem eius. Hoc autem non poteſt eſſe: Nam talis notitia, aut eſt actus vitalis intellectus; qui nequit cauſari, nec elici, niſi à proprio intellectu. Aut eſt conceptus, & ſpecies expreſſa, ab obiecto diſtincta: Sicque eſt terminus actus vitalis ipſius cognoſcentis.

27 Cont. Confortatio, & illuminatio Angeli non fit per ſolam extrinſecā propoſitionem veritatis, ſed per aliquid virtutis, additum potentiæ intellectivæ: ergo. Prob. antec. ex Angel. Doct. in corp. aſſerente: *Secundum hæc duo vnus Angelus alteri veritatem notam notificare poteſt. Primo quidem fortificando virtutem intellectivam eius. Secundo autem vnus Angelus alteri manifeſtat veritatem ex parte ſimilitudinis intellectæ*: ergo. Reſp. admitto, & explico auth. Cuius ſenſus eſt: Quod non eſt ſola propoſitio obiecti, ſed etiam illuſtratio intellectus, cui Angelus illuminans proponit veritatem ſub lumine clariori, & perfectiori. Ex quo intellectus illuminati confortatur, quin ei ſuperaddatur virtus intellectiva. Sicut potentia viſiva ita confortatur lumine lucernæ, aut ſolis, vt videat; quin ei virtus videndi adveniat. Ita D. Thomas in 1. diſt. 1. quæſt. art. 2.

28 Cont. Angelus confortat, & illuminat alium, non ſola prædicta propoſitione, & illuſtratione, ſed etiam virtute intellectiva, ei ſuperaddita: ergo.

Prob.ant.ex Ang.Mag.queſ.117. art.1. dicente de illuminatione hominis ab alio homine: *Alio modo cum confortat intellectum addiſcentis, non quidem aliqua virtute activa quaſi ſuperioris naturæ, ſicut ſupradictum eſt de Angelis illuminantibus: quia omnes humani intellectus ſunt vnius gradus in ordine naturæ*: ergo. Reſp.admitto, & explico auth. In qua S. Doctor docet: Quod illuminatio hominis à Magiſtro eſt, per propoſitionem, & manifeſtationem obiecti ſub eodem lumine, & non ſub perfectiori, & ſuperiori. Non tamen activè, & ſub lumine ſuperiori, ſicut eſt in Angelis. Verumtamen nec in his, nec in illis eſt per additionem virtutis. Etſi rigoroſè eſt loquendum, homo non illuminat, ſed docet hominem; vt reſolvit S.Doctor. Angelus autem docet, & illuminat Angelum. Cuius, & inſtantiæ à paritate, diſcrimen eſt: Quia Angelus ſuperior oſtendit inferiori ipſum cōceptum in ſe, quem ipſe habet de veritate, quam ei manifeſtat; ita vt inferior videat illum. Homo autem non, ſed proponit alteri conceptum vocibus, & ſignis. Quare homo non recipit lucem maiorem, ſicut Angelus, qui recipit lucem conceptus ſuperioris, qua ita confortatur, & illuminatur.

29 Cont. Illuminatio Angeli non fit per oſtenſionem talis conceptus: ergo. Prob.ant. Illuminatio hominis ab Angelo non fit per oſtenſionem talis conceptus: ergo. Ant.eſt certum: Siquidem homo nec poteſt videre conceptum Angeli, nec alterius hominis. Prob.conſ. Sicut Angelus, docet, & illuminat Angelum, ita hominem; ſed: ergo. Reſp.nego conſ. Ratio eſt: Quia Angelus aliter docet, & illuminat Angelum, & hominem. Angelum enim docet, & illuminat per oſtenſionem ſui conceptus, cuius perceptionis eſt capax, cum homo incapax ſit. Hominem autem concurrēdo ad formationem ſpeciei impreſſæ in ſenſu, & cum intellectu agente ipſius, vt reddat ſpeciem ita intelligibilem, & expreſſivam obiecti, quam talem ſe ſolo non formaret. Unde in intellectum hominis non agit immediatè, ſicut in intellectum Angeli.

30 Arg. 6. Angelus illuminat inferiorem ex quadam coniunctione cum ipſo; ſed ex hac inferior recipit virtutem ad intelligendum, quam non habebat: ergo. Mai.patet: Nam converſio ad illum, qua illuminat eum, eſt quędam coniunctio cum ipſo. Prob.minor. Phantaſma ex coniunctione cum intellectu agentis hominis recipit virtutem, vt producat ſpeciem intelligibilem: & ca-

calor ex coniunctione cum igne, vt producat formam ignis: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia phantaſma ex tali coniunctione fit, & concurrit vt inſtrumentum intellectus agentis ad productionem ſpeciei; & elevatur ab illo media virtute, quam recipit. Et ſimiliter fit, eſt, & concurrit calor, vt virtus inſtrumentaria ignis. Intellectus autem Angeli inferioris non eſt, nec fit virtus intellectus ſuperioris. Nec ex coniunctione prædicta, pro tali conversione accepta, conſtituitur inſtrumentum, nec virtus inſtrumentaria illius; ſed præcisè perfunditur maiori luce, vt percipiat expreſsius veritatem obiecti: ſicque eius intellectus confortatur per illuminationem, quin recipiat novam virtutem.

31 Cont. Intellectus Angeli inferioris ex ſola perfuſione talis lucis non redditur cognoſcens veritatem, quam antea non cognoſcebat, vel non poterat cognoſcere: ergo recipit aliquid virtutis. Prob. ant. Talis perfuſio lucis fit per explicationem veritatis, factam à ſuperiori per modum doctrinæ, & magiſterij; ſed ex ſola tali explicatione non redditur cognoſcens veritatem prædictam: ergo. Maior. eſt certa: Ideoque ſuperior conſtituitur Doctor, & Magiſter inferioris. Prob. minor. Intellectus manens virtute idem, non cognoſcit veritatem, quam non cognoſcebat, vel non poterat cognoſcere; ſed tali ſola explicatione intellectus Angeli inferioris manet virtute idem: ergo. Mai. patet: Nam manens in virtute idem, ſemper eſt natum facere idem, & non aliud. Min. conſtat: Cum non recipiat novam virtutem.

32 Reſp. diſt. mai. Quam defectu illuſtrationis obiecti, nego mai. Virtutis ipſius, conc. mai. & min. & nego conſeq. Cum enim defectus cognitionis alicuius obiecti eſt defectu virtutis intellectus, hic manens virtute idem, nequit cognoſcere veritatẽ eius: Cum ad hanc cognoſcendam requiratur virtus, quam non habet. Cum verò eſt defectu obiecti, lucis, aut illuſtrationis circa illud, aut improportionis, & non explicationis illius, poteſt hac ſuperveniente. Cumque Angelus inferior ſolum defectu huius non cognoſcat aliquas veritates obiecti: ideò manens virtute idem, ea ſola redditur illas cognoſcens. Sicut propterea cognoſcitur ab aliquo ſecretum cordis, manifeſtatum ipſi denuò: Et futurum contingens ab Angelo: & obiectum videtur à potentia viſiva.

33 Cont. Angelus ſuperior non poteſt explicare inferiori veritatem obiecti, modo ſuffi-

cien-

ciente, vt inferior, manens virtute idem, cognoſcat eam: ergo. Prob.ant. Angelus inferior, manens virtute idem, non poteſt percipere vnico conceptu, ſed pluribus veritatem obiecti, quam antea non cognoſcebat; ſed ſuperior non poteſt explicare eam pluribus conceptibus, ſed vnico, vel paucioribus: ergo. Mai.patet: Nam inferior cognoſcit per ſpecies minus vniverſales, & format conceptus minus vniverſales; & plures, quàm ſuperior. Prob.min. Angelus ſuperior explicat veritates, vt cognoſcit; ſed eas cognoſcit vnico conceptu, vel paucioribus: ergo.

34 Reſp.diſt.mai. Vt cognoſcit abſolutè, nego mai. Reſpectivè, conc.mai. & diſt. min. Vt abſolutè, conc.min. Reſpectivè, nego min.& conſ. Angelus enim ſuperior cognoſcit abſolutè, & in ordine ad ſe veritates vnico, aut paucis conceptibus. Exinde autem, cum ſit à Deo conſtitutus miniſter, Magiſter, & doctor ſpirituum, attendit quem debeat docere, & illuminare; & iuxta naturam, & virtutem intellectivam illius dividit, diſtinguit, particularizat, & proponit veritatem, tot conceptibus, quot poteſt percipi ab inferiori. Vnde ipſe in hac cognitione reſpectiva, & illuminativa eis percipit, & explicat veritatem; quam proponit ſufficienti modo, vt percipiatur ab inferiori; quem tali luce, illuſtratione, & confortatione ita illuminat, ſine additione virtutis.

35 Arg.7. Angelus ſuperior non illuminat inferiorem de omnibus, quæ ſcit: ergo nec de pertinentibus ad ordinem naturæ, gratiæ, & gloriæ. Prob.ant. Angelus ſuperior habet ſcientiam vniverſaliorem, & inferior minus vniverſalem; ſed ſcientia vniverſaliori ſciũtur plura, quàm minus vniverſali: ergo. Reſp.diſt. mai. Quantum ad modum intelligendi, conc.mai. Ad obiecta cognita, nego mai. & diſt.min. Vniverſaliori ex parte obiecti, conc.min. Modi, nego minor.& conſ. Scientia enim vniverſalior ex parte obiecti, & quantum ad obiecta, cognoſcit plura, quàm minus vniverſalis. Vniverſalior autem ſolum ex parte modi, attingit eadem, ſed modo eminentiori, paucioribus ſpeciebus, & conceptibus. Cumque ſcientia Angeli ſuperioris ſolum hoc modo ſit vniverſalior: ideò non attingit plura obiecta, ſed eadem tali modo eminentiori; quæ poſtea dividit, diſtinguit, particularizat, & explicat inferiori, itaque de omnibus eum illuminat: Sic Divus Thomas art. 4. ad 1. aſſerens: *Superiorum Angelorum ſcientia dicitur eſſe vniverſalior*

 *quan-*

*quantum ad eminentiorem modum intelligendi.*

36 Cont. Angelus ſuperior habet ſcientiam vniverſaliorem ex parte obiecti: ergo. Prob.ant. Angelus inferior nō habet ſcientiam æquè vniverſalem ex parte obiecti: ergo. Prob.ant. Si inferior haberet ſcientiam æquè vniverſalem ex parte obiecti, ſemel illuminatus, ſciret omnia, quæ ſcit ſuperior;ſed illuminatus non ſcit omnia,quæ ſcit ſuperior: ergo. Prob.min. Si Angelus inferior, ſemel illuminatus, ſciret omnia,quæ ſcit ſuperior,hic iam non illuminaret illum; ſed hic ſemper illuminat illum: ergo. Mai.patet: Quia non reſtarent obiecta, de quibus illuminaret eum. Min. conſtat: Nam ſuperior nedum in creatione inferioris, verū & vſque in finem mundi, illuminabit illum.

37 Reſp.diſt.mai. De ſcitis in prima illuminatione, conc. mai. De alijs, nego mai. & diſt. min. De alijs, conc.min. De ſcitis in prima illuminatione, nego min.& conſ. Angelus vtique ſuperior manifeſtat inferiori, quæ ipſi à Deo revelantur, & de illis illuminat eum. Cumque Deus vſque in finem mundi revelet nova ſuperiori: ideò hic de novo illuminat inferiorem de illis, etſi non de ſcitis in prima illuminatione. Ita Divus Thomas ad 3. ediſſerens: *Vſque ad diem iudicij ſemper nova aliqua ſupremis Angelis revelantur divinitus de his, quæ pertinent ad diſpoſitionem mundi, & præcipuè ad ſalutem electorum. Vnde ſemper remanet, vnde ſuperiores Angeli inferiores illuminent.* In pertinentibus autem ad ordinem naturæ illuminatio eſt de his, de quibus ſuperior illuminatur à Deo; vt de futuris contingentibus. Non de his, de quibus non illuminatur;quæ ſola virtute naturali cognoſcit.

38 Cōt.Angelus ſuperior non illuminat de novo inferiorem de alijs: ergo. Prob.ant. Non illuminat de novo inferiorem de futuris contingentibus naturalibus, quæ eveniunt: ergo. Prob. ant. Non illuminat ab initio inferiorem de naturalibus,quæ ipſe ſcit ſola virtute naturali: ergo. Prob. conſ. Vtraque pertinent ad ſtatum, & ordinem naturæ; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Nam illuminatio Angelorum deſcendit à Deo, & inferior illuminatur à ſuperiore de quibus hic illuminatur à Deo; qui non illuminatur de rebus naturalibus, quæ ſola propria virtute cognoſcit, cum ad illas ſufficiat lumen naturale, & ſpecies; ſed de futuris,quæ eveniunt. Ita Div. Dioniſ. cit. à Divo Thoma art.1.

39 Arg. 8. Si Angelus ſuperior

rior illuminaret inferiorem de pertinentibus ad ordinem gratię, inferior non ignoraſſet myſteria gratiæ, quæ ſuperior cognoviſſet; ſed ignoravit alia, quæ ſuperior cognovit: ergo. Mai. eſt certa, cum eſſet edoctus de illis à ſuperiore. Prob. min. Angelus ſuperior à ſæculis cognovit myſterium Incarnationis; ſed inferior non cognovit illud vſquequo eſt completum: ergo. Mai. docetur à Mag. Sentent. cit. ab Ang. D. art. 4. arg. 2. Prob. min. ex Pſal. 23. vbi inquirentibus quibuſdam Angelis: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Eis quaſi ignorantibus, reſponderunt alij, vt ſcientes: *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.* Sic enim exponit hunc locum Sanct. Dioniſ. cap. 7. de cœleſti hierarchia; ſed Angeli ignorantes, & inquirētes erant inferiores; ſcientes autem, & reſpondentes ſuperiores: ergo.

40 Reſp. Admitto, & explico Sac. Textum de ignorantia myſterij non in ſe, & ex parte obiecti, ſed alicuius circunſtantiæ, cōditionis mirabilis, & magnitudinis eius: de qua Angeli inferiores inquirebant, & ſunt edocti à ſuperioribus. Ita Div. Thomas ad 2 dicens: *Verbum Magiſtri non eſt intelligendum, quod inferiores Angeli pœnitus ignoraverint myſterium Incarnationis: ſed quia non ita plene cognoverunt ſicut ſuperiores: & in eius cognitione poſtmodum profecerunt, dum illud myſterium impleretur.* Et D. Aug. 5. ſup. Gen. dicit: *Angeli à principio cognoverunt omnia myſteria gratiæ facienda.* Quod intelligitur modo explicato. Quapropter illud Iſaię 63 *Quis eſt iſte, qui venit de Edom?* Intellectum de Domino in die Aſcenſionis admirabilis. S. Hieronymus ſic exponit: *Verbum eſt Angelorum inferiorum quærentium edoceri à ſuperioribus.*

41 Cont. Angelus ſuperior non illuminat inferiorem de myſterijs gratiæ, quantum ad circunſtantias, & conditiones particulares, & mirabiles: ergo. Probatur ant. Talis illuminatio eſt gratiæ ſupernaturalis; ſed Deus non producit gratiam ſupernaturalem, medio Angelo ſuperiori in inferiori: ergo. Reſp. diſt. minor. Non producit per modum efficientis, conc. min. Docentis, nego min. & conſ. Deus enim immediatè efficit, & producit in Angelo inferiori lumen ſupernaturale, & gratiam, vt poſsit cognoſcere veritates, & myſteria gratiæ: cum ipſe efficiat immediatè gratiam. Vlterius autem requiritur inferiori doctrina, & inſtructio de illis; quam Deus non exequitur immediatè, ſed miniſterio Angeli ſuperioris docentis, & inſtruentis inferiorem. Et cum doceat, & inſtruat illum de

my-

myſterijs gratiæ, quantum ad prædictas rationes,& circunſtantias: ideò ſic illuminat illum.

42 Cont. Deus nec per modum docentis producit, medio Angelo ſuperiori, talem gratiam ſupernaturalem illuminationis in inferiori: ergo. Prob.ant. Ad doctrinam per modum illuminationis requiritur in illuminante exceſſus reſpectu illuminati, in lumine ſpecificè diverſo; ſed in lumine gratuito, & in tali gratia ſupernaturali non eſt talis diverſitas in Angelo ſuperiore, reſpectu inferioris: ergo. Mai. patet: Ideoque plures Thomiſtæ probant: inter homines non dari rigoroſam illuminationem, ſed magiſterium: quia non eſt in eis talis exceſſus: cum lumen ſit eiuſdem ſpeciei in omnibus. Minor conſtat: Nam eſt eiuſdem ſpeciei in omnibus Angelis.

43 Reſp. diſt. mai. In lumine elevante, nego maior. Elevato, conc. mai. & min. & nego conſeq. Ad veram vtique illuminationem non requiritur, quod illuminans excedat ita in lumine elevante: cum ſufficiat exceſſus in lumine elevato: nam cum hoc exceſſu cognoſcit maiori vniverſalitate veritates; & exinde eas particularizat, & explicat inferiori. Cumque Angelus ſuperior, etſi non excedat inferiorem in lumine, & gratia ſupernaturali elevante, eo quod in vtroque ſit eiuſdem ſpeciei; ſuperet eum in elevato, nempe, in intellectu, & lumine naturali: ideò docet, & illuminat inferiorem. Homo autem, etſi doceat, non ſic illuminat hominem: quia eis etiam lumen elevatum, & intellectus eſt eiuſdem ſpeciei, & ſine exceſſu ſufficiente, vt vnus cum maiori vniverſalitate cognoſcat, & exinde alium illuminet.

44 Cont. Non cohæret, quod eodem lumine ſupernaturali ſpecifico elevante, vnus Angelus maiori vniverſalitate cognoſcat veritates ſupernaturales, quàm alius: ergo nec quod ſuperior ita illuminet inferiorem. Prob. ant. Non cohæret, quod eodem lumine ſpecifico naturali vnus Angelus maiori vniverſalitate cognoſcat veritates naturales, quã alius: ergo. Prob. conſ. Quodlibet lumen requiritur reſpectivè pro ſua cognitione; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia lumen ſupernaturale non deſtruit, ſed perficit naturale: ſicque gratia perficit naturam. Vnde cum lumen naturale elevabile, & elevatum vnius excedit tale lumen alterius, vt evenit in Angelo ſuperiore reſpectu inferioris, & propterea eſt in illo modus cognoſcendi cum maiori vniverſalitate veritates naturales; ei accommodatur lumen ſupernaturale,

rale, quo etiam cum maiori vniverſalitate cognoſcit ſupernaturales. Cum autem lumen ſpecificum naturale eſt idem, nil eſt, vnde ſumatur talis exceſſus. Quæ doctrina patet hoc exẽplo. Cum enim lumen ſpecificum naturale eſt idem in aliquibus, vnus non poteſt percipere ſine diſcurſu veritates naturales, ſi alius ſit diſcurſivus, & cum diſcurſu percipiat illas: vt patet in hominibus. Poteſt tamen, licèt lumen ſupernaturale elevans ſit idem, ſi naturale elevatum ſit diverſum. Quare lumẽ ſupernaturale Theologiæ Angelorum, & hominum eſt idem; & Angelus eo procedit in Theologia ſine diſcurſu, & homo cum diſcurſu. Cuius ratio eſt: Quia accommodatur naturæ, & lumini naturali vtriuſque: quod in homine eſt diſcurſivum, & non in Angelo.

45 Arg 9. Angelus ſuperior non poteſt illuminare inferiorem de aliquibus obiectis, quæ videt in eſſentia divina: ergo non illuminat illum ſic de pertinentibus ad ordinem gloriæ. Prob. antec. Angelus ſuperior non illuminat inferiorem, niſi de illis, de quibus ipſe illuminatur à Deo; ſed Angelus ſuperior de paucis, quæ videt in eſſentia divina, illuminatur à Deo: ergo. Prob. minor. Illuminatur a Deo de illis, quæ Deus per modum doctrinæ, & magiſterij ei exponit, & manifeſtat; ſed ex illis, quæ Angelus videt in eſſentia divina, Deus pauca ei ita exponit, & manifeſtat: ergo. Prob. min. Ferè omnia, quæ Angelus ſuperior videt in eſſentia divina, ei proponit Deus medio lumine gloriæ: ergo. Conſ. patet: Cum hic ſit diverſus modus manifeſtandi, & non illuminatio rigoroſa.

46 Reſp. diſt. antec. Solùm, nego ant. Et in ſpecie expreſſa, conc. ant. & diſt. conſ. In tali lumine, conc. conſeq. In ſpecie expreſſa, nego conſ. Deus namque infundit Angelo ſuperiori lumen gloriæ, quo videat eſſentiam divinam, & plura contenta in ea. In quo non adeſt rigoroſa illuminatio. Vlterius ipſe per modum ſpeciei expreſſæ, & Verbi vnitur intellectui Angeli, cui in tali verbo illa obiecta exponit, & manifeſtat per modum doctrinę, & magiſterij. Hæc enim iam eſt propria illuminatio: Sicut ea, quæ vnus Angelus videt obiecta in conceptu alterius. Unde Angelus ſuperior ſic illuminatur à Deo de illis, & inferior à ſuperiore.

47 Cont. Eo quod Deus proponat talia obiecta Angelo ſuperiori in ſpecie expreſſa, ſuperior non illuminat inferiorem de illis: ergo. Prob. ant. Eo ipſo, Angelus ſuperior videt talia ob-

iecta in Verbo divino; ſed eo ipſo, non illuminat inferiorem de illis: ergo. Prob.min. Vt Angelus ſuperior illuminaret inferiorem de illis, debebat formare verbum de eis; ſed videns illa in Verbo divino non format verbum de eis: ergo. Mai.eſt certa: Cum illuminatio requirat, quod formet, & producat proprium conceptum de obiecto; quem dividat, diſtinguat, particularizet, & ita proponat inferiori illuminando. Min.patet: Ideoque beatus non format, nec producit verbum in viſione beata. Reſp. diſt.mai. In cognitione eorum in Verbo divino, nego mai. Extra verbum, conc.mai. & diſt. min. In Verbo divino, conc.min. Extra verbum, nego min.& conſeq. Licèt enim Angelus in viſione beata non formet, nec producat verbum de obiectis, quæ cognoſcit in Verbo divino, ſicut nec alius beatus. Poſtea tamen cognoſcit ea extra verbum, formatque, & producit ſpeciem expreſſam, proprium verbum, & conceptum, quem exinde ſuperior dividit, diſtinguit, & proponit inferiori. Cum igitur hæc ſit propria illuminatio: ideò ſic illuminat illum.

48 Cont. Angelus ſuperior, nec per productionem Verbi in cognitione obiectorũ extra Verbum, illuminat inferiorem de illis: ergo. Prob.ant. Angelus inferior ante talem illuminationem cognoſcit omnia obiecta prædicta per viſionem beatam ergo. Prob.ant. Cognoſcit comprehenſivè viſionem beatam Angeli ſuperioris: ergo. Conſeq.patet: Nam vt viſio comprehendatur, omnia obiecta eius debent cognoſci. Prob. ant. Cognoſcit comprehenſivè quæ ſunt Angeli ſuperioris: ergo.

49 Reſp.diſt. ant. Comprehenſivè latè, conc.ant. Rigoroſè, nego ant.& ſimiliter diſt.conſeq. Cognitio comprehenſiva rigoroſa obiecti, eſt cognitio illius, ſub omni formalitate, & modo quo eſt cognoſcibile. Lata eſt cognitio perfecta illius, ſed non ſub omni formalitate, & modo. Angelus enim inferior comprehendit latè ſuperiorem, & quæ eius ſunt: cum perfectè eum, & ea cognoſcat. Non tamen rigoroſè, cum ipſum, nec quoad naturalia cognoſcat ſub omni formalitate, ratione, & modo, quibus cognoſcibilis eſt, vt vidimus tract.ant. quæſt.3. art. 4. Et minus quoad ſupernaturalia, & pertinentia ad ſtatum gloriæ. Vnde non comprehẽdit rigoroſe viſionem beatificã eius, nec per eam cognoſcit omnia obiecta illius; ſed de his, & multis eorum formalitatibus, & rationibus edocetur, & illuminatur, modo dicto, à ſuperiore.

Arg.

50 Arg. 10. Angeli mali poſſunt eſſe illuminati: ergo & illuminantes ſe invicem. Antec. eſt certum: cum poſsint doceri, & illuminari à bonis. Prob. conſeq. Sicut illuminari eſt accipere doctrinam ab alio, ita illuminare eſt prębere doctrinam alteri; ſed: ergo. Reſp. Nego conſ. Ratio eſt, quia illuminare eſt præbere alteri doctrinam, & ei ſincere manifeſtare veritatem in ordine ad Deum, à quo deſcendit vera doctrina, veritas, & ſincera manifeſtatio eius. Quod repugnat Angelis malis, obſtinatis in malo: cum ſit opus bonum morale. Illuminari autem non eſt huiuſmodi: cum ſit edoceri, & recipere doctrinam ab alio, cuius eſt prædictum opus.

51 Contra: Unus Angelus malus poteſt illuminare alium, quin ordinet illum in Deum: ergo in illis illuminatio non requirit talem ordinationem. Prob. ant. Angeli boni illuminant malos; ſed non ordinant eos in Deum, in ordine gratiæ: ergo. Prob. min. Angeli mali non poſſunt eſſe ſub Deo in ordine gratiæ; ſed ſi boni ita ordinarent illos in Deum, eſſent ſub Deo in ordine gratiæ: ergo. Reſpond. diſt. mai. Quoad partem affectivam, conc. mai. Intellectivam merè ſpeculativam, nego mai. & diſt. min. Intellectivam merè ſpeculativam, conc. minor. Affectivam, nego min. & conſ.

52 Cont. Angeli mali poſſunt quoad partem intellectivam merè ſpeculativam ordinari in Deum, & ita illuminare: ergo ſic poſſunt ordinare, & illuminare alios. Prob. conſ. Sicut vna eſt ordinatio paſsiva, ita alia eſt activa; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: nam ordinari ſic paſsivè non eſt efficere aliquod opus bonum morale, ſed recipere lucem ab alio. Ordinare autē activè eſt efficere tale opus bonum: cum ſit docere, & illuminare alium.

53 Arg. 11. Purgans, & perficiens alium, movet voluntatem illius; ſed vnus Angelus poteſt purgare, & perficere alium: ergo & movere voluntatem illius. Probat. min. ex Divo Dioniſio cap 8. de cœleſti Hierarchia aſſerente: *Angeli ſecundæ hierarchiæ purgantur, & illuminantur, & perficiuntur per Angelos primæ hierarchiæ*: ergo. Reſp. admitto, & explico auth. cum Ang. Doct. art. 2. ad 1. ita aſſante: *Secundum modum illuminationis eſt accipienda, & purgatio, & perfectio. Et quia Deus illuminat immutando intellectum, & voluntatem purgat à defectibus intellectus, & voluntatis, & perficit in finem intellectus, & voluntatis. Angeli autem illuminatio refertur ad intellectum, vt dictum eſt: ideò*

*etiam purgatio Angeli intelligitur à defectu intellectus, qui eſt neſcientia: perfectio autem eſt conſummatio in finem intellectus, qui eſt veritas cognita. Et hoc eſt, quod dicit Dioniſ.6.cap.de cœl. hierarc.*

54 Cont. Vnus Angelus purgat, illuminat, & perficit alium, etiam quoad voluntatem: ergo. Prob. ant. Inducens voluntatem alterius ad amorem Dei, purgat, illuminat, & perficit illum quoad voluntatem; ſed vnus Angelus inducit voluntatem alterius ad amorem Dei: ergo. Mai. patet: Nam voluntas perficitur amore Dei. Min. conſtat, ſiquidem Seraphim dicuntur incendentes, vt ait S. Dioniſ. Quod exequuntur, dum inducunt alios ad amorem Dei. Reſp.diſt mai. Inducens perſuaſivè, nego mai. Effectivè, & ſufficienter, conc.mai. & diſt. min. Inducit perſuaſivè, conc.min. Effectivè, & ſufficienter, nego min. & conſ. Ita Divus Thomas ad 2.

55 Cont. Vnus Angelus inducit effectivè, & ſufficienter voluntatem alterius ad amorem Dei: ergo. Prob. ant. Appetitus ſuperior inducit ita appetitũ inferiorem; ſed voluntas, ſive appetitus Angeli ſuperioris eſt ſuperior ad voluntatem, & appetitum inferioris: ergo. Mai. conſtat ex Ariſt.3.de anima, dicente; *Appetitus ſuperior movet appetitum inferiorem.* Reſp.diſt.mai. Appetitus inferioris ſubiecti diverſi, nego mai. Eiuſdem, conc. mai.& min. & nego conſ. Cum enim vterque appetitus eſt in eodem ſubiecto, ſuperior poteſt ſic movere, & inducere inferiorem: eo quod hic eſt illi ſubiectus, & coniunctus: cuius motio eſt interior, & ſufficiens, cum ſit per imperium. Quare appetitus intellectivus hominis movet ita appetitum ſenſitivum ipſius, qui eſt inferior; de quo loquitur Ariſt. vt ait Angel. Mag. ad 3. cuius eſt hæc ſolutio. Cum autem eſt in diverſo, non poteſt movere niſi perſuaſivè: vt patet in homine, qui ſolùm ſic poteſt movere alium. Cumque appetitus, & voluntas Angeli ſuperioris ſit in ipſo, & non in Angelo inferiori: ideò ſolum perſuaſivè poteſt movere appetitum, & voluntatem inferioris.

## ARTICVLVS II.

### *DE LOCVTIONE ANGElorum.*

1 PRÆMITTO 1. Quod vnus Angelus loquitur alteri. Conſtat ex illo 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum.* S. Joan. Chriſoſt. homil. 32. *Linguam Angelorũ dicit, qua vtuntur*

*tur inter ſe ipſi.* Et Div. Thomas lect. 1. *Quamvis non habeant linguam corpoream, per ſimilitudinem tamen lingua in eis dici poteſt vis, qua manifeſtant alijs, quod habent in mente.* Vnde Iſa. 6. dicitur de Seraphinis: *Clamabant alter ad alterum.* Hæc reſolutio eſt Angel. Magiſt. quæſt. 167. art. 1. Et videtur clara: Nam locutio conducit ad ſocietatem perfectam, quæ eſt in Angelis. Et quia homines ſibi ad invicem interiora manifeſtant: ergo melius Angeli; in quo conſiſtit locutio. Et quia Angeli perpetuò intonant divinas laudes; vt conſtat Iſa. 6. & Eccleſia repetit, ſine fine dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Vbi apparet conceptus eorum mutuò coniunctus: in quo ſtat talis locutio. S. Greg. cit. ab Angel. Doct. ait: ***Dignum eſt, vt mens noſtra qualitatem corporeæ locutionis excedens, ad ſublimes, atque incognitos modos locutionis intimæ ſuſpendatur.***

2 Vni dixerunt: Locutionem Angeli fieri per influxum, quo loquens producit aliquid in intellectu audientis. Aut notitiam actualem; vt tenet Subt. Scotus. Aut ſpeciem ſui conceptus; vt P. Suarius. Aut qualitatem diſtinctam, ſignificantem conceptum eius; vt tenent alij. Verumtamen D. Thomas quæſt. 6. de Verit. art. 5. aſſerit: *Angelus loquens nil facit in Angelo, cui loquitur, ſed fit aliquid in Angelo ipſo loquente, vt ex hoc ab alio cognoſcatur.* Et art. 6. repetit: *Angelus, ad quem fit locutio, non recipit aliquid à loquente, ſed per ſpeciem, quam pœnes ſe habet, & alium Angelum, & locutionem eius cognoſcit.* Et prob. ratione: Si Angelus loquens produceret aliquid in intellectu alterius, cui loquitur, non foret poſsibile ſecretum in locutione Angelorum; ſed eſt poſsibile: ergo. Maior eſt certa: Cum ſit poſsibile in locutione hominum. Et quia per locutionē cum vno, alius non ſcit rem locutam: aliunde ſcirent omnes, & eſſet omnibus loqui. Prob. mai. Tale productum non eſſet futurum: cum foret exiſtēs. Nec eſſet actus liber: nam vel eſſet Angeli loquentis: ſicquè maneret in loquente. Vel Angeli, cui loquitur: itaque foret ab iſto, cum eſſet proprius actus eius: quod repugnat. Nec foret ſupernaturale: maximè cum locutio ſit de aliquo obiecto naturali; ſed nil aliud eſt ſecretum: cum notum ſit reliquis Angelis: ergo. Minor patet: Nam omne aliud continetur intra obiectum omnium, qui habent eorum ſpecies, quibus cognoſcunt ſingula, cum exiſtunt.

3 Alij docuerunt: Fieri formatione ſignorum, quibus manifeſtatur conceptus loquentis. Marſilius dixit: Fore ſigna ſpiri-

tualia. Alij aſſeruerunt: Eſſe ſenſibilia, in quibuſdam figuris, aut caracteribus in Cœlo exaratis conſiſtentia: Sicut homines formant literas in papiro. Alij affirmarunt: Fieri ſono ſenſibili in aere, aut in nubibus, in corpore aſſumpto, & ad inſtar vocis, & locutionis humanæ. Hoc autem repugnat, propter inconvenientia relata. Præterea: Nam illa ſigna ſpiritualia, ſi forent naturalia, eſſent omnibus nota. Si ad placitum, & ex communi voluntate Angelorum, eſſent cunctis manifeſta: ergo non poſſent loqui ſecreto, ſed quilibet loquens, oſtenderet locutionem cunctis. Niſi velint conſtituere in Angelis varietatem linguarum. Aut quod vnus loquatur alteri ad aurem: quod repugnat. Nec minus implicant ſenſibilia in Cœlo exarata Sic enim Angeli dicerentur ſcribentes, & non loquentes. Similiter repugnāt alia per ſonum, aut nutum: quia aliàs non poſſent loqui, niſi in corporibus aſſumptis. Quod non eſt verum: nam ſibi mutuò loquuntur, cum habeant perfectam ſocietatem, quin in corporibus exiſtant.

4 Præmitto 2. Verba ſequentia Ang. Doct. in corp. *Ad intelligendum igitur qualiter vnus Angelorum alij loquitur, conſiderandum eſt, quod ſicut ſupra diximus, cum de actibus, & potentijs animæ ageretur, voluntas movet intellectum ad ſuam operationem. Intelligibile autem eſt in intellectu tripliciter. Primo quidem habitualiter, vel ſecundum memoriam, vt Aug. dicit. Secundo autem vt in actu conſideratum, vel conceptum. Tertio, vt ad aliud relatum. Manifeſtum eſt autem quod de primo gradu in ſecundum transfertur intelligibile per imperium voluntatis. Vnde in diffinitione habitus dicitur, quo quis vtitur cum voluerit. Similiter autem de ſecundo gradu transfertur in tertium per voluntatem Nam per voluntatem conceptus mentis ordinatur ad alterum, puta vel ad agendum aliquid, vel ad manifeſtandum alteri.* De his B. Albert. quæſt 35.

5 Concluſio: Angelus loquitur alteri per ordinationem voluntariam, qua manifeſtat illi ſuum conceptum; ita vt eius manifeſtatio ſit locutio. Sic Thomiſtæ cum Angel. Præcept. artic. 1. Prob. 1. concluſ. ratione D. Thomæ: Unum loqui alteri, eſt manifeſtare illi ſuum conceptum; ſed vnus Angelus manifeſtat alteri ſuum conceptum per ordinationem voluntariam, qua illum oſtendit ei: ergo. Mai. eſt D. Thomæ in corp. Min. ipſius aſſerentis: *Ex hoc verò, quod conceptus mentis angelicæ ordinatur ad manifeſtandum alteri per voluntatem ipſius Angeli, conceptus mentis vnius Angeli innoteſcit alteri;*

Conſ.

Conſ.eſt optima; itaque concludit: *Et ſic loquitur vnus Angelus alteri.*

6 Illuſtratur ex S. Doctore, ita aſſante: *Quando autem mens convertit ſe ad actu conſiderandum quod habet in habitu, loquitur aliquis ſibi ipſi. Nam ipſe conceptus interius verbum vocatur*: Ergo cum Angelus convertitur, & manifeſtat alteri ſuum conceptum, vt illum, & veritatem repreſentatam conſideret, loquitur illi. Nam intellectus habet obiectum intelligibile in memoria, vel in habitu. Deinde ipſum conſiderans, in conceptu, & actu. Exinde pro voluntate ſua cognoſcens, refert illum ad alterum, vt hic percipiat eum. In quo ſtat locutio in hominibus facta verbis, nutibus, aut ſignis; in Angelis autem voluntaria oſtẽſione ſui conceptus. Idẽ docet loc.cit.Corint.dicens: *Eſt enim in quolibet Angelo aliquid, quod naturaliter ab altero Angelo cognoſcitur. Dum ergo id, quod eſt naturaliter notum proponitur vt ſignum eius quod eſt ignotum, manifeſtatur occultum: & talis manifeſtatio dicitur locutio ad ſimilitudinem hominum, qui occulta cordium manifeſtant alijs per voces ſenſibiles, aut per quodcumque aliud corporale exterius apparens. Vnde & ea quæ ſunt in Angelis naturaliter nota, in quantum aſſumuntur ad manifeſtationem occultorum, dicuntur ſigna, vel nutus.*

7 Et queſt.9.de verit.art.4. ad 9. ait: *Ipſa ordinatio cogitationis ad alterum exterior locutio in Angelis dicitur.* Et in 2. diſt. 11. quæſt. 1. art. 3. ad 4. *Quam citò vnus Angelus ordinat locutionem ſuam ad alterum, efficitur locutio eius de pertinentibus ad illum, & ita ab eo cognoſcitur.* Et ad 2. aſſerit: *Non exigitur aliquod medium, per quod deferatur locutio vnius ad alterum, ſed ſufficit ad hoc ſolus ordo intentionis vnius ad manifeſtandum alteri.*

8 Prob. 2. concluſ. ratione ipſius: Locutio eſt expreſsio, & manifeſtatio conceptus; ſed cum Angelus voluntariè ordinat, & aperit ſuum conceptum alteri, expreſſat, & manifeſtat ei ſuum conceptum: ergo. Mai. patet in locutione humana: quæ fit vocibus, & verbis, quibus vnus expreſſat, & manifeſtat alteri ſuum conceptum, ſive quod habet in mente. Min. conſtat: nam antea erat ei occultus, cum exiſteret in mente Angeli, non expreſſa alteri.

9 Roboratur: Dum quis proponit alteri ignotum, ſigno naturaliter ei noto, loquitur illi; ſed dum vnus Angelus ita manifeſtat conceptum, proponit alteri ignotum, ſigno naturaliter ei noto: ergo. Mai. eſt manifeſta in hominibus, qui loquuntur, dum proprijs vocibus, aut ſignis no-

tis proponunt alteri conceptum ignotum, qui latebat in mente. Prob. min. Species impreſſa, quã quilibet Angelus ab initio ſuæ conditionis habet infuſam, eſt ſignum ei naturaliter notum; ſed dum alius Angelus manifeſtat ei proprium conceptum, antea ignotum, proponit ei illum media tali ſpecie: ergo. Prob. min. Talis ſpecies eſt repræſentativa omnium, quæ Angelus poteſt cognoſcere in altero, dummodo pertineant ad ipſum; ſed per talem manifeſtationem pertinet ad ipſum conceptus alterius Angeli: ergo. Mai. patet tract. ant. q. 3. Min. conſtat: Nam conceptus erat antea, quaſi ſecretum cordis, ſub dominio Angeli, voluntate eius in propria mente occultus: Et cedens tali dominio, oſtendit, revelat, & aperit illum alteri: itaque fit de pertinentibus ad alium, & conſtituitur intra ſphęram ſui obiecti, cuius habet ſpeciem, qua ſtatim cognoſcit illum.

10 Corroboratur: Manifeſtatio, qua aliquis facit, vt alius ſtatim cognoſcat cõceptum eius, eſt locutio ad illum; ſed Angelus manifeſtans ita ſuum conceptum facit, vt alius ſtatim cognoſcat illum: ergo. Prob. min. Quilibet Angelus ſtatim cognoſcit quod pertinet ad ſphæram ſui obiecti; ſed Angelus tali manifeſtatione facit, vt eius conceptus pertineat ad ſphæram obiecti alterius Angeli: ergo. Mai. eſt certa, cum ſit perfectus in linea cognoſcibili, & habeat ſpecies infuſas omnium pertinentium ad ſuum obiectum. Min. patet: ſiquidem cuncta Angeli loquentis, præter abſcondita mẽtis, & ſecreta cordis, pertinent ad obiectum Angeli audientis; & tali manifeſtatione conceptus eius non manet abſconditus, nec ſecretus, cum manifeſtus fiat.

11 Confirmatur: Actus liber vnius Angeli eſt alteri abſconditus, quia ratione ſui dominij, & libertati, iure naturali ſervat ſibi notitiam eius, quandiu vult. Si verò pro ſuo libito dirigat ſuum conceptum ad alterum, cedit tali iuri, & dominio, eique fit notus, & manifeſtus talis actus: ergo idem evenit in quolibet conceptu; eiuſque manifeſtatio erit Angeli locutio. Rurſus. Expreſsio, qua ignotum redditur alicui cognitum, eſt locutio ad illum; ſed prædicta expreſsione Angeli cõceptus eius ignotus redditur alteri cognitus: ergo. Mai. patet in hominibus. Min. conſtat: nam alter Angelus ſtatim cognoſcit conceptum, quem ignorabat. Ex quo conſtat: quod Angelus ſuperior loquitur inferiori, cum ipſum illuminet, eique veritatem, & conceptum ita manifeſtet.

In-

12 Inquires: Vtrum Angelus inferior loquatur ſuperiori? Reſp. cum Ang. Doct. art. 2. quod loquitur ſuperiori, quod fundat cum S. Dioniſio aſſerente: *Inferiores Angeli ſuperioribus dixerunt: Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Sed dicere alteri eſt loqui illi: ergo. Prob. ratione ipſius: Locutio Angeli eſt voluntaria ordinatio conceptus, vt innoteſcat alteri, atque manifeſtatio ipſius; ſed Angelus inferior ordinat voluntariè proprium conceptum, & manifeſtat illum ſuperiori: ergo. Prob. min. Ordinare, & manifeſtare alteri quod pendet à voluntate libera ordinantis, & manifeſtantis, eſt ordinatio, & manifeſtatio voluntaria, per quam eius conceptus innoteſcit alteri; ſed conceptus inferioris pendet à voluntate libera ipſius: ergo.

13 Dubitabis: An Angelus loquatur Deo? R. Affirmativè cum Ang. Mag. art. 3. quod fundat in illo Zacar. 1. *Reſpõdit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum vſquequo tu non miſereberis Jeruſalem?* Nunc D. Thom. *Reſpondit Angelus Deo. Loquitur ergo Angelus Deo.* Probat quoque ratione: Ordinatio conceptus vnius ad alterum, eſt locutio cum illo; ſed Angelus ordinat ſuum conceptum ad Deum, licèt non docendo, interrogando; & licèt non communicando, accipiendo, ſicut diſcipulus à Magiſtro: ergo.

14 Prevenit quoque S. Doct. art. 5. quod cum vnus Angelus loquitur alteri, non percipiunt omnes locutionem: nam vnus homo poteſt loqui alteri ſoli, ita vt alij non percipiant locutionem: ergo multo melius vnus Angelus alteri: Et ratio eſt: quia ordinatio voluntaria conceptus vnius ad alterum, eſt Angeli locutio; ſed Angelus pro ſua voluntate poteſt ordinare ſuum cõceptum ad vnum, & non ad alios; ei, & non illis pandens occultum: ergo.

15 In art. 4. docet: Quod diſtantia localis non obeſt locutioni Angelorum. Hoc fundat in illo Lucæ 16. *Ipſe clamans dixit: Pater Abraham, miſerere mei* Nunc D. Thom. *Dives in inferno poſitus loquebatur Abrahæ, non impediente locali diſtantia. Multo igitur minus localis diſtantia poteſt impedire locutionem vnius Angeli ad alterum.* Cuius præbet rationem: Locutio Angeli conſiſtit in operatione intellectuali; ſed hæc non impeditur diſtantia locali, cum ſit abſtracta à loco, & tempore: ergo.

16 Arg. 1. contra 1. præmiſſ. Vnus Angelus loqueretur alteri, vt manifeſtaret ei abſcondita ſuę mentis; ſed ad hoc non loquitur illi: ergo. Prob. min. In mente

vnius

vnius Angeli nihil eſt abſconditum alteri: ergo. Prob.ant.ex Divo Gregor.8. Moral. dicente: *In ſtatu reſurrectionis vniuſcuiuſque mens ab alterius oculis membrorum corpulentia non abſconditur ab altero*; ſed in Angelo nulla eſt corpulentia: ergo. Reſp.admitto,& explico auth.cum Ang.Doct.art. 1.ad 1. aſſerente: *In nobis interior mentis conceptus quaſi duplici obſtaculo clauditur. Primo quidem ipſa voluntate: quæ conceptum intellectus poteſt retinere interius, vel ad extra ordinare. Et quantum ad hoc, mentem vnius nullus alius poteſt videre, niſi ſolus Deus, ſecundum illud* 1. *Cor.*6. Quæ ſunt hominis nemo novit, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. *Secundo autem clauditur mẽs hominis ab alio homine per groſſitiem corporis. Vnde cum etiam voluntas ordinat conceptum mentis ad manifeſtandum alteri, non ſtatim cognoſcitur ab alio, ſed oportet aliquod ſignum ſenſibile adhibere. Et hoc eſt quod Greg.dicit* 2. *Moral. Alienis oculis intra ſecretum mentis, quaſi poſt parietem corporis, ſtamus. Sed cum manifeſtare nos metipſos cupimus, quaſi per linguæ ianuam egredimur, vt quales ſumus intrinſecus oſtendamus. Hoc autem obſtaculum non habet Angelus. Et ideo quam citò vult manifeſtare ſuum conceptum, ſtatim alius cognoſcit.*

17 Cont. Angelus in mente ſua abſconditum non poteſt ſua voluntate reddere alteri manifeſtum: ergo. Prob.ant. Manifeſtatio in mente abſconditi non poteſt fieri alteri, niſi aliquo ſigno ſenſibili; ſed Angelus non habet ſignum ſenſibile: ergo. Mai.patet in homine: qui voce, vel alio ſigno ſenſibili manifeſtat illud. Min.conſtat: Cum repugnet Angelo. Reſp.diſt.mai. Manifeſtatio interna, nego maior. Externa, conc.mai.& min.& nego conſ. Manifeſtatio namque, & locutio externa, ſicut eſt noſtra, fit aliquo ſigno ſenſibili; vt voce, & nutu: cum mens,& cor hominis nequeat aliter manifeſtari, propter corporis obſtaculum. Interna autem non fit ſic, ſed ordinatione conceptus interioris ad alium. Cumque manifeſtatio, & locutio Angeli ſit interna, & non externa; ſpiritualis, & non ſenſibilis: ideò non fit ſigno ſenſibili, ſed modo aſsignato. Ita Ang.Doct.ad 2.

18 Cont. Locutio vnius Angeli ad alterum non poteſt eſſe interna: ergo. Prob.ant. Locutio interna alicuius eſt ſibi ipſi: ergo. Antec.patet in nobis. Reſp.diſt. ant. Locutio, qua concipit, conc. ant. Qua ordinat conceptum, ad alterum, nego ant.& conſeq. Ita Ang.Mag.ad 2.dicens: *Non convenit Angelo, ſed ſola locutio interior, ad quam pertinet non ſolum quod loquatur ſibi interius concipiendo: ſed*

etiam

*etiam quod ordinat per voluntatem ad alterius manifeſtationem. Et ſic lingua Angelorum methaphoricè dicitur ipſa virtus Angeli, qua conceptum ſuum manifeſtat.*

19 Cont. In Angelo non eſt talis locutio interna ordinativa: ergo. Prob.ant. Omnis locutio excitat audientem, vt dictis attendat; ſed in tali locutione non eſt aliquid, quo vnus Angelus excitet alium, vt dictis attendat: ergo. Mai. eſt certa: Cum ad hoc ordinetur locutio. Minor. patet: Cum non adſit ſignum excitativum. Reſp. diſt. minor. Aliquid ſenſibile, conc. min. Intelligibile, nego min. & conſeq. Pro re tam difficili Ang. Doct. ad 3. ita ediſſerit: *Quantum ad Angelos bonos, qui ſemper ſe invicem vident in Verbo, non eſſet neceſſarium ponere aliquid excitativum, quia ſicut vnus ſemper videt alium, ita ſemper videt in eo quidquid eſt ad ſe ordinatum. Sed quia etiam in ſtatu naturæ conditæ ſibi invicem loqui poterant, & mali etiã Angeli nunc ſibi invicẽ loquuntur: dicendũ eſt, quod ſicut ſenſus movetur à sẽſibili, ita intellectus movetur ab intelligibili: ſicut ergo per ſignũ sẽſibile excitatur sẽſus, ita per aliquã virtutem intelligibilem poteſt excitari mens Angeli ad attendendũ.*

20 Arg. 2. Vnus Angelus loquitur alteri aliquo ſigno: ergo ſpirituali, aut ſenſibili. Probat. ant. ex Divo Thoma in 2. diſt. 11. quæſt. 1. art. 3. aſſerente: *Fit ſignum expreſſivum interioris conceptus, & talis expreſſio vocatur locutio, non quidem vocalis, ſed intellectualibus ſignis expreſſa*: ergo. Reſp. admitto, & explico author. in qua Ang. Doct. non loquitur de ſigno rigoroſo ſuperaddito, & pro qualitate ſumpto; ſed de lato, & pro naturaliter noto, potentiæ proportionato, & pertinente ad obiectum illius. Quod habet conceptus Angeli ex voluntaria manifeſtatione, & ordinatione ipſius. Vnde tali ordinatione, & manifeſtatione loquitur, & non alio ſigno.

21 Cont. Loquitur de ſigno ſuperaddito: ergo. Prob. ant. Loquitur de ſigno excitativo audientis; ſed ſignum excitativum audientis eſt ſuperadditum: ergo. Reſp. diſt. mai. De ſigno rigoroſo, nego mai. lato, conc. mai. & diſt. min. Signũ rigoroſum, conc. min. latum, nego min. & conſeq. Cont. Loquitur de ſigno rigoroſo excitativo: ergo. Prob. ant. Loquitur de excitativo rigoroſo: ergo. Reſp. diſt ant. Intelligibili, conc. ant. Senſibili, nego antec. & conſ. Licèt excitativum ſenſibile rigoroſum ſit ſignum rigoroſum, & ſuperadditum; cum ſit vox, nutum, aut quid ſimile; non tamen intelligibile: cum hoc ſit obiectum ordinatum in rerum natura, proportionatum, & ha-

bile, vt intelligatur ab Angelo, quia pertinẽs ad ſuum obiectum. Cum igitur excitativum Angeli audientis ſit intelligibile, & non ſenſibile: ideò eſt rigoroſum excitativum, & non ſignum.

22 Nec de novo evenit, niſi manifeſtatio conceptus, ex qua numeratur inter pertinentia ad obiectum Angeli, quorum ab initio ſuæ conditionis habet ſpeciem, quam inſpiciens, conſiderat ipſum. Nec ſpecies mutatur intrinſecè, entitativè, nec quoad rectum: cum novitas ſit ex parte obiecti, connotati, & extrinſeci. Sic contingit cum de novo exiſtit aliquod obiectum, quod Angelus per ſuam ſpeciẽ cognoſcit. Conſtat hoc ex Ang. Mag. 2. ad Anibald diſt. 10. art. 4. ad 3. dicente: *Non eſt aliqua excitatio neceſſaria, niſi converſio vnius Angeli ad aliũ, quia hoc ipſo illa converſio eſt pertinens ad Angelum audientem.*

23 Arg. 3. cont. concluſ. Locutio eſt manifeſta audienti; ſed ordinatio voluntaria conceptus vnius Angeli ad alium, non eſt manifeſta alteri: ergo non eſt locutio Prob. min. Talis ordinatio eſt occulta alteri Angelo: ergo. Prob. ant. Actus liber vnius Angeli eſt occultus alteri; ſed talis ordinatio eſt actus liber Angeli loquentis: ergo. Mai. patet: Ideoque cogitatio cordis, & conceptus mentis vnius occultatur alteri. Reſp. diſt. maior. Actus liber non expreſſus, conc. mai. Expreſſus, nego mai & diſt. minor. Expreſſus, conc. min. Non expreſſus, nego min. & conſ. Actus liber non expreſſus eſt: quem voluntas, vtens iure ſuo, & dominio, ſibi reſervat. Expreſſus autem: quem alteri oſtendit. Et licèt ille ſit occultus alteri, hic eſt manifeſtus. Cumque talis ordinatio ſit actus liber ita expreſſus: nam cum ſit ratio manifeſtandi conceptum, ſe ipſam manifeſtat: ideò non eſt occulta, ſed alteri manifeſta, & locutio vnius Angeli cum alio. Cogitatio autem, & conceptus ante talem ordinationem reſervantur cogitanti, & non expreſſantur modo dicto: ſicque manent in occulto.

24 Cont. Talis ordinatio ex ſe eſt actus liber, non expreſſus alteri Angelo: ergo. Prob. ant. Cogitatio, ſeu conſenſus vnius Angeli, ex ſe eſt actus non expreſſus alteri Angelo: ergo. Probat. conſeq. Vterque pendet à libera voluntate Angeli; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia ſibi reſervat, & alteri non communicat cogitationem, & conſenſum. Communicat autem alteri talem ordinationem, & media ipſa conceptum.

25 Cont. Angelus ſibi reſervat, & non communicat alteri conſenſum: ergo etiam ordina-

tionem. Prob. conſ. Ordinatio eſt ſpiritualis, & libera, ſicut conſenſus; ſed: ergo. Reſpond. nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia ipſa ordinatio per ſe, & conceptus media illa fit de pertinentibus ad obiectum Angeli audientis: eo quod ei proponitur ab Angelo loquente, cedente iuri reſervationis; in quo ſtat communicatio, quæ alia non poteſt eſſe inter Angelos. Cogitatio autem, & conſenſus ex ſe non ſunt de pertinentibus ad tale obiectum. Si inquiras: Unde ſcit, aut videt alter Angelus ordinationem, & conceptum ordinatum? Reſp. Quod in ſpecie infuſſa, quæ actu ei repræſentat Angelum, & cuncta eius non occulta; & facta ordinatione conceptus, advertit ibi conceptum manifeſtatum.

26 Arg. 4. Locutio eſt manifeſtatio conceptus; ſed talis ordinatio non eſt manifeſtatio conceptus vnius Angeli ad alterum: ergo. Prob. min. Occultum non eſt manifeſtatio occulti; ſed ordinatio conceptus eſt occulta alteri Angelo: ergo. Prob. minor. Conceptus erat occultus alteri Angelo: ergo. Prob. conſ. Ideò conceptus erat alteri occultus, quia ſua voluntate erat in mente loquentis; ſed talis ordinatio etiam ſua voluntate eſt in mente ipſius: ergo. Reſp. diſt. maior. Erat reſervatus, conc. mai. Expreſſus, & communicatus, nego mai. & diſt. min. Expreſſus, & communicatus, conc. min. Reſervatus, nego min. & conſ.

27 Cont. Talis ordinatio etiam manet reſervata in mente, aut voluntate loquentis: ergo. Prob. ant. Suppoſita tali ordinatione, conceptus perſeverat reſervatus in mente loquentis: ergo. Prob. antec. Suppoſita voluntate ordinãdi conceptum ad alterum, conceptus perſeverat reſervatus in mente loquentis: ergo. Prob. conſ. Sicut ordinatio voluntaria conceptus eſt libera, ita volitio ordinandi; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Nam conceptus non expreſſatur, nec communicatur alteri per voluntatem ordinandi, ſed per actualem ordinationem ipſius: quia illa volitio non ordinatur ad alium, ſicut ordinatio. Propterea talis volitio eſt ſibi reſervata, & ordinatio eſt alteri oſtenſa.

28 Cont. Conceptus non expreſſatur, nec communicatur alteri per actualem ordinationem: ergo. Prob. ant. Actualis ordinatio conceptus ad alterum eſt actus intellectus, & non voluntatis; ſed conceptus non expreſſatur, nec communicatur alteri per actum intellectus, ſed voluntatis: ergo. Mai patet: Nam ordinare eſt propriũ intellectus. Min. conſtat: Cum talis ordina-

tio ſit voluntaria. Reſp. diſt. mai. Ordinatio effectivè ſumpta, cōc. mai. Motivè, nego mai. & diſt. min. Nec communicatur motivè ſumpta, conc. min. Effectivè, nego min. & conſ. Ordinare effectivè eſt, efficere ordinem. Ordinare motivè eſt inclinare, & movere efficaciter ad illum. Et licèt talis ordinatio ſit effectivè ab intellectu, qui ordinat, & manifeſtat conceptum alteri; eſt ita motivè à voluntate: ſicque ſuo modo fit ab actu vtriuſque. Cumque hoc ſufficiat, vt per ordinationem prædictam, ſic expreſſetur, & communicetur conceptus loquentis: ideò ita expreſſatur, & communicatur alteri.

29 Cont. Talis ordinatio effectivè, & motivè accepta non eſt locutio: ergo. Prob. ant. Locutio non ſolùm eſt manifeſtatio conceptus, ſed etiam excitatio audientis, vt attendat loquenti, & rei locutæ; ſed licèt talis ordinatio manifeſtet conceptum, non excitat Angelum audientem, vt ita attendat: ergo. Prob. minor. Nullum excitativum proponit ei: ergo. Reſp. diſt. ant. Excitativum ſenſibile, conc. ant. Intelligibile, nego antec. & conſ. Patet arg. ant.

30 Cont. Talis ordinatio non proponit Angelo excitativum intelligibile, vt attendat ei, & rei locutæ: ergo. Prob. antec. Poſita tali ordinatione, poteſt Angelus pro ſuo libito non attendere: ergo. Ant. eſt certum: Cum ſit liber, & poſſit eſſe occupatus circa alia. Reſp. diſt. antec. Defectu excitativi, nego antec. Alia cauſa, conc. ant. & diſting. conſ. Excitativum efficax, conc. conſ. Sufficiens, nego conſeq. De ratione enim locutionis ſolū eſt, quod ſit ſufficiens excitativum audientis, vt attendat. Non quod ſit efficax, & compellens: cum poſſit voluntariè eſſe occupatus in alijs: vt patet in locutione humana. Cumque talis ordinatio conceptus Angeli ſit ſufficiens excitativum alterius: ideò eſt locutio ad illum. In Angelis autem beatis eſt ſemper attentio: nam vident in Verbo quidquid pertinet ad illos; & conceptus ita ordinatus, & manifeſtatus fit pertinens ad illos. In alijs Angelis non eſt facilis non attentio: cum ſit magna perſpicacia eorū, & modus intelligendi expeditiſſimus. Et præcipuè in tali manifeſtatione conceptus: cum adſit novitas, eo quod de novo fit pertinens ad obiectum audientis, qui advertit illam, & percipit conceptum, quem denùo videt per ſuam ſpeciem. M. Joan. à S. Thoma admittit: Quod Angelus, circa alia nimis occupatus, poteſt multa naturalium non attendere; & refert media, &

remedia, vt Angelus loquens reddat illum attentum.

31 Arg. 5. Ordinatio conceptus ad alium non eſt locutio ad illum: ergo. Prob. ant. Ordinatio conceptus non eſt manifeſtatio ipſius alteri: ergo. Prob. ant. Ideò foret manifeſtatio ipſius alteri, quia per eam conceptus fit pertinens ad obiectum alterius Angeli; ſed non fit pertinens: ergo. Prob min. Conceptus Angeli fit pertinens ad obiectum alterius Angeli per productionem, & exiſtentiam ſui in re: ergo. Prob. ant. Quodlibet indiuiduum ſpeciei naturalis per productionem, & exiſtentiam ſui in re fit pertinens ad obiectum Angeli: ergo. Prob. conſ. Sicut Angelus ab initio habet ſpeciem talis indiuidui, ita prædicti conceptus; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia tale indiuiduum, & omnia naturalia, eo quod producantur, & exiſtant phiſicè in re, per ſe patent, & non poſſunt occultari Angelo, qui habet ſpecies omnium exiſtentium in vniuerſo. Libera autem, & quæ retinentur liberè in ſinu voluntatis, & in abſcondito cordis, non per ſe patent alijs præcisè, quia producantur, & in re exiſtant: cum voluntas vtens ſuo iure, & dominio poſsit celare, & occultare ea. Quare exigitur, vt illa ordinet, & referat ad alterum. Qua moralitate fiunt pertinentia ad ipſum, & ad obiectũ eius. Quod in conceptu prædicto fit ordinatione aſsignata: ſicque eſt manifeſtatio eius, & locutio.

32 Cont. Etſi conceptus per voluntatem Angeli ordinantis fiat ita pertinens ad obiectum Angeli audientis, eius ordinatio non eſt locutio: ergo. Prob ant. Amor liber, quo vnus Angelus intimè, & internè diligit alium, per voluntatem diligentis fit pertinens ad Angelum dilectum; ſed hæc efficientia non eſt locutio: ergo. Minor. patet: Cum ei non manifeſtet amorem. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia talis amor non fit pertinens, vt obiectum cognoſcibile, ad Angelum dilectum: cum maneat occultus in voluntate diligentis, ſed vt actus, cuius ipſe eſt obiectum dilectum. Conceptus autem per talem ordinationem fit pertinens, vt obiectum cognoſcibile, ad Angelum audientem: ſicquè hæc, & non illa eſt locutio. Cum verò talis actus amoris dirigatur, & ita ordinetur ad Angelum dilectum, fiet pertinens vt obiectum cognoſcibile ad illum, eiuſque ordinatio erit locutio.

33 Cont. Licèt talis ordinatio faciat conceptum pertinere, vt obiectum cognoſcibile, ad Angelũ non eſt locutio ad illum: ergo. Prob. ant. Eadem ordinatio po-

poteſt facere talem conceptum pertinere, vt obiectum cognoſcibile, ad plurimos Angelos; ſed non poteſt eſſe locutio ad omnes illos: ergo. Mai. patet, cum poſſit expreſſare illũ plurimis. Prob. min. Vnica locutio nequit fieri plurimis: ergo. Reſp. diſt. antec. Locutio ſenſibilis, conc. ant. Intelligibilis, nego ant. & conſ. Ratio eſt: nam locutio ſenſibilis, cum fiat vocibus, aut nutibus, nequit percipi à plurimis; maximè cum audientes requirant approximationem, & obſit nimia diſtantia. Intelligibilis autem, & ſpiritualis, vt Angelica, fit ſola oſtenſione, & manifeſtatione cõceptus, & ordinatione illius ad Angelum audientem; cui diſtantia non obeſt. Cum igitur, pro ſua voluntate poſsit ordinare ſuum cõceptum ad plurimos: ideò poteſt eſſe locutio ad omnes.

34 Arg. 6. Dum vnus Angelus loquitur alteri, alter audit locutionem illius; ſed dum vnus ordinat ſuum conceptum ad alterum, hic non audit locutionem illius: ergo eius locutio non fit tali ordinatione. Prob. min. Si dum ordinat ſuum conceptum ad alterum, hic audiret locutionem illius, eſſet, quia videt conceptum loquentis; ſed per hoc, quod videat conceptum loquentis, non audit locutionem illius: ergo. Prob. min. Angelus non audit videndo, ſed credendo; ſed ſi audiret, quia videret conceptum loquentis, non audiret credendo, ſed videndo: ergo. Reſp. diſt. mai. Videndo conceptus, nego mai. Obiecta repræſentata per conceptus, conc. mai. & diſt. minor. Conceptus, conc. min. Obiecta, nego min. & conſeq. Sicut enim audiens locutionem humanam, videt, ſeu percipit voces, nutus, aut ſigna, & credit obiecta repręſentata; ita Angelus audiens locutionem Angelicam, videt conceptum, qui eſt quaſi vox, & credit obiectum illius. Et cum hoc eveniat in tali ordinatione cõceptus: nam Angelus audiens, etſi videat ipſum, & cogitationem Angeli; non tamen rem cõceptam, & cogitatam, quam credit: ideò vnus loquitur, & alius audit.

35 Cont. Angelus videns cõceptum, etiam videt obiectum conceptus: ergo audiret videndo, & non credendo obiectum. Prob. ant. Angelus videns Verbum Divinum; etiam videt obiectum per illud repræſentatum: ergo. Reſp. Nego conſ. Ratio eſt, quia Verbum Divinum continet perfectiſsimè omnia per ipſum repræſentata: ſicque cum omni evidentia, & claritate. Conceptus autem Angeli non continet perfectiſsimè obiectum repræ-

ſentatum, præcipuè reſpectu Angeli audientis, cuius eſt ſignum inſtrumentale, in quo ſignatum non cognoſcitur tam perfectè, nec cum omni evidentia, & claritate. Ex quo ſolvitur inſtantia: Angelus loquens, videns talem conceptum, videt obiectum: ergo etiam audiens. Reſp. Nego conſ. Nam cum cōceptus ſit ſignum formale reſpectu loquentis, repræſentat immediatè ei obiectum; non verò audienti, reſpectu cuius eſt ſignum inſtrumentale.

36 Arg. 7. Locutio Angelica poteſt eſſe mendax, & fallere audientem; ſed ſi fieret ordinatione conceptus ad audientem, non poſſet: ergo non fit. Maior patet, cum Angeli mali; etſi non boni, poſsint mentiri in locutione, & fallere audientem. Probat. min. Qui non poteſt ſignificare oppoſitum eius, quod eſt in mente, non poteſt eſſe mendax, nec fallere audientem; ſed ordinatio conceptus ad audientem non poteſt ſignificare oppoſitum eius, quod eſt in mente: ergo. Mai. eſt certa: nam mentiri eſt contra mentem ire. Prob. min. Angelus per talem ordinationem non poteſt ſignificare, niſi quod eſt in mente, ipſumque audiens videt: ergo. Prob. ant. Non poteſt ſignificare, niſi conceptum; ſed conceptus eſt in mente, & audiens videt ipſum: ergo.

37 Reſp. diſt. mai. Conceptum verum, nego mai. Verum, aut falſum, conc. mai. & min. & diſt. conſ. Conceptus veri, conc. conſ. Falſi, nego. conſ. Certum enim eſt, Angelum, & Spiritum nequam mentiri, & fallere: nam Dominus 3 Reg. 23. dixit ei: *Decipies, & prævalebis.* Unde diabolus dicitur Pater mendacij. Veruntamen vt mentiatur, & alterum fallat, format duplicem conceptum oppoſitum. Vnum verum, & rei prout eſt in ſe. Et alterum falſum, & rei aliter, ac eſt in ſe. Verum retinet ſibi. Falſum autem dirigit, & ordinat ad alterum, oſtendens ei, habere hunc conceptum, & non alium, de tali re. Cumque non ita ſit, ſed eveniat oppoſitum: ideò ſignificat, & proponit oppoſitum eius, quod habet in mente; & tali ordinatione mentitur, & fallit audientem, itaque eſt locutio. Hoc autem poteſt evenire circa ſupernaturalia, & futura, & quæ latent alteri Angelo; non circa naturalia, ita non latentia.

38 Cont. Angelus non poteſt ſimul formare conceptum verum, & falſum: ergo nec pōteſt ita mentiri per falſum. Probat. ant. Angelus non poteſt ſimul habere duplicem conceptum oppoſitum de eadem re; ſed conceptus verus, & prædictus falſus eſſet oppoſitus, & de eadem re:

er-

ergo. Reſp.diſt.mai. Per modum aſſenſus, conc.mai. Unum per modum aſſenſus, & alium puræ locutionis, nego mai.& diſt.min. Per modum aſſenſus, & alium per modum puræ locutionis,cóc. min. Per modum aſſenſus, nego min. & conſ. Nec Angelus malus, nec vlla creatura poteſt ſimul aſſentire,& diſſentire eidem rei, & veritati,ſub eadem ratione, & eodem reſpectu, nec ſic habere de illa duplicem conceptum oppoſitum: cum hoc de ſe afferat repugnantiam. Habens tamen conceptum verum de illa, quo ei aſſentiat, poteſt fingere conceptum oppoſitum; & occultans verum, oſtendere alteri falſum, proponens ei iſtum eſſe verum. Cumque hoc eveniat in Angelis malis: ideò Angelus habet ſic tales conceptus, mentitur, & fallit. Conſtat hoc in dœmonibus blaſphemantibus, qui proferunt de Deo oppoſitum illius, quod ſciunt competere Deo.

39 Cont. Angelus ſic formans duplicem conceptum, & oſtendens falſum audienti, non mentitur, nec fallit illum: ergo non format ſic vtrumque; nec ita, ſed aliter mentitur, & fallit. Prob.ant. Oſtendens alteri quod habet in mente, non mentitur, nec fallit illum; ſed Angelus ſic formans duplicem conceptum, haberet conceptum falſum in mente: ergo. Reſp.diſting.mai. Quod habet iudicativè, & aſſertivè, conc.mai. Fictè, & locutivè, nego mai & diſt.min. Haberet fictè, & locutivè, conc.min. Iudicativè, & aſſertivè, nego min.& conſ. Mentiri namque eſt contra mentem ire. Sive proponere alteri vt verum,quod mens, & intellectus iudicat falſum; & non id, quod iudicat, & apud ſe tenet vt verum. Cum igitur Angelus non iudicet, nec teneat vt verum, conceptum falſum,quem vt verum proponit alteri,nec obiectum illius; ſed conceptum, quem ſibi in mente retinet, & obiectum eius:ideò ita oſtendens illum, mentitur, & fallit: cum eat contra mentem, ſivè contra id, quod iudicativè, & aſſertivè habet in mente; etſi non contra id,quod habet fictè, & locutivè: nam cum percipiat quod loquitur,etiam ſic habet illud in mente. Idem evenit in homine mentiente ſcienter.

40 Cont. Si Angelus manifeſtaret conceptum verum,& occultaret falſum,non mentiretur: ergo nec ſi manifeſtaret falſum, & occultaret verum. Prob.conſ. In vtroque caſu iret contra conceptum,quem reſervaret in mente; ſed: ergo. Reſp.nego conſ. Ratio eſt: Quia cum manifeſtat verum, non it contra id, quod iudicat, & tenet vt verum; & di-

dicit quod habet iudicativè, & aſſertivè in mente. Manifeſtans autem falſum, oppoſito modo ſe habet.

41 Arg.8. Angelus inferior non illuminat ſuperiorem: ergo nec loquitur ſuperiori. Prob.conſ. Ex Gloſſa, quæ ſup. illud 1.Cor. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*, ait: *Locutiones Angelorum ſunt illuminationes, quibus ſuperiores illuminant inferiores*: ergo. Reſp.admitto, & explico author.dicendo: Quod nõ omnis locutio angelorum eſt illuminatio, ſed locutio ſuperiorum ad inferiores, de qua loquitur Gloſſa. Non verò locutio inferiorum ad ſuperiores. Ita Aug.Mag.art.2.

42 Cont. Locutio Angeli ſuperioris ad inferiorem eſt illuminatio: ergo & locutio inferioris ad ſuperiorem debet eſſe illuminatio. Prob.conſ.Omnis locutio Angelorum debet eſſe manifeſtatio veritatis; ſed:ergo.Reſp. diſt.mai. Veritatis, vt ſolùm deſcendit à Deo, nego mai. Et vt ſimul procedit à voluntate loquentis, conc.mai.& min.& nego conſeq. Pro qua, & omni inſtantia, hæc aſſerit in corp. Div. Thomas: *Angelum loqui Angelo nihil aliud eſt, quam conceptum ſuum ordinare ad hoc, vt ei innoteſcat per propriam voluntatem. Ea verò quæ mente concipiuntur, ad duplex principium referri poſſunt, ſcilicet, ad ipſum Deum, qui eſt prima veritas, & ad voluntatem intelligentis, per quam actu aliquid conſideramus. Quia verò veritas eſt lumen intellectus, & regula omnis veritatis eſt ipſe Deus, manifeſtatio eius quod mente concipimus ſecundum quod dependet à prima veritate, & locutio eſt, & illuminatio. Puta ſi vnus homo dicat alij: Cœlum eſt à Deo creatum, vel homo eſt animal. Sed manifeſtatio eorum, quæ dependent ex voluntate intelligentis, non poteſt dici illuminatio, ſed locutio tantum. Puta ſi aliquis alteri dicat, volo hoc addiſcere, volo hoc, vel illud facere. Cuius ratio eſt, quia voluntas creata non eſt lux, nec regula veritatis, ſed participans lucem. Vnde communicare ea, quæ ſunt à voluntate creata in quantum huiuſmodi, non eſt illuminare. Non enim pertinet ad perfectionem intellectus mei, quid tu velis, vel quid tu intelligas, cognoſcere. Manifeſtum eſt autem quod Angeli dicuntur ſuperiores, vel inferiores per comparationem ad hoc principium, quod eſt Deus. Et ideò illuminatio, quæ dependet à principio, quod eſt Deus, ſolùm per ſuperiores Angelos ad inferiores deducitur. Sed in ordine ad principium, quod eſt voluntas, ipſe volens eſt primus, & ſupremus. Et ideò manifeſtatio eorum, quæ ad voluntatẽ pertinent, per ipſum volentem deducitur ad alios quoſcũque. Et quantũ ad hoc, & ſuperiores inferioribus, & inferiores ſuperioribus loquuntur.*

43 Cont. Licèt in linea mali moralis volens creatum ſit primum, & ſupremum, non tamen in linea boni: nam in hac eſt ſecundum volens, ſubordinatum Deo, primo volenti: ergo in manifeſtatione eorum, quæ in linea boni pertinent ad ſuam voluntatem, etiam procedit cum talis ſubordinatione ad Deum: Sicque Angelus inferior non illuminans ſuperiorem, non loquitur ſuperiori. Reſp. diſt. conſ. Cum ſubordinatione generali, conc. conſ. Illuminandi, nego conſ. Voluntas vtique creata, cum ſit ſecunda, pendet in volendo, & operando à Deo, cuius voluntas eſt prima, & ſuprema; cui ſubordinatur, & ſine cuius concurſu nil efficit, neque alteri aliquid manifeſtat, nec vult manifeſtare. Verumtamen, cum Angelus manifeſtat alteri, quod pendet à ſua voluntate, præcipuè vt libera, non oſtendit illud, aut veritatem illius, prout pendet à Deo, ſed vnicè vt pendet ab illa: ſicque dicitur volens primus, & ſupremus; non reſpectu Dei, quomodo omnimodè eſt inferior; ſed reſpectu alterius Angeli, & volentis creati: cum in ordine ad ſuos actus liberos non habeat ſuperiorē, niſi Deum. Quare etiam ipſe Angelus inferior manifeſtat alteri hoc, & ei loquitur, eſt in ſuperiori. Hunc tamen non illuminat: nam illuminatio deſcendit à Deo, qui eſt lux, & regula veritatis, cum ordine; & non incipit in voluntate creata, etſi angelica, ſicut prædicta locutio: Sed talis ordo requirit, vt per proximiores Deo, qui ſunt ſuperiores, participetur remotioribus, qui ſunt inferiores.

44 Cont. Omnis locutio Angeli, etiam manifeſtativa voluntatis, eſt illuminatio: ergo. Prob. ant. Omnis locutio Dei, etiam manifeſtativa voluntatis, eſt illuminatio: ergo. Reſp. nego conſ. Diſcrimen reddit Ang. Magiſt. ad 3. dicens: *Quia cum voluntas Dei ſit regula veritatis, etiam ſcire quid Deus velit, pertinet ad perfectionem, & illuminationem mentis creatæ. Sed non eſt eadem ratio de voluntate Angeli.*

45 Arg. 9. Locutio manifeſtat aliquid alteri; ſed Angelus nihil poteſt manifeſtare Deo: ergo non loquitur Deo. Prob. min. Nemo poteſt manifeſtare aliquid ſcienti omnia; ſed Deus ſcit omnia: ergo. Reſp. diſt. mai. Vt ab eo accipiat, nego mai. Vt ei cōmunicet, conc. mai, & min. & ita diſt. conſ. Sic Ang. Mag. ad 3. aſſerens; *Locutio Angeli eſt per hoc, quod conceptio mentis ordinatur ad alterum. Sed aliquid ordinatur ad alterum dupliciter. Vno modo ad hoc, quod communicet alteri. Sicut in rebus naturalibus agens ordinatur*

*ad patiens , & in locutione humana, doctor ordinatur ad diſcipulum. Et quantum ad hoc nullo modo Angelus loquitur Deo:: Alio modo ordinatur aliquid ad alterum , vt ab eo aliquid accipiat. Sicut in rebus naturalibus paſsiuum ad agens , & in locutione humana diſcipulus ad Magiſtrum. Et hoc modo Angelus loquitur Deo, vel conſultando diuinam voluntatem de Angelis , vel eius excellentiam, quam nunquam comprehendit, admirando. Sicut Gregor. dicit 2. Moral. Quod Angeli loquuntur Deo, cum per hoc quod ſuper ſemetipſos reſpiciunt, in motū admirationis ſurgunt.*

46 Cont. Locutio ſemper manifeſtat, vt aliquid communicet alteri: ergo. Prob. ant. Manifeſtare aliquid alteri, eſt communicare aliquid illi; ſed locutio ſemper manifeſtat aliquid alteri: ergo. Mai. patet: nam manifeſtatio alicuius, eſt communicatio ipſius. Reſp. diſt. mai. Alteri, vt addiſcat, conc. mai. Vt doceat, nego mai. & diſt. min. Vt addiſcat, vel doceat, conc. minor. Ut addiſcat, nego min. & conſ. Et cum Angelus manifeſtet Deo ſuum conceptum , non vt Deus addiſcat, ſed vt Angelum doceat : ideò non communicat aliquid Deo, ſed accipit à Deo. Angelicus Mag. ad 1. ita reſpondet: *Locutio non ſemper eſt ad manifeſtandum alteri: ſed quandoque ad hoc ordinatur finaliter, vt loquenti aliquid manifeſtetur , ſicut cum diſcipulus quærit aliquid à Magiſtro.* Et ſi perſiſtas in inſtantia , dicimus, quod Angelus manifeſtat Deo deſiderium , vt exaudiatur , doceatur, & adiuvetur à Deo ; non aliquid, quod neſciat Deus: cum ſciat, & præſciat omnia.

47 Cont. Angelus nec tali locutione loquitur Deo : ergo. Prob. ant. Locutio Angeli eſt ordinatio, & directio ſui conceptus ad alium ; ſed Angelus nec dirigit, nec ordinat ſuum conceptum ad Deū: ergo. Prob. min. Directio, & ordinatio cōceptus ad aliū eſt, vt innoteſcat ei; ſed Angelus nec dirigit, nec ordinat ſuū conceptū vt innoteſcat Deo: ergo. Probat. min. Talis conceptus exiſtens in mente eſt notus Deo ante talem directionem , & ordinationem: ergo. Reſp. diſt. ant. Notus abſolutè, conc. ant. Notus, & auditus, nego ant. & ita diſt. conſ. Cum enim Deo cuncta ſint nota, conceptus Angeli in mente reconditus, notus eſt Deo: nam omnia nuda , & aperta ſunt oculis eius. Veruntamen non eſt auditus, vſque dum eſt ita directus, & ordinatus: quia vſque tunc non eſt locutio, quam ſupponit auditio. Vnde dirigit , & ordinat ſuum conceptum ad Deum , vt exaudiat; non ob indigentiam Dei, ſed Angeli , qui ita loquens inquirit, deprecatur, & meretur, vt do-

doceatur, auxilietur, adiuvetur, & perficiatur. Propterea etiam homo loquitur Deo, dum oratione vocali preces fundit, etſi Deus prævideat cogitationes, & deprecationes internas.

48 Cont. Angelus nec tali ordinatione conceptus loquitur Deo: ergo. Prob. ant. Si tali ordinatione conceptus loqueretur Deo, Angelus bonus ſemper loqueretur Deo; ſed non ſemper loquitur Deo: ergo. Mai. patet: cum eius conceptus ſemper ſit ordinatus in Deum. Min. conſtat, cum aliquando loquatur alteri Angelo. Reſp. diſt. mai. Loqueretur laudando, conc. maiorẽ; conſultando, nego mai. & diſt. min. Conſultando, conc. minor. Laudando, nego min. & conſeq. Angelus etenim bonus ſemper laudat Deum: nam Angeli boni non ceſſant clamare quotidie, vna voce dicentes: *Sanctus, &c.* Vnde ſemper loquitur laudando Deum. Non tamen ſemper conſulit ſapientiam Dei ſuper agendis; ſed cum aliquid novum occurrit per ipſum agendũ, de quo deſiderat illuminari: itaque non ſemper, ſed aliquando loquitur Deo. Primæ locutioni non opponitur locutio ad alios Angelos: ſicut nec ſecunda cum Deo: cum vtraque referatur in laudem Dei.

49 Arg. 10. Dum vnus Angelus illuminat alium, illuminatio pervenit ad omnes: ergo dum loquitur alteri, pervenit locutio ad omnes. Ant. patet ex S. Dion. cap. 15 de cœleſti hierar. aſſerente: *Vnaquæque cœleſtis eſſentia intelligentiam ſibi traditam alijs communicat.* Prob. conſ. Illuminatio eſt ſpecies locutionis; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Rationem præbet D. Thomas art. 5. ad 3 dicens: *Illuminatio eſt de his, quæ emanant à prima regula veritatis: quæ eſt principium commune omnium Angelorum. Et ideò illuminationes ſunt omnibus communes. Sed locutio poteſt eſſe de his, quæ ordinantur ad principium voluntatis creatæ, quod eſt proprium vnicuique Angelo. Et ideò non oportet quod huiuſmodi locutiones ſint omnibus communes.*

50 Cont. Licèt locutio Angeli poſsit eſſe de his, quæ pertinent ad ſuam voluntatem, dum loquitur vni, pervenit ad omnes: ergo. Prob. ant. Licèt locutio hominis poſsit eſſe de his, quæ pertinent ad ſuam voluntatem, dum loquitur vni, pervenit ad omnes, qui ſunt in æquali, & proportionata diſtantia: & non pervenire ad omnes eſt, quia diſtantia nimia obeſt, cum exigatur approximatio; ſed locutioni, & auditioni Angelorum non obeſt diſtantia: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: Quia locutio humana fit voce, aut alio ſigno ſenſibili, perceptibili ab alijs, etſi dirigatur

tur ad vnum, dummodo ſint æquè applicati loquenti. Angelica autem fit ordinatione conceptus. Et cum hæc poſsit fieri ad vnum, & non ad alios: ideò poteſt fieri, quin perveniat ad omnes. Ita D. Thomas in corp. dicens: *Et ſic locutionem vnius Angeli ad alterum poteſt percipere vnus abſque alijs: non quidem impediente diſtantia locali, ſed hoc faciente voluntaria ordinatione.*

51 Cont. Licèt locutio Angeli fiat ordinatione conceptus, dum ea loquitur vni, pervenit ad omnes: ergo. Prob. ant. Dum ille, cui fit, percipit ordinationem conceptus, omnes percipiunt illam: ergo. Prob. antec. Omnes Angeli communicant in virtute intelligendi, & percipiendi: ergo. Reſp. diſt. ant. In actu primo, conc. ant. Secundo, nego ant. & conſ. Licèt omnes Angeli habeant ſimilem virtutem intellectivam, & in ea, vt in actu primo, communicet; non verò in illa, vt in actu ſecundo: cum vni poſsit deficere applicatio obiecti, quam alter habet; præcipuè in pertinentibus ad voluntatem alicuius, quorum conceptum, & notitiam poteſt pro ſuo libito communicare vni, & non alijs; vt ſic ſervetur ſecretum, & cum opporteat, adſit in Angelis ſecreta locutio. Cumque hoc eveniat, dum Angelus ordinat ſuum conceptum ad vnum, & non ad alios: ideò ille percipit eum, quin omnes percipiant illum. Ita Angel. Doct. loc. cit.

52 Arg. 11. Angelus ſolùm loquitur vſque ad determinatam diſtantiam: ergo hæc conducit locutioni angelicæ. Prob. ant. Locutio Angeli eſt in loco determinato: ergo. Prob. ant. Angelus vbi eſt, ibi operatur: vt dicit S. Joan. Damaſc. cit. à D. Thoma art. 4. arg. 1. Sed locutio Angeli eſt operatio; quæ eſt in determinato loco, ſicut ipſe Angelus: ergo. Reſp. diſt. mai. Operatione ſolùm ibi perceptibile, nego mai. Etiam alibi, conc. mai. & min. & diſt. conſ. Eſt facta, conc. conſeq. Percepta, nego conſeq. Angelus vtique vbi eſt, operatur, & loquitur; & non vbi non eſt: vt docet vterque S. Doctor. Eius autem operatio, & locutio poteſt percipi, non ſolùm ibi, ſed alibi: non ſolùm vbi eſt, ſed etiam vbi non eſt. Sicut ipſe Angelus, qui etiam videtur ab Angelis in alio loco exiſtentibus: quia neutri obeſt diſtantia, nec vllum eorum requirit approximationem localem; cum omne ſit ſpirituale, interius, & in linea intelligibili. Ita Ang. Doct. ad 1. aſſerens: *Locutio Angeli eſt locutio interior: quæ tamen ab alio percipitur, & ideò eſt in Angelo loquente: & per conſequens vbi eſt Angelus loquens. Sed ſicut*

*diſtantia localis non impedit quin vnus Angelus alium videre poſsit: ita etiam non impedit quin percipiat quod in eo ad ſe ordinatur. Quod eſt eius locutionem percipere.*

53 Cont. Locutio Angeli vbi eſt, non eſt alibi nimis diſtante perceptibilis: ergo. Prob. ant. ex illo Iſa. 6. *Et clamabant alter ad alterum*; ſed ſi locutio vnius Angeli vbi eſt, foret perceptibilis ab alio nimis diſtante, talis clamor foret inutilis: ergo. Reſp. admitto, & explico Sac. locum cum Angel. Mag. ad 2. eum ita exponente: *Clamor ille non eſt vocis corporeæ, quæ fit propter diſtantiam loci: ſed ſignificat magnitudinem rei, quæ dicebatur, vel magnitudinem effectus, ſecundum quod dicit Greg. 2 Moral. Tanto quiſque minus clamat, quantò minus deſiderat.*

54 Cont. Diſtantia loci obeſt locutioni Angeli: ergo. Prob. ant. Diſtantia temporis obeſt locutioni Angeli: ergo. Ant. patet: Et ideò Angelus modo non poteſt loqui, niſi quę ſunt, nō quę erunt: quæ non percipit, nec audit, nec loquitur. Prob. conſ. Sicut Angelus eſt, & loquitur in loco determinato, ita in tempore determinato; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Diſcrimen eſt: Quia non eſt obſtaculum diſtantia temporis, à qua, ſicut à diſtantia loci, eſt abſtracta operatio, & locutio Angeli; ſed quod futura libera, quæ erunt tempore futuro, non habent nunc determinationem in ſe, nec in cauſa naturali: itaquè non ſunt cognoſcibilia ab Angelo, nec poteſt loqui de illis. Alia autem, quæ iam habent talem determinationem, cognoſcit, percipit, & loquitur. Pro diſtantia tamen locali loquentis, & obiecti, non eſt ſimilis ratio: cum non deſit determinatio vtriuſque.

## ARTICVLVS III.

### *DE ORDINATIONE ANgelorum.*

1 SVPPONO 1. Quod ordinatio Angelorum eſt per Hierarchias, & Ordines. Hierarchia eſt: *Sacer principatus.* Ita Ang. Mag. quæſt. 108. artic. 1. Quare omnes Angeli, & homines relati ad Deum, ſunt vnius Hierarchiæ, cuius Princeps eſt Deus. Nunc D. Thomas: *In nomine autem principatus duo intelliguntur, ſcilicet ipſe Princeps, & multitudo ordinata ſub Principe. Quia igitur vnus eſt Deus Princeps, non ſolum omnium Angelorum, ſed etiam totius rationalis creaturæ, quæ ſacrorum particeps eſſe poteſt, vna eſt Hierarchia.* Si verò conſiderentur inter ſe, Angeli pertinēt ad Hierarchiam angelicam, & homines ad humanam. Rationem aſsignat, dicens: *Si conſideretur principatus ex parte multitudinis ordinatæ ſub Principe,*

*ſic vnus principatus dicitur ſecundum quod multitudo vno, & eodem modo poteſt gubernationem Principis recipere. Quæ verò non poſſunt ſecundùm eumdē modum gubernari à Principe, ad diverſos principatus pertinent. Sicut ſub vno Rege ſunt diverſæ Civitates, quæ diverſis reguntur legibus, & miniſtris. Manifeſtum eſt autem, quod homines alio modo divinas illuminationes percipiunt, quàm Angeli. Nam Angeli percipiunt eas in intelligibili puritate, homines verò ſub ſenſibilium ſimilitudinibus: vt Dion. dicit 1. Cœl hierarch. Et ideò oportet diſtingui humanam Hierarchiam ab angelica.*

2 Dubium eſt: An Angeli inter ſe conſtituant Hierarchias diverſas? Reſpondet Ang. Doct. *Per eumdem modum in Angelis tres Hierarchiæ diſtinguuntur.* Quod fundat cum S. Dioniſ. cap. 6. de cœl. hierar. qui diſtinguit tres Hierarchias Angelorum. Probat deinde ratione: Hierarchia eſt Sacer principatus ſub Principe; ſed in Angelis ſunt tres ſacri principatus ſub Deo: ergo. Prob. min. Principatus diſtinguuntur iuxta diverſos modos gubernandi à Principe; ſed in Angelis ſunt tres modi diverſi gubernandi à Deo: ergo. Prob. min. Angeli gubernantur à Deo per illuminationem ab ipſo; ſed in Angelis ſunt tres modi, & gradus diverſi, quibus illuminantur à Deo: ergo. Prob. min. & oſtenditur tota ratio ex Ang. Mag. ita aſſante: *Superiores Angeli habent vniverſaliorem cognitionem veritatis, quàm inferiores. Huiuſmodi autem vniverſalis acceptio cognitionis ſecundùm tres gradus in Angelis diſtingui poteſt. Poſſunt enim rationes rerum, de quibus Angeli illuminantur, conſiderari tripliciter. Primo quidem, ſecundùm quod procedunt à primo principio vniverſali, quod eſt Deus. Et iſte modus convenit primæ Hierarchiæ, quæ immediatè ad Deum extenditur, & quaſi in veſtibulis Dei collocatur, vt Dion. dicit. Secundo verò, prout huiuſmodi rationes dependent ab vniverſalibus cauſis creatis, quæ iam aliquomodo multiplicantur. Et hic modus convenit ſecundæ Hierarchiæ. Tertio autem modo, ſecundùm quod huiuſmodi rationes applicantur ſingulis rebus, prout dependent à proprijs cauſis. Et hic modus convenit tertiæ Hierarchiæ*: ergo.

3 Suppono 2. Quod in qualibet Hierarchia ſunt tres Ordines Angelorum: Summus, medius, & infimus. Sic D. Thomas art. 2. Prob. ratione: In qualibet Hierarchia Angelorum ſunt diverſi Ordines; ſed hi ſunt tres aſsignati: ergo. Mai. patet: Nam Hierarchia eſt vnus principatus, & vna multitudo, ordinata vno modo ſub gubernatione Principis. Non autem eſſet multitudo ordinata, ſed confuſſa, ſi non eſ-

eſſet in ea diverſi Ordines. Prob. min. Tales Ordines ſunt diverſi ſecundùm actus, & officia; ſed ſecundùm hæc ſunt tres diverſi Ordines aſsignati: ergo. Probat. minor. ex Angel. Doct. aſſerente: *Diverſitas Ordinum ſecundùm diverſa officia, & actus conſideratur: ſicut patet, quod in vna Civitate ſunt diverſi Ordines, ſecundùm diverſos actus. Nam alius eſt ordo iudicantium, & alius pugnantium, & alius laborantium in agris, & ſic de alijs. Sed quamvis multi ſint vnius Civitatis Ordines, omnes tamen ad tres poſſunt reduci, ſecundum quod quælibet multitudo perfecta habet principium, medium, & finem. Vnde & in Civitate triplex ordo hominum invenitur. Quidam enim ſunt ſupremi, & optimates: quidam autem ſunt infimi, vt vilis populus: quidam autem ſunt medij, vt populus honorabilis. Sic igitur & in qualibet Hierarchia angelica Ordines diſtinguuntur ſecundum diverſos actus, & officia; & omnis iſta diverſitas ad tria reducitur, ſcilicet ad ſummum, medium, & infimum. Et propter hoc in qualibet Hierarchia Dion. ponit tres Ordines.*

4 Suppono 3. Quod in quolibet Ordine ſunt plures Angeli, ita Angelicus Præc. art. 3. ſtatuit hoc ex illo Iſaiæ 6. vbi dicitur: Quod Seraphim *clamabat ad alterum.* Nunc D. Thomas: *Sunt ergo plures Angeli in vno Ordine Seraphim.* Præbet quoque rationem: Ordines Angelorum diſtinguuntur per officia; ſed in eodem Ordine ſunt multa, & varia officia: ergo. Prævenit autem, quod cum cognoſcamus imperfectè Angelos, & eorum officia, diſtinguimus hæc, & Ordines in communi; non verò in particulari. Quare cognoſcimus, eſſe multos Angelos in eodem Ordine, habere diverſa officia, & quod quilibet habet ſuum proprium Ordinem, & officium. Quem autem, & quod, neſcimus.

5 In art. 4. docet: quod in Angelis diſtinctio Hierarchiarum, & Ordinum eſt ſecundum dona naturalia, & gratuita. Et probat hac ratione: Ordo gubernationis, qui eſt ordo multitudinis ſub principatu exiſtentis, attēditur per reſpectum ad finem; ſed finis Angelorum eſt duplex: vnus naturalis ſecundum facultatem ſuæ naturæ, vt cognoſcant, & ament naturaliter Deum: alius ſupernaturalis, excedens illam facultatem, conſiſtens in viſione eſſentiæ divinæ, & in fruitione immobili bonitatis ipſius: ergo cum illum reſpiciant per ſua naturalia, & hunc per gratuita, ſive per gratiam, diſtinctio Hierarchiarum, & Ordinum in Angelis eſt ſecundum vtraque dona. Advertit autem, quod per reſpectum ad finem ſupernaturalem

lem, Ordines diſtinguuntur complexivè per dona gratuita, & diſpoſitivè per naturalia: nam Angelis data ſunt dona gratuita ſecundum capacitatem naturaliũ, quod non eſt ita in hominibus; in quibus propterea Ordines tãtum diſtinguuntur ſecundum dona gratuita.

6 Juxta prædicta, novem ſunt Ordines Angelorum, qui Chori ſolent nominari. Et ordinantur ſic à ſupremo: Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Archangeli, & Angeli. Gradus talium Ordinum ſunt tres, correſpondẽtes triplici Hierarchiæ. In prima ordinantur Seraphim, Cherubim, & Throni. In ſecunda Dominationes, Virtutes, & Poteſtates. In tertia Principatus, Archangeli, & Angeli. Difficultas eſt, an rectè aſsignentur?

7 Prima concluſio: Novem Ordines Angelorum convenienter aſsignantur, ita D. Thomas art. 5 & S. Vincentius Ferr. ſerm. de Concep. B. V. Mariæ, ita ediſſerens: *Si dicatur: Et quomodo ſcitur? Quis. deſcendit? Quod Chriſtus, & Beatus Paulus, qui hoc revelavit Dioniſio diſcipulo ſuo, qui de hoc fecit vnum librum vocatum, de cœleſti Hierarchia.* Ang. Doctor adducit Sacram Scripturam, & ait: *Quæ ſic eos nominat. Nomen enim Seraphim ponitur Iſaiæ 6. Nomen Cherubim Ezech. 1. Nomẽ Thronorum Coloſſ. 1. Dominationes autem, & Virtutes, & Poteſtates, & Principatus ponuntur Epheſ. 1. Nomen autem Archangeli ponitur in Canonica Judæ. Nomina autem Angelorum in pluribus Scripturæ locis.* Et S. Gregor. homil. 34. in Evang. dicit: *Novem Angelorum ordines eſſe, teſtante ſacro eloquio ſcimus.*

8 Prob. concluſio ratione D. Thomæ: Nomina quorumcumque ſunt iuxta eorum proprietates; ſed nomina novem Ordinum Angelorũ aſsignata ſunt iuxta ſingulorum proprietates: ergo. Maior eſt communis. Pro minori ait Ang. Doct. *In rebus ordinatis tripliciter aliquid eſſe contingit, ſcilicet, per proprietatem, per exceſſum, & per participationem.* Per proprietatem, cum adæquatur, & proportionatur naturę ipſius. Per exceſſum, cum eſt minus, quàm res, cui attribuitur, ei tamen cõvenit per quemdam exceſſum. Conſtat in nominibus Dei. Per participationem, cum non plenariè, ſed deficienter invenitur in eo. Sicut ſancti homines participativè dicuntur dij. Prob. nunc min. Omnes perfectiones ſpirituales ſunt communes omnibus Angelis, ſed exiſtunt abundantiùs in ſuperioribus. Veruntamen in perfectionibus eſt quidam gradus, ita vt ſuperior

attribuatur ſuperiori per proprietatem; inferior autem inferiori per proprietatem, & ſuperiori per exceſſum; ſed hoc modo ſunt novem nomina aſsignata Ordinum Angelorum: ergo.

9 Prob. min. ex S Doct. ad 5. Nomen Seraphim imponitur à charitatis exceſſu, quem importat nomen ardoris, & incẽdij, ſic vt eſt exceſſus caliditatis in igne. Cherubim ab exceſſu ſcientiæ, cum interpretetur plenitudo ſciẽtiæ. Throni ab excellentia, qua ſunt recipientes immediatè à Deo rationes divinorum; vt ait ad 6. cum ſint quaſi ſedes Dei. Dominationes à libertate à ſervili ſubiectione, inflexibili gubernatione, & participatione dominij Dei; vt aſſerit ad 2. Virtutes ab exceſſu fortitudinis; vt ad 1. Poteſtates ab ordinatione eorum, quæ ſunt agenda à ſubditis. Principatus à primatu in executione eorum; vt ait ad 3. Archangeli à Principatu reſpectu Angelorum. Angeli à ſimplici manifeſtatione veritatis; vt ad 1. Sed hæ ſunt proprietates ſingulorum, vt refert D. Thomas ex S. Dioniſio: ergo.

10 Secunda concluſio: Convenẽter aſsignantur gradus Ordinum in triplici Hierarchia ordinati, ita Aug. Mag. in 6. dicens: *S. Dioniſius ponit in prima quidem Hierarchia Seraphim vt primos, Cherubim vt medios, Thronos vt vltimos. In media vero Dominationes vt primos, Virtutes vt medios, Poteſtates vt vltimos. In vltima Principatus vt primos, Archangelos vt medios, Angelos vt vltimos.* Cuius præbet rationem: Gradus, & Ordines Angelorũ diſponũtur iuxta proprietates, ſuis nominibus correſpondentes; ſed iuxta eas ſunt convenienter aſsignati, & collocati in triplici Hierarchia: ergo. Prob. min. Hierarchiæ differunt ratione in Deo, in cauſis vniverſalibus, & in applicatione ad effectus; ſed in qualibet prout ſic ſunt deſignati, & collocati Ordines Angelorum iuxta eorum proprietates correſpondentes illis, & his actibus: ergo. Mai. patet ex Ang. Doct. aſſerente: *Et quia Deus eſt finis, non ſolum angelicorum miniſteriorum, ſed etiam totius creaturæ, ad primam Hierarchiam pertinet conſideratio finis, ad medium verò diſpoſitio vniverſalis de agendis, ad vltimam autem applicatio diſpoſitionis ad effectum, quæ eſt operis executio.* Prob. min. Nomina Seraphim, Cherubim, & Throni imponuntur per reſpectum ad Deũ. Dominationes, Virtutes, & Poteſtates deſignat vniverſalẽ diſpoſitionem, & gubernationem. Principatus Archangeli, & Angeli ſignificant executionem operis: ergo.

11 Illuſtratur: Prima Hierar-

rarchia eſt de fine vniverſali. Secunda de vniverſali diſpoſitione. Tertia de executione: ergo in prima ſunt ordines Angelorum reſpicientes Deum, qui eſt finis vniverſalis omnium. In ſecunda habentes vniverſale regimen. Et in tertia tenentes executionem operis: qui ſunt ita aſsignati. Vnde Ang. Mag. ait: *Hæc enim tria manifeſtum eſt in qualibet operatione inveniri*; ſed Deus miniſterio Angelorum diſponit cuncta: ergo in qualibet operatione adſunt Angeli reſpicientes Deum, ordinantes diſpoſitionem de agendis, & exequentes illam.

12 Deinde Sanctus Doctor oſtendit graduationem inter ſe Ordinum in ſingulis Hierarchijs, ex triplici reſpectu, ad Deũ, ad regimen vniverſale, & executionem. Sic enim aſſerit: *In reſpectu autem ad finem tria conſiderari poſſunt. Nam primo aliquis conſiderat finem. Secundo vero perfectam finis cognitionem accipit. Tertio verò intentionem in ipſo defigit. Quorum ſecundum ex additione ſe habet ad primum, & tertium ad vtrumque*; ſed Deus eſt finis creaturarum, ſicut dux eſt finis exercitus; vt dicitur 11. Meth. Ergo ſecundum hoc diſponuntur Ordines primæ Hierarchiæ, qui ſunt Seraphim, Cherubim, & Throni. Pro quo adducit ſimile in humanis: Nam quidam ſunt tantæ dignitatis, vt per ſe ipſos accedere poſsint ad Regem. Alij ſuper hoc habent, vt etiam ſecreta eius cognoſcant. Alij inſuper ei ſemper inhæreant, quaſi illi coniuncti. Sic enim Throni elevantur, vt immediatè Deum in ſe ipſis recipiant, pro vt immediatè in illo rationes rerum cognoſcere poſſunt: quod eſt proprium totius primæ Hierarchiæ. Cherubim verò ſupereminenter divina ſecreta cognoſcunt. Seraphim autem excellunt in hoc, quod eſt vniri ipſi Deo.

13 Veniens ad ſecundam Hierarchiam, ait: *Ad gubernationis autem rationem tria pertinent. Quorum primum eſt diſtinctio eorum, quæ agenda ſunt: quod eſt proprium Dominationum. Secundum autem eſt præbere facultate ad implendum quod pertinet ad Virtutes. Tertium autem eſt ordinare qualiter ea, quæ præcepta, vel diffinita ſunt, impleri poſſunt, vt aliqui exequantur: & hoc pertinet ad Poteſtates.* Tranſiens autem ad tertiam, inquit: *Executio autem angelicorum miniſteriorum conſiſtit in annunciando divina. In executione autem cuiuslibet actus ſunt quidam quaſi accipientes actionem, & alios ducentes. Sicut in cantu Præcentores, & in bello illi, qui alios ducunt, & dirigunt. Et hoc pertinet ad Principatus. Alij verò ſunt qui ſimpliciter exequuntur: & hoc pertinet ad Angelos. Alij verò medio modo ſe habent: quod ad Archãgelos.*

14 Præbet huius congruētiam, dicens: *Nam ſemper ſummum inferioris ordinis affinitatem habet cum vltimo ſuperioris. Sicut infima animalia parum diſtant à plantis. Primus autem Ordo eſt divinarum Perſonarum, qui terminatur ad Spiritum Sanctum, qui eſt amor procedens, cum quo affinitatem habet ſupremus Ordo primæ Hierarchiæ, ab incendio amoris denominatus. Infimus autem Ordo primæ Hierarchiæ eſt Thronorū, qui ex ſuo ordine habent quamdam affinitatem cum Dominationibus. Nam Throni dicuntur ſecundum Greg. per quos Deus ſua iudicia exercet. Accipiunt enim divinas illuminationes per convenientiam ad immediatè illuminandū ſecundam Hierarchiam, ad quam pertinet diſpoſitio divinorum miniſteriorum. Ordo verò poteſtatum affinitatem habet cum Ordine Principatuum: Nam cum Poteſtatum ſit ordinem ſubiectis imponere, hæc ordinatio ſtatim in nomine Principatuum deſignatur, qui ſunt primi in executione divinorum miniſteriorum, vtpote præſidentes gubernationi Gentium, & Regnorum, quod eſt primum principium in divinis miniſterij. Nam bonum gentis eſt divinius, quàm vnius hominis. Vnde dicitur Daniel.10. Princeps autem Regni Perſarum reſtitit mihi.*

15 Dubitabis: Si remanebunt Ordines poſt diem iudicij? Reſp. D. Thomas artic.7. affirmativè: Quod fundat ſic: *Dicitur Iudic.5. Stellæ manentes in ordine, & curſu ſuo.* Quod exponitur de Angelis. Ergo Angeli ſemper in ſuis *Ordinibus remanebūt.* Prevenit autē hęc: *In Ordinibus angelicis duo poſſunt conſiderari, ſcilicet diſtinctio graduum, & executio officiorum. Diſtinctio autem graduum eſt in Angelis ſecundum differentiam gratiæ, & naturæ. Et vtraque differentia ſemper in Angelis remanebit. Non enim naturarum differentiæ ab eis auferri poſſunt, niſi eis corruptis. Differentia autem gloriæ erit in eis ſemper ſecundum differentiam meriti præcedentis. Executio autem officiorum angelicorum aliquomodo remanebit poſt diem iudicij, & aliquomodo ceſſabit. Ceſſabit quidem ſecundum quod eorum officia ordinantur ad perducendum aliquos ad finem; remanebit autem ſecundum quod convenit in vltima finis conſecutione: Sicut etiam alia ſunt officia in pugna, & in triumpho.*

16 Inquires: An homines aſſumuntur ad Ordines Angelorum? Affirmat Ang. Doct. art.8. aſſerens: *Dominus dicit Mat.22. de Sanctis, quod erunt ſicut Angeli Dei in Cælo.* Exinde cum diſtinctione ait: *Homines non aſſumuntur ad Ordines Angelorum quantum ad gradum naturæ, bene verò quantum ad gradum gratiæ.* Probat primum hoc modo: Vbi eſt, & remanet diſtinctio aliquorum in natura, vnum non aſſumitur ad gradum alte-

alterius quantum ad gradum naturæ; ſed in Angelis, & in hominibus ſemper eſt, & remanebit diſtinctio in natura: ergo. Mai.patet: Nam talis aſſumptio requirit æqualitatem in natura; quæ repugnat cum diſtinctione, quæ infert inæqualitatem, maximè cum vna ſit perfectior alia, vt natura Angelorum reſpectu naturæ humanæ. Min.conſtat: Cum vna ſit, & maneat angelica, & altera humana.

17 Probat ſecundum ex promiſsione Chriſti Domini Luc. 20. *Æquales enim Angelis ſunt, & filij ſunt Dei: cum ſint filij reſurrectionis.* Quare de opinione oppoſita ait D.Thomas: *Repugnat enim promiſsioni Chriſti.* Addit autem: *Quidam tamen dicunt: Quod ad Ordines Angelorum non aſſumuntur omnes, qui ſaluantur, ſed ſoli Virgines, vel perfecti: alij vero ſuum ordinem conſtituent, quaſi condiviſum toti ſocietati Angelorum. Sed hoc eſt contra Aug. qui dicit 12. de Civ.Dei, quod non erunt duæ ſocietates hominum, & Angelorum, ſed vna, quia omnium beatitudo eſt adhærere vni Deo.*

18 Probat etiam ratione: Elevatio hominum ad æqualem gloriam cum Ordinibus Angelorum, ſecundùm ſingulos eorum gradus, eſt aſſumptio hominum ad Ordines Angelorum; ſed ex dono gratię poteſt dari talis elevatio hominum: ergo. Prob.min. Poſſunt homines ornari æquali gratia, qua mereantur æqualem gloriam: ergo. Prob.ant. Donum gratiæ pēdet ex liberalitate Dei: ergo. Ant.eſt certum: Cum ſit gratia. Conſ.patet: Nam liberalitas Dei non eſt arctata, vt ſolis Angelis tribuat gratiam præexcellentem. De his vid.B.Albert. quæſt.37.

19 Arg.1.cont.1.ſup. Omnes Angeli ſunt vnius Hierarchiæ: ergo non ſunt in tribus diverſis. Prob.ant. Hierarchia eſt Sacer principatus; ſed omnes Angeli ſunt vnius Sacri principatus: ergo Prob.minor. Omnes Angeli ſunt optimæ diſpoſitionis; ſed diſpoſitio optima eſt multitudinis vnius principatus: ergo. Min. docetur ab Ariſt. 2. Meth. & 3. Polit. Reſp.diſt.conſ. Reſpectu Dei, vt Principis, conc.conſeq. Inter ſe, & ex parte multitudinis, nego conſ. Ita Div.Thomas art.1.ad 1.dicens: *Ratio illa procedit de principatu ex parte Principis. Quia optimum eſt, quod multitudo regatur ab vno Principe.* Et in corp. addit: *Sic igitur diſtinguuntur Hierarchiæ ex parte multitudinis. In divinis enim Perſonis eſt quidam ordo naturæ, ſed non Hierarchiæ. Nam vt Dion.dicit: Ordo Hierarchiæ eſt alios quidem purgari, & illuminari, & perfici, alios autem purgare, & illuminare, & per-*

*ſicere. Quod abſit, vt in divinis Perſonis ponamus.*

20 Cont. Omnes Angeli inter ſe conſiderati ſunt vnius Sacri principatus: ergo. Prob. ant. Omnes homines inter ſe conſiderati ſunt vnius Sacri principatus: ergo. Ant. eſt certum: Cum ſint vnius Hierarchię. Prob. conſ. Sacer principatus invenitur in Angelis, & hominibus; ſed: ergo. Reſp. Nego conſ. Ratio eſt Divi Thomæ ad 3. aſſerentis: *Quod omnes homines ſunt vnius ſpeciei: & vnus modus intelligendi eſt eis connaturalis. Non ſic autem eſt in Angelis.*

21 Cont. Licèt Angeli ſint diverſæ ſpeciei, eſt in omnibus vnus modus intelligendi: ergo. Prob. ant. In omnibus Angelis eſt vnus modus cognoſcēdi Deū: ergo. Reſp. diſt. ant. In viſione Dei per eſſentiam, conc. antec. Quantum ad rationes rerum creaturarum, nego antec. & ita diſt. conſ. Licèt enim omnes Angeli boni eodem modo videant Deum per eſſentiam, diverſo tamen quantum ad rationes rerum creatarum: nam vni eas accipiunt immediatius à Deo, vt vniverſali principio. Alij vt dependent à cauſis creatis vniverſalibus. Et alij vt à proprijs. Et cum hic modus diverſus diſtinguat Principatus, & Hierarchias: ideò Angeli ſic habent talem diverſum modum, & ſunt triplicis Principatus, & Hierarchiæ.

22 Arg. 2. cont. 2. In qualibet Hierarchia eſt vnicus Ordo: ergo non eſt multiplex, nec triplex. Prob. ant. Hierarchia eſt Ordo, vt dicit S. Dioniſius; ſed quælibet Hierarchia eſt vnica: ergo. Conſ. patet: Nam multiplicata definitione, multiplicatur definitum; & hoc non multiplicato, nec definitio multiplicatur. Reſp. admitto, & explico dictum S. Dioniſij cum Ang. Magiſtro ad 1. dicente: *Ordo dupliciter dicitur. Vno modo ipſa ordinatio comprehendens ſub ſe diverſos gradus. Et hoc modo Hierarchia dicitur Ordo. Alio modo dicitur Ordo gradus vnus. Et ſic dicuntur plures Ordines vnius Hierarchiæ.*

23 Cont. In vna Hierarchia non ſunt diverſi gradus: ergo quælibet eſt vnicus Ordo pro gradu ſumptus. Prob. ant. In ſpiritualibus grados conſtituuntur ſecundum diverſa dona ſpiritualia ſingularia, & non communia; ſed in Angelis eiuſdem Hierarchiæ non ſunt diverſa dona ſpiritualia ſingularia, ſed cuncta ſunt omnibus communia: ergo. Reſp. diſt. mai. Diverſa ex parte modi, conc. mai. Ex parte rei, nego mai. & diſt. min. Ex parte rei, conc. min. Ex parte modi, nego min. & conſ. vt ait Ang. Mag. ad 2. *In ſocietate Angelorum omnia poſſidetur.*

*tur communiter. Sed tamen quædam excellentius habentur à quibuſdam. Quod oſtendit ratione: quia vnumquodque perfectius habetur ab eo, qui poteſt illud communicare, quàm ab eo, qui non poteſt. Sicut perfectius eſt calidum, quod poteſt calefacere, quàm quod non poteſt. Cum igitur modus diverſus excellens habendi, & communicandi donum ſpirituale, conſtituat diverſum gradum:* Vnde ait: *Quantum perfectiùs donum aliquis communicare poteſt, tanto in perfectiori gradu eſt: Sicut in perfectiori gradu magiſterij eſt, qui poteſt docere altiorem ſcientiam: ideò propterea in qualibet Hierarchia ſunt diverſi gradus.*

24 Cont. In vna Hierarchia non eſt diverſus modus participandi dona ſpiritualia, ſufficiens ad diſtinguendos gradus, & ordines: ergo. Prob. ant. Gradus, & ordines Hierarchiæ diſtinguuntur per purgare, illuminare, & perficere; ſed talis diverſus modus non eſt ſufficiens, vt conſtituat hanc diſtinctionem in Angelis eiuſdem Hierarchiæ: ergo. Min. patet: Nam quilibet Angelus purgat, illuminat, & perficit. Reſp. diſt. mai. Hierarchię Angelicæ, nego mai. Eccleſiaſticæ, côc. mai. & min. & nego conſ. In Hierarchia namq; Eccleſiaſtica Ordines, & gradus diſtinguuntur per prædicta: nam ordo Diaconorum eſt purgativus, Sacerdotum illuminativus, & Epiſcoporum perfectivus, vt refert ex Sãcto Dioniſio Ang. Doct. arg. 3. Non verò in angelica; ſed ſecundum alias differentias actionum, vt ait ad 3. Cumque has inducat modus diverſus habendi, & communicandi dona ſpiritualia: ideò in eadem Hierarchia Angelica conſtituit diverſos gradus, & ordines.

25 Cont. In Eccleſiaſtica Hierarchia gradus, & ordines diſtinguuntur per purgare, illuminare, & perficere: ergo etiam in angelica. Prob. conſ. Hierarchia Eccleſiaſtica debet aſsimilari angelicæ; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt Divi Thomæ ad 3. aſſerentis: *Inferior Angelus eſt ſuperior ſupremo homine noſtræ Hierarchiæ, ſecundum illud Matthæi* 11. *Qui minor eſt in Regno cœlorum, maior eſt illo, ſcilicet* Joanne *Baptiſta, quo nullus maior inter natos mulierum ſurrexit. Vnde minor Angelus cœleſtis Hierarchiæ poteſt non ſolum purgare ſed illuminare, & perficere, & altiori modo, quàm Ordines noſtræ Hierarchiæ. Et ſic ſecundum diſtinctionem harum actionum non diſtinguuntur cœleſtes Ordines, ſed ſecundum alias differentias actionum.*

26 Arg. 3. cont. 3. Quæ ſunt vnius Ordinis, ſunt æqualia: ſed plures Angeli non ſunt æquales: ergo non ſunt plures vnius Ordi-

di-

dinis. Min. eſt certa, cum omnes ſint inæquales, quia diverſæ ſpeciei. Reſp. diſt. mai. Æqualia ſimpliciter, nego mai. Secundum quid, conc. mai. & diſt. min. Simpliciter, conc. min. Secundum quid, nego min. & conſ. Æqualitas ſimpliciter, eſt æqualitas in omnibus. Æqualitas ſecundum quid, eſt ſimilitudo in aliquo. Et licèt illa non ſit in pluribus Angelis; eſt tamen hæc. Et cum hæc ſufficiat, vt ſint plures vnius Ordinis: ideò ſunt, ita D. Thom. art. 3. ad 1.

27 Cont. Non ſufficit, quod plures Angeli ſint ęquales ſecundum quid, vt ſint vnius Ordinis: ergo. Prob. ant. Angelus infimus ſuperioris Ordinis eſt magis æqualis ſecundùm quid cum ſupremo Ordinis inferioris, quàm cum ſupremo ſui Ordinis; ſed Angelus ille infimus, & ſupremus Ordinis inferioris non ſunt eiuſdem Ordinis: ergo. Mai. patet: Cum magis conveniat cum illo, & minus diſtet ab eo. Min. conſtat ex ipſo caſu. Conſeq. eſt optima: Nam ſi æqualitas ſecundùm quid ſufficeret, maior ęqualitas magis ſufficeret. Reſp. diſt. mai. Secundum idoneitatē ad ſimilia officia, nego mai. Secūdùm naturam, conc. mai. & minor. & nego conſ. Licèt Angeli exiſtentes in termino duorum Ordinum ſint magis æquales, & magis conveniāt ſecundum propinquitatem naturæ, quàm vnus eorum cum aliquibus ſui Ordinis; ſunt minus æquales, & convenientes ſecundùm idoneitatem ad ſimilia officia: nam hæc idoneitas protēditur vſque ad certum terminum. Et cum hæc convenientia, & æqualitas requiratur, vt Angeli ſint eiuſdem Ordinis: ideò plures ſunt, licèt non prædicti. Ita Ang. Mag. ad 3. explicans hoc in ſuperficie, quæ partim eſt alba, & partim eſt nigra: in qua duæ partes, quæ ſunt in confinio albi, & nigri, cōveniunt magis ſecundùm ſitum, quàm alię duæ partes albæ; minus tamen ſecundùm qualitatem.

28 Cont. Sunt magis æquales ſecundùm naturam, aut propinquitatem naturæ: ergo etiam ſecundùm idoneitatem ad ſimilia officia. Prob. conſ. Idoneitas ad munera, & officia fundatur ſupra naturam; ſed: ergo. Reſp. Nego conſ. Ratio aſsignatur à Divo Thoma aſſerente: *Idoneitas vſque ad aliquem certum terminum protenditur.* Et cum exiſtens in tali termino, ſecundùm naturam ſit propinquior ſequenti, qui eſt ſupremus ſequētis Ordinis, quàm cum ſupremo Ordinis ſui: cum inter ipſum, & illum plurimi medient: ideò licèt ſint magis æquales ſecundùm naturam, non tamen ſecundùm idoneitatem. Pro

qua, & multiplici difficultate ſolvenda, docet: Quod, qui cognoſcit perfectè res aliquas, poteſt vſque ad minima, naturas, virtutes, & actus eorum diſtinguere. Qui autem imperfectè non, niſi in vniverſali: quæ diſtinctio fit per pauciora. Nos autem cognoſcimus imperfectè Angelos, & eorum officia. Vnde non poſſumus ea, & Ordines Angelorum diſtinguere, niſi in communi. Ideò ſcimus, plures Angelos fore in eodem Ordine; & neſcimus, quis in quo ſit. Scimus de idoneitate, vt ſint in ſuo Ordine; & neſcimus de illa in particulari.

29 Arg. 4. cont. 3. Diſtinctio Hierarchiarum, & ordinum in Angelis eſt ſolùm per gratiam: ergo nullatenus per naturam. Prob. ant. Hierarchia, & Ordo Angelorum, quantum poſsibile eſt, ſimilat Dei formæ, & ſanctitati; ſed hæc ſimilatio in Angelis ſolùm eſt per gratiam: ergo. Mai. docetur à S. Dion. cit. à Divo Thoma art. 4. Min. eſt certa: Nam Dei formitas, & ſanctitas ſolùm eſt in illis per gratiam. Reſp. diſt. mai. Hierarchia diſpoſitivè accepta, nego mai. Completivè, conc. mai. & min. & nego conſ. Hierarchia, & Ordo Angelorum poſſunt ſumi in ordine ad finem naturalem, & ſupernaturalem. Dum ſumuntur diſpoſitivè, reſpiciunt naturalem. Dum completivè, ſupernaturalem. Sub hoc reſpectu ſimilant, quantum poſſunt, Dei formæ, & Sanctitati. Quod habent per gratiam; vt S. Dion. docet. Sub primo autem non. Et cum ſub hoc etiam diſtinguantur: ideò prædicta diſtinctio diſpoſitivè eſt per naturam, etſi completivè per gratiam.

30 Cont. Diſtinctio Hierarchiæ, & Ordinis in Angelis, nec diſpoſitivè eſt per naturam: ergo ſic etiam eſt per gratiam. Prob. ant. In hominibus nec diſpoſitivè eſt per naturam; ergo. Prob. conſ. Hierarchia, & Ordo in hominibus aſsimilatur, quantum poſsibile eſt, Hierarchiæ, & Ordini Angelorum; ſed: ergo. Reſp. Nego conſeq. Rationem præbet Ang. Doct. in corp. dicens: *Quia Angelis data ſunt dona gratuita ſecundum capacitatem naturæ. Quod non eſt in hominibus.* Intelligendum eſt autem de capacitate remota, non de proxima. Pro congruitate, non pro condignitate. Nam ſola illa poteſt eſſe in natura ad gratiam ſupernaturalem.

31 Arg. 5. cont. concluſ. Omnes Spiritus Cœleſtes dicuntur Angeli, Virtutes, & Poteſtates; ſed nomina communia multis, inconvenienter appropiãtur aliquibus eorum: ergo tres Ordines prædicti inconvenienter ita nominantur. Reſp. diſt. maior. Di-

cútur ſub quadam ratione communi, conc.mai. Speciali, nego mai.& diſt.min.Sub ratione ſpeciali, conc.min. Communi,nego min. & conſ. In omnibus enim Ordinibus Angelorum eſt quædam ratio communis,vt Angeli, Virtutes, & Poteſtates communiter dicantur. Præterea in tribus aſsignatis reſpectivè eſt quædam ſpecialis, vt eis tanquam proprijs inſigniantur: nam vt ait Divus Thomas art.5 ad 1.Angelus dicitur nuncius:quod ſuo modo competit omnibus, in quantum divina manifeſtant: Sicque vocantur Angeli. Superiores autem habent in hac manifeſtatione quamdam excellentiam,à qua Ordines ſuperiores nominantur. Infimus verò Ordo nullam excellentiam ſupra communem manifeſtationem addit:Et ideò à ſimplici manifeſtatione nominatur. Et ſic nomen commune remanet infimo Ordini quaſi proprium. Vel poteſt dici ſpecialiter Ordo Angelorum,quia immediatè nobis annunciant. Virtus quoque poteſt concipi communiter,vt eſt media inter eſſentiam,& operationem: itaque omnes nominantur cœleſtes Virtutes, ſicut cœleſtes eſſentiæ. Et vt importat exceſſum fortitudinis: Et ſic eſt nomen proprium Ordinis.Et ita ſuo modo dePoteſtatibus.Et cum hoc ſufficiat, vt convenienter ſic nominentur: ideò ita nominantur.

32 Cont. Nec ſub ratione ſpeciali omnia nomina ſunt Ordinibus convenienter appropriata: ergo. Prob.ant. Nomen Dominatio non poteſt ſub ratione ſpeciali appropiari Ordini Angelorum: ergo.Prob.ant. Nomen Dominatio eſt proprium Dei:ergo. Prob.ant. Eſſe dominum eſt proprium Dei: ergo.Prob.ant.ex illo Pſal. *Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus*: ergo.Reſp.admitto, & explico auth. cum Ang.Mag. ad 2. exponēte illam de dominio per eſſentiam, & per quemdam exceſſum. In quo ſenſu eſt ſolus Dominus, quia ſolus Altiſsimus: Sicque dominatio eſt propria Dei. Cui cohæret, vt dominium per participationem conveniat Angelis, & vni Ordini nomen Dominatio approprietur.

33 Cont. Nomen dominatio, nec vt ſignificat dominium participatum, eſt ſpeciale alicuius Ordinis: ergo. Prob.antec. Nomen dominatio pertinet ad gubernationem: ſicut etiā Principatus, & Poteſtas; ſed gubernatio non eſt ſpecialis alicuius Ordinis, ſed his communis: ergo. Reſp.diſt.mai. Pertinet eodem modo, nego mai. Diverſo, conc.mai. & min. & nego conſ. Pro gubernatione enim conſtituuntur Dominationes, & Poteſtates;

ſtates; non eodem, ſed diverſo modo: nam Dominatio præcipit de agendis, & Poteſtas ordinat agenda; iuxta illud Rom. 13. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Principatus autem dicit primatum inter exequentes, ſecundùm illud Pſal. *Prævenerunt Principes coniuncti pſallentibus.* Cumque ſufficiat hæc diverſitas, vt dominatio ſub ſpeciali ratione approprietur ſuo Ordini; ſicut Poteſtas, & Principatus ſuis: ideò ſic appropriatur.

34 Cont. Ex interpretatione Principatus infertur, quod ſuperfluat nomen Archangelus: ergo. Prob. ant. Archangelus dicitur quaſi Princeps, ſeu primus Angelus; ſed ita interpretatum eſt nomẽ Principatus: ergo. Reſp. diſt. mai. Reſpectu Angelorum, conc. mai. Principatuum, nego mai. & diſt. min. Reſpectu Archangelorum, & Angelorum, conc. min. Solùm reſpectu Angelorum, nego min. & conſeq. Pro quo ita loquitur ad 4. Div. Thomas: *Archangeli ſecundum Dioniſ. medij ſunt inter Principatus, & Angelos. Medium autem comparatum vni extremo, videtur alterum, in quantũ participat naturam vtriuſque. Sicque tepidum reſpectu calidi eſt frigidum, reſpectu verò frigidi eſt calidum. Sic & Archangeli dicuntur quaſi Principes Angeli: quia reſpectu Angelorum ſunt Principes, reſpectu verò Principatuum ſunt Angeli.*

35 Arg. 6. S. Gregor. hom. 34. in Evang. aliter aſsignat nomina Angelorum: ergo non ſunt convenienter aſsignata. Reſp. explico ant. cum Ang. Mag. in corp. ita affante: *Sic igitur Dioniſius exponit Ordinum nomina ſecundùm convenientiam ad ſpirituales perfectiones eorũ. Gregorius verò in expoſitione horum nominũ magis attendere videtur exteriora miniſteria. Dicit enim, quod Angeli dicuntur qui minima nunciant, Archangeli qui ſumma: Virtutes, per quas miracula fiunt. Poteſtates, quibus adverſæ poteſtates arcentur, vel repelluntur: Principatus, qui ipſis bonis Spiritibus præſunt.* Exinde S. Gregor. ait: *Dicuntur Archangeli ex eo, quod principatur ſoli Ordini Angelorum. Principatus autem dicuntur ex eo, quod principantur omnibus cœleſtibus Virtutibus divinas iuſsiones explentibus.*

36 Cont. Nec ſecundùm convenientiã perfectionum eorum, ſunt omnia prædicta nomina cõvenienter aſsignata: ergo Prob. ant. Nomen Seraphim, & Cherubim ſecundùm talem convenientiam non eſt rectè aſsignatum: ergo. Prob. antec. Nomen ſpeciale cuiuslibet Ordinis, aſſignatum ſecundùm talem convenientiam, debet imponi à perfectione ſpeciali illius, & non à com-

communi alijs; ſed nomen Seraphim, & Cherubim non imponitur à perfectione ſpeciali illius, ſed communi alijs: ergo. Probat. min. Seraphim imponitur ab ardore charitatis; & Cherubim à ſcientia; ſed charitas, & ſcientia ſunt perfectiones communes alijs Ordinibus: ergo. Min. patet: Cum omnes Spiritus cœleſtes ſint prędicti ſcientia, & charitate.

37 Reſp. diſt. mai. Communiter acceptis, nego mai. In quodam exceſſu, conc. mai. & diſt. min. Communiter acceptis, cōc. min. In quodam exceſſu, nego min. & conſ. Scientia namque, & charitas abſolutè, & communiter acceptæ ſunt communes omnibus Ordinibus, & ſingulis Spiritibus eorum: cum omnes ſint prædicti illis: nam cognoſcunt, & diligunt Deum. Exceſſus autem charitatis, & ſcientiæ non eſt illis communis, ſed ille ſpecialis Seraphim, & iſte Cherubim. Cumque hoc ſufficiat, vt horum nomen rectè aſsignetur: ideò rectè aſsignatur. Sic Angel. Mag. ad 5.

38 Cont. Iuxtà hæc, nomen Thronus non eſt convenienter aſsignatum: ergo. Prob. antec. Thronus dicitur ſedes Dei; ſed eſſe ſedem Dei non eſt ſpeciale huius Ordinis, ſed commune Cherubinis, & Seraphinis: ergo. Prob. min. Deus ſedet in creatura rationali, & intellectuali, quia cognoſcit, & diligit illum; ſed cognoſcere Deum competit Cherubinis, & diligere Seraphinis ergo. Reſp. diſt. min. Excellenter conc. min. Vt in ipſis Thronis nego min. & conſ. Ut enim Ang Mag. ad 6. ait: Excellentia Ordinis inferioris continetur in Ordine ſuperiori. Ordo autem conſtituitur, & nominatur à perfectione excellenti, quam habe reſpectu Ordinum inferiorum non reſpectu ſuperiorum: alioquin eſſet vnicus Ordo Angelorum; nempe ſupremus, qui continet cunctas perfectiones Angelorum. Cumque Thronus ſit, & dicatur ſedes Dei ex eo, quod recipit immediatè à Deo rationes divinorum operum, quæ cognoſcit; quæ in ipſo eſt ſpecialis perfectio reſpectu inferiorum, et contenta in ſuperioribus: ideò a ea rectè nominatur.

39 Arg. 7. S. Gregor. loc cit aliter aſsignat gradus Ordinum Angelorum: ergo non ſunt convenienter aſsignati. Prob. ant. ipſo aſſerente: *Novem Angelorum Ordines eſſe, teſtante ſacro eloquio ſcimus: Angelos, Archangelos, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, atque Seraphim.* Vbi collocat Virtutes ſub Poteſtatibus, & Principatibus: & Poteſtates ſub Principatibus; ſed nos aſsignamus

Principatus ſub Poteſtatibus, & Poteſtates ſub virtutibus: ergo. Reſp.admitto, & explico auth. cum Divo Thoma art.6.dicente: *Gradus angelicorum Ordinum aſsignant, & Gregor.& Dion.quantum ad alia quidem convenienter, ſed quantum ad Principatus differenter: & vtraque aſsignatio fulcimentum habere poteſt ex authoritate Apoſtoli, qui medios Ordines aſcendendo enumerans*, dicit Epheſ.1. *Operatus eſt in Chriſto ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus: Supra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem.* Vbi Virtutem ponit inter Poteſtatem, & Dominationem, ſecundum aſsignationem Dion. Sed ad Coloſ.1. enumerans eoſdem Ordines, deſcendendo dicitur: *Sive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt.* Vbi principatus ponit medios inter dominationes, & poteſtates, *ſecundum aſsignationem Gregorij.*

40 Nunc præbet rationem diverſæ aſsignationis: Quia S.Dion.attendit proprietates, & perfectiones Ordinū, iuxta quas eorum gradus ordinat convenienter. S.Gregor. autem conſiderat miniſteria exteriora illorum: itaquè etiam ab eo rectè aſsignantur: *Nam cum dominationes definiant, & præcipiant quæ ad divina miniſteria pertinent, Ordines eius ſubiecti diſponuntur ſecundum diſpoſitionem eorum, in quos divina miniſteria exercentur. Primus ergo Ordo poſt Dominationes dicitur Principatuum, qui etiā bonis Spiritibus principantur. Deinde Poteſtates, per quas arcentur mali Spiritus. Poſt quas ſunt Virtutes, quæ habent poteſtatem ſuper corporalem naturam, in operatione miraculorum. Poſt quas ſunt Angeli, & Archangeli, qui nunciant hominibus, vel magna, quæ ſunt ſupra rationem, vel parva, ad quæ ratio ſe extendere poteſt.*

41 Cont. Gradus Ordinum Angelorum nec in ſenſu prædicto ſunt rectè aſsignati: ergo. Prob.ant. Dominationes, Poteſtates, & Principatus debebant prius aſsignari: ergo. Prob.antec. Ordo Prælatorum eſt prior: cum videatur ſupremus; ſed Dominationes, Poteſtates, & Principatus dicunt prælationem; vt ex nominibus conſtat: ergo. Reſp.diſt. mai. Vbi attenditur ſubiectio, nego mai. Prælatio, conc.mai.& min.& nego conſ.Ita Ang.Doct. ad 1.edifferens: *In Angelis potius eſt, quod ſubijciuntur Deo quam quod inferioribus præſident: & hoc derivatur ex illo. Et ideò ordinis nominati à prælatione non ſunt ſupremi, ſed magis Ordines nominati à converſione ad Deum.*

42 Cont. Per talem reſpectum ad Deū Ordo Thronorum

eſt

eſt ſuperior: ergo debebat prior aſsignari. Prob.ant. Ordo propinquior Deo, eſt ſuperior; ſed Ordo Thronorũ eſt propinquior Deo: ergo. Prob.minor. Nil eſt propinquius ſedenti, quàm ſedes; ſed Ordo Thronorum, ſiue Thronus, eſt ſedes Dei: ergo Reſp.diſt. minor. Præ Ordinibus inferioribus, conc.min. Superioribus, nego min.& conſ.

43 Cont. Prout ſic, Ordo Cherubim eſt propinquior Deo, quam Ordo Seraphim: ergo. Prob.antec. Ordo altior eſt propinquior Deo; ſed Ordo Cherubim eſt altior, quàm Ordo Seraphim: ergo. Prob.min. Cherubim eſt perfectior, & nobilior, quàm Seraphim: ergo. Conſ.patet: Nam Ordo perfectiorum eſt altior. Prob.antec. Scientia eſt perfectior, & nobilior, quàm amor; ſed Cherubim denominatur à ſcientia, & Seraphim ab amore: ergo. Reſp.diſting.mai. Scientia ex genere ſuo, conc.mai. In indiuiduo, aut ſpecie, nego mai.& diſt.minor. A ſcientia in indiuiduo, aut ſpecie, conc.min. Ex genere ſuo, nego min.& conſ. Intellectus namquè ſecundùm ſe, & ex genere ſuo, eſt perfectior, & nobilior voluntate: & ſimiliter ſcientia amore. In ſpecie autem, & in aliquo indiuiduo aliquis actus voluntatis poteſt reſarcire, & excedere perfectionem actus intellectus, & eſſe perfectior, & nobilior illo: vt patet in actu charitatis, ita excedente actum fidei. Cumquè Cherubim denominetur à ſcientia, non in genere, ſed in ſpecie, & indiuiduo; quàm ita excedit actus voluntatis, ſiue amor, à quo Seraphim denominatur: nam cognitio, & ſcientia eſt ſecundùm quod cognita ſunt in cognoſcẽte; amor verò ſecundùm quod amans vnitur rei amatæ: & ſuperiora ſint nobiliori modo in ſe ipſis, quàm in inferioribus; inferiora autem nobiliori modo in ſuperioribus, quàm in ſe ipſis: ideò dilectio, & amor Seraphinorum, quo vniuntur Deo, eſt perfectior, & nobilior, quàm ſcientia, qua Cherubini cognoſcunt obiecta; & Ordo Seraphim eſt propinquior Deo. Ita D.Thomas ad 2.

44 Arg.8. Poſt diem iudicij non remanebunt Principatus, Poteſtates, nec Virtutes: ergo nec alij Ordines Angelorum. Prob.ant. Quod euacuabitur in die iudicij, non remanebit poſt diem iudicij; ſed Chriſtus Dominus in die iudicij euacuabit Principatus, Poteſtates, & Virtutes: ergo. Prob.min. ex illo 1. Cor.15. *Deinde finis: cum tradiderit regnum Deo, & Patri: cum euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem*: ergo. Reſp. admitto, & explico Sac. Textum

cum

cum Ang. Doct. art. 7. ad 1. aſſerente: *Principatus, & Poteſtates evacuabuntur in illa finali conſummatione quantum ad hoc, quod alios ad finem perducant: quia conſecuto iam fine, non eſt neceſſarium tendere in finem.* Cui cohæret, quod tales Ordines maneant in ſe.

45 Cõt. Tales Ordines, & alij, nec in ſe manebunt: ergo. Prob. ant. Vt in quantum Ordines maneãt, debẽt exercere aliquod officium; ſed poſt diem iudicij nullum exercitium exercebunt: ergo. Prob. min. Officium eorum eſt, vnum Angelum purgare, illuminare, & perficere alium; ſed poſt diem iudicij non purgabit, illuminabit, nec perficiet alium: ergo. Prob. min. Unus Angelus purgat, illuminat, & perficit alium, vt alius proficiat in ſcientia; ſed poſt diem iudicij, alius iam non proficiet in ſcientia: ergo.

46 Reſp. diſt. mai. Ut ſolum proficiat, nego mai. Vt proficiat, aut conſervet ſcientiam, conc. mai. & min. & ita diſt. conſ. Cum ſcientia, vt conſervetur, non ſolum pendeat ab actu, quo acquiritur, ſed etiam ab alijs, quibus oblitis, deficeret: ideò licèt vnus Angelus poſt diẽ iudicij non acquirat de novo ſcientiam, itaque non proficiat in illa, & ad hoc non indigeat illuminatione alterius; indiget ea, vt ſcientiam acquiſitam conſervet, cuius conſervatio pendet à lumine ſuperioris participantis ei rationes divinorum, ita Divus Thomas ad 2.

47 Cont. Vnus Angelus nec ſic exercebit vllum officium reſpectu alterius Angeli: ergo. Prob. ant. Nec ſic exercebit vllum officium reſpectu hominum: ergo. Prob. ant. ex illo Heb. 1. *Angeli ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*; ſed poſt diem iudicij non exercebunt hoc miniſterium: ergo. Min. eſt certa: quia tunc ſalus electorum erit adepta. Reſp. admitto, & explico ſacrum textum cum D. Thoma ad 3. dicente: *Etſi poſt diem iudicij homines non ſint vlterius ad ſalutem adducendi per miniſterium Angelorum: tamen illi, qui iam ſalutem erunt conſecuti, aliquam illuſtrationem habebunt per Angelorum officia.*

48 Arg. 9. Angeli Hierarchiæ inferioris non poſſunt aſſumi ad Ordines Hierarchiæ ſuperioris: ergo homines ad nullum Ordinem Angelorum poſſunt aſſumi. Prob. conſ. Sicut Hierarchia infima Angelica continetur ſub media, & hæc ſub prima: ita humana continetur ſub infima angelica, ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Diſcrimen aſsignatur ab Ang. Mag. art. 8. ad 1. aſſeren-

rente: *Gratia Angelis data ſecundum proportionem naturalium. Non autem ſic eſt de hominibus. Et ideò ſicut inferiores Angeli non poſſunt transferri ad naturalem gradum ſuperiorum, ita nec ad gratuitum. Homines verò poſſunt ad gratuitũ conſcendere, ſed non ad naturalem.*

49 Cont. Homines non poſſunt aſſumi ad gradum gratuitum Angelorum: ergo. Prob. antec. Non poſſunt aſſumi ad naturalem: ergo. Prob. conſ. Ordo Angelorum dicit vtrumque gradum; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt D. Th. in corp. aſſerentis: *Illud enim, quod eſt ex parte naturæ, ſe habet vt materiale in ratione ordinis. Completivum verò eſt, quod eſt ex dono gratiæ, quæ dependet ex liberalitate Dei, non ex ordine naturæ. Et ideò per donum gratiæ homines mereri poſſunt tantam gloriam, vt Angelis æquentur ſecundum ſingulos Angelorum gradus: quod eſt homines ad Ordines Angelorum aſſummi.*

50 Cont. Licèt completivum Ordinis Angelorum ſit ex dono gratiæ, homines non poſſunt aſſumi ad illum: ergo. Prob. ant. Cuilibet Ordini Angelorum competit aliquod officium ex dono gratiæ, ſed hoc non convenit hominibus: ergo. Prob. min. Tale officium eſt cuſtodire, vel miracula facere, arcere dœmones, & alia huiuſmodi; ſed hæc non competunt hominibus: ergo. Reſp. diſt. min. Secundum legem communem, conc. min. Ex ſpeciali diſpenſatione, nego min. & ita diſt. conſ. Pro quo Angelicus Doct. ad 2. ait: *Angeli ſecundùm naturæ ordinem medij ſunt inter nos, & Deum. Et ideò ſecundum legem communem per eos adminiſtrantur non ſolùm res humanæ, ſed etiam omnia corporalia. Homines autem Sancti, etiam poſt hanc vitam, ſunt eiuſdem naturæ nobiſcum. Vnde ſecundum legem communem non adminiſtrat humana, nec rebus vivorum interſunt, vt Aug. dicit. Ex quadam tamen ſpeciali diſpenſatione interdum aliquibus Sanctis conceditur, vel vivis, vel mortuis, huiuſmodi officia exercere.*

51 Cont. Homines Sancti nec ita poſſunt aſſumi ad officium Angelorum: ergo. Probatur ant. Homines mali non poſſunt aſſumi ad officium dœmonum: ergo. Prob. conſ. Sicut Angeli boni inducunt ad bonum, ita mali, ſive dœmones, ad malum; ſed: ergo. Reſp. diſt. min. Omnimodè, conc. min. Aliqualiter, nego min. & conſ. Homines namque perverſi, etiam poſſunt aliqualiter transferri ad pęnam, & officium dœmonum, etſi non ita regulariter, nec omnimodè fiat, propter dicta de hominibus ſanctis: cum ſint eiuſdem naturæ nobiſcum. Vnde boni poſſunt

aſſumi, modo dicto, ad officium Angelorum bonorum, & ex dono gratiæ elevari ad Ordinem eorum.

## ARTIC. IV.

### *DE ORDINATIONE dæmonum.*

1. PRæmitto 1. Quod Ordo Angelicus conſideratur ſecundum gradum naturæ, & gratiæ. Si conſideretur ſecundum gradum naturæ, dœmones fuerunt, & ſunt in Ordinibus Angelorum: quia, vt ait S. Dioniſius, non amiſſerunt dona naturalia. Gratia autem habet duplicem ſtatum. Imperfectum, qui eſt ſtatus merendi: & perfectum, qui eſt ſtatus gloriæ, & gratiæ conſummatæ. Si Ordines angelici conſiderentur in ſtatu gratiæ imperfecto, dœmones aliquando fuerũt in illis: cum fuiſſent creati in gratia. Ceciderunt tamen ab eis per peccatum. Si ſecundum ſtatum perfectum gratiæ, nec fuerunt, nec ſunt in illis: cum nunquam habuerint gloriam. Hæc reſolutio eſt Divi Thomæ quæſt. 109. art. 1.

2 Præmitto 2. Quod eſt prelatio inter dœmones. Sic Angel. Doct. ar. 2. Quod fundat in Gloſſa ſup. 1. Cor. 15. dicente: *Quandiu durat mundus, Angeli Angelis, homines hominibus, & dæmones dæmonibus præſunt.* Cuius aſsignat rationem: Cum actio aliquorum ſubditur actioni alterius, & prælatio inter illos; ſed actio aliquorum Dœmonum ſubditur actioni alterius: ergo. Mai. eſt D. Thomæ aſſerentis: *Et hoc eſt quod ratione prælationis facit, ſcilicet actio ſubditi ſubdatur actioni prælati.* Prob. minor. Cum aliqui ordine naturali ſunt conſtituti ſub alijs, actio eorum ſubditur actioni illorum; ſed aliqui dœmones ordine naturali ſunt conſtituti ſub alijs: ergo. Mai. eſt certa: Cum actio ſequatur naturam rei. Vnde cum natura vnius eſt ſubdita naturę alterius, etiam actio vnius eſt ſubdita actioni illius. Quod patet in corporibus ſublunaribus, ita ſubditis cœleſtibus. Min. conſtat ex dictis. Quare Ang Mag. concludit: *Convenit enim hoc divinæ ſapientiæ, quæ nihil in vniverſo inordinatum relinquit, quæ attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter, vt dicitur Sapient. 8.*

3 Præmitto 3. Quod inter dœmones non eſt proprie illuminatio. Ita Ang. Præcept. artic. 3. Quod ſic oſtendit: Illuminatio eſt cum purgatione, & perfectione; ſed purgare non convenit dœmonibus, ſecundum illud Eccleſ. 34. *Ab immundo quis mundabitur?* Ergo neque illuminare. Probat

quoque ratione: Illuminatio propriè accepta eſt manifeſtatio veritatis, vt habet ordinē ad Deum; ſed perverſitas dœmonum non permittit manifeſtationem veritatis, cum tali ordine ad Deum: ergo. Min. patet: Cum intendat ſubducere alios ab ordine divino. Supereſt difficultas: Vtrum Angeli boni habeant prælationem ſupra malos?

4 Concluſio: Angeli boni habent prælationem ſupra malos. Ita D. Thomas artic. 4. Fundat concluſ. cum D. Auguſt. lib. 3. de Trin. aſſerente: *Spiritus vitæ deſertor, atque peccator regitur per ſpiritum vitæ rationalem pium, & iuſtum.* Et ex S. Greg. dicente: Quod Poteſtates ſunt Angeli, quorum ditioni virtutes adverſæ ſubiectæ ſunt; ſed Angeli boni ſunt Spiritus pij, ac iuſti; & dœmones ſunt virtutes adverſæ: ergo Angeli boni regunt dœmones, & hi ſunt ſubiecti illis; in quo ſtat prælatio.

5 Prob. concluſ. ratione Divi Thomæ: Creaturæ perfectiores, & Deo propinquiores, habent influentiam, & prælationem ſuper imperfectiores, & remotiores; ſed Angeli boni ſunt creaturæ perfectiores, & Deo propinquiores, quàm mali, ſive dœmones: ergo. Mai. eſt Divi Thomæ aſſerentis: *Totus ordo prælationis primò, & originaliter eſt in Deo, & participatur à creaturis, ſecundùm quod Deo magis appropinquat.* Prob. min. Perfectio maxima creaturarum, & appropinquatio earum ad Deum ſtat in viſione, & fruitione Dei; ſed Angeli boni, qui in ſe ſunt perfecti, gaudent viſione, & fruitione Dei, qua mali ſunt privati: ergo. Vid. B. Alb. quæſt. 26.

6 Arg. 1. cont. 1. præmiſ. Ordo pertinet ad rationem boni, ſicut modus, & ſpecies; ſed in dœmonibus non eſt ratio boni: ergo neque ordo: & non ſunt in Ordinibus Angelorum. Reſp. diſt. min. Boni ſupernaturalis, conc. min. Naturalis, nego minor. & conſ. Conſtat num. 1.

7 Cont. In Angelis malis nulla ratio boni, etiam naturalis, poteſt eſſe, & nullus ordo: ergo. Prob. ant. In Angelis bonis nulla ratio mali, etiam naturalis, nullaque inordinatio poteſt eſſe: ergo. Prob. conſ. Sicut malum opponitur bono, ita bonum malo; ſed: ergo. Reſp. Nego conſ. Rationem reddit Ang. Mag. art. 1. ad 1. dicens: *Quod bonum poteſt inveniri ſine malo: ſed malum non poteſt inveniri ſine bono. Et ideò dœmones in quantum habent naturam bonam ordinati ſunt.*

8 Cont. In Angelis malis non eſt ratio boni naturalis sufficientis, vt ſub ea ſint ſub aliquo Ordine Angelorum; ergo. Prob. ant.

Non eſt,vt ſub ea ſint ſub aliqua Hierarchia Angelorū ergo.Prob. ant.Hierarchia eſt ſacer principatus;ſed Angeli mali nō poſsūt eſſe ſub aliquo ſacro:ergo. Reſp diſt. min.Sacro ex parte ſui,cōc.min. Ex parte Dei, nego min.& conſ. Sicut enim Angeli mali ratione bonitatis naturalis ſunt ſub aliquo Ordine Angelorum, ita ſub aliqua Hierarchia; quæ eſt ſacer principatus, non quia omnis ſub ea contentus ſit ſacer,& ornatus Sāctitate,ſed quia ordinatio Dei ſacra eſt. Cumque in præſenti ita eveniat: cum Ang.Doct.ad 2. dicat: *Ordinatio dæmonum,ſi conſideretur ex parte Dei ordinantis, eſt ſacra. Vtitur enim dæmonibus propter ſe ipſum. Sed ex parte voluntatis dæmonum non eſt ſacra: quia abutuntur ſua natura ad malum: ideò ſunt ſub Hierarchia, & Ordine Angelorum.*

9 Cont.Angeli mali non ſunt ſub Hierarchia Sacra ex parte Dei: ergo. Prob.ant. Si ita eſſent ſub Hierarchia ita Sacra, aliqui forent ſub omni Hierarchia, & ſub ſingulis Ordinibus illius; ſed non ſunt: ergo. Prob.minor. Si eſſent, illis attribuerentur nomina ſingulorum Ordinum cuiuslibet Hierarchiæ; ſed non attribuitur eis: ergo. Reſp.diſt.mai. Oppoſita peccato,nego mai.Non oppoſita, conc.mai.& diſt.min. Oppoſita peccato,conc.min.Non oppoſita,nego min.& conſ.Ang. Mag.ad 3. ait: *Nomen Seraphim imponitur ab ardore charitatis: nomen autem Thronorum ab inhabitatione divina. Nomen autem Dominationum importat libertatem quamdam. Quæ omnia opponuntur peccato. Et ideò peccantibus Angelis huiuſmodi nomina non attribuuntur.* Ex quo conſtat: Quod nomina peccatō non oppoſita attribuantur illis. Quare in ſed contra refert illud Apoſtoli ad Epheſ.vlt. Quod eſt nobis colluctatio adverſus Principes, & Poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum.

10 Arg. 2. cont.2. Omnis prælatio eſt ſecundùm aliquem ordinem iuſtitiæ; ſed in dœmonibus non eſt ordo iuſtitiæ: ergo nec prælatio. Prob.min. Dœmones ceciderunt totaliter à iuſtitia: ergo. Reſp.diſt.ant. A iuſtitia ipſorum, conc.ant. Dei ordinantis, nego ant.& ita diſt.conſ. Licèt enim per peccatum defecerit iuſtitia dœmonum; non tamen defecit iuſtitia Dei, ita ordinantis illos. Et cum prælatio dœmonum non fundetur in iuſtitia ipſorum, ſed Dei, cuncta ordinantis;vt ait Ang.Doct.ad 1. ideò eſt prælatio in illis.

11 Cont. In dœmonibus nec eſt prælatio fundata in iuſtitia Dei ordinantis: ergo. Prob.ant. In dœmonibus non eſt prælatio

naturalis; ſed fundata in iuſtitia Dei ordinantis foret naturalis: ergo. Prob.mai. In hominibus non eſt prælatio naturalis: ergo. Prob.conſeq. Sicut Angeli ſunt præditi intellectu, ita homines; ſed: ergo. Reſp. Nego conſ. Diſcrimen aſsignatur à Divo Thoma, ad 3. dicente: *Quod dœmones non ſunt æquales ſecundum naturam. Vnde in eis eſt naturalis prælatio. Quod in hominibus non contingit, quia natura ſunt pares.*

12 Cont. Licet dœmones non ſint æquales ſecundum naturam, non eſt prælatio naturalis in eis: ergo. Prob. ant. Vbi non eſt ſubiectio, nec obedientia, non eſt prælatio naturalis; ſed in dœmonibus non eſt ſubeictio, nec obedientia: ergo. Prob. min. Vbi nō eſt cōcordia, nō eſt ſubiectio, nec obedientia; ſed in dœmonibus non eſt concordia: ergo. Mai. eſt certa: Nam ſubditus, & obediens concordat ſuperiori, & præcipienti. Min. conſtat: Siquidem dœmones ſunt valde ſuperbi; & dicitur Prov. 13. *Inter ſuperbos ſemper ſunt iurgia.* Reſp. diſt. min. Concordia amicitiæ, conc. min. Nequitiæ, nego min. & conſ. Pro quo Ang. Mag. ad 2. aſſerit: *Concordia dœmonum, qua quidam alijs obediunt, non eſt amicitia, quam inter ſe habeant, ſed ex cōmuni nequitia, qua homines odiunt, & Dei iuſtitiæ repugnant. Eſt enim proprium hominum impiorum, vt eis ſe adiungant, & ſubjiciant ad propriam nequitiam exequendam, quos potentiores viribus vident.*

13 Cont. In dœmonibus non eſt ſubiectio, nec obedientia fundata in concordia nequitiæ: ergo. Prob. ant. Si foret in eis, pertineret ad culpam, vel pœnam eorum; ſed in dœmonibus non eſt ſubiectio, nec obedientia pertinens ad culpam, nec pœnam eorum: ergo. Prob. min. Si hæc foret in eis, dœmones ſuperiores, qui magis peccaverunt, eſſent ſubiecti, & obedientes inferioribus; ſed non ſunt: ergo. Min. conſtat: cum ſubiectio, & obedientia debeat eſſe iuxta naturam eorum. Prob. mai. Cum peccatum eorum ſit maius, correſpondet ei maior pœna; & non poſſunt ſubjici, niſi inferioribus: ergo. Ant. patet: cum ipſi ſuperiores ſint. Reſp. diſt. ant. Vt ſuperioribus, conc. ant. vt inferioribus, nego ant. & conſ. Peccatum vtique dœmonum ſuperiorum fuit maius, eique correſpondet maior pœna. Veruntamen hæc in illis non eſt obedientia, nec ſubiectio alijs, cum ſit inferiorum pœna; ſed prælatio, & præſidentia malorum; quæ eſt maior pœna, quàm talis ſubiectio, cum ſit miſeria maxima.

14 Cont. Talis prælatio non poteſt eſſe maior pœna: ergo. Prob.

Prob. ant. Illud, in quo eſt aliquod bonum, nulli poteſt eſſe maior pœna; ſed in tali prælatione eſt aliquod bonum: ergo. Prob. min. Præeſſe alijs eſt aliquod bonum; ſed in tali prælatione eſt præeſſe alijs: ergo. Reſp. diſt. maior. In bonis, conc. mai. In malis, nego mai. & diſt. min. In malis, conc. min. In bonis, nego min. & conſ. Pro qua diſtinctione, & antecedente, Ang. Doct. ad 3. dicit: *Quod autem ſuperioribus inferiores ſubdantur, non eſt ad bonum ſuperiorum, ſed magis ad malum eorum. Quia cum mala facere maximè ad miſeriam pertineat, præeſſe in malis eſt eſſe magis miſerum.*

15 Arg. 3. cont. 3. Illuminatio propriè accepta eſt manifeſtatio veritatis; ſed vnus dœmon poteſt manifeſtare veritatem alteri: ergo poteſt illuminare propriè illum. Min. patet: nam ſuperior viget maiori acumine ſcientię naturalis, quàm inferior: & veritatem, quam propterea cognoſcit, poteſt manifeſtare inferiori. Reſp. diſt. mai. Manifeſtatio locutiva, nego mai. Illuminativa, conc. mai. & diſt. minor. Manifeſtare locutivè, conc. min. Illuminativè, nego min. & conſ.

16 Cont. Dœmon poteſt manifeſtare locutivè veritatem alteri, & propterea eſt propriè in eo locutio: ergo etiam illuminativè, & erit illuminatio. Probat. conſ. Sicut illuminatio eſt manifeſtatio veritatis, ita locutio conceptus; ſed: ergo. Reſpond. nego conſ. Rationem præbet Angelicus Mag. art. 3. dicens: *Illuminatio propriè eſt manifeſtatio veritatis, ſecundum quod habet ordinem ad Deum, qui illuminat omnem intellectum. Alia autem manifeſtatio veritatis poteſt eſſe locutio. Sicut cum vnus Angelus alteri ſuum conceptum manifeſtat. Perverſitas autem dœmonum hoc habet, quod vnus alium non intendit ordinare ad Deum, ſed magis ab ordine divino abducere: & ideò vnus dœmon alium non illuminat, ſed vnus alij ſuum conceptum per modum locutionis intimare poteſt.*

17 Cont. Sufficit, quod vnus dœmon excedat in lumini naturali alium, vt illuminet illum, licèt non in ordine ad Deum: ergo. Prob. ant. Corpus excedens in lumine aliud, illuminat illud, licèt non ordinet ipſum: ergo. Ant. patet in ſole: qui illuminat Lunam, quam ita non ordinat: nam incapax eſt talis ordinationis, cum ratione careat. Reſp. diſt. ant. Illuminatione materiali, & naturali, conc. ant. Intellectiva, nego ant. & conſ. Illuminatio materialis eſt productio lucis materialis in aliquo. Intellectiva eſt manifeſtatio veritatis, modo prædicto. Illa enim eſt in corpore, ſine ordine ad Deum: quia materialis, & naturalis eſt.

Hæc autem nequit eſſe, ſine tali ordine; vt dictum eſt. Cumquè illuminatio Angelorum ſit intellectiva: ideô nequit ita eſſe. Nec in dœmonibus, nec in Angelis eſt neceſſaria illuminatio de pertinentibus ad cognitionem naturalem: nam à principio ſuæ conditionis cognoverunt omnia pertinentia ad illam.

18 Arg.4.cont.concluſ. Angeli boni non ſunt prælati malorum: ergo non habent prælationem ſuper malos. Prob.ant. Angeli illuminant eos, quorum ſunt prælati; ſed Angeli boni non illuminant malos:ergo. Prob min. Angeli boni non illuminant tenebras; ſed Angeli mali dicuntur tenebræ: ergo. Reſp.diſt. maior. Angeli boni ex parte ſui, nego mai. Ex parte tenebrarum,conc. mai.& min.& ita diſt.conſ. Sancti enim Angeli multa de myſterijs divinis revelant malis, cum divina iuſtitia exigit, vt per dœmones fiant aliqua, vel ad punitionem malorum, vel ad exercitationem bonorum. Sicut Aſſeſſores iudicij humani revelant tortoribus eius ſententiam. Et licèt hæ revelationes,ex parte dœmonum,non ſint illuminationes: quia non ordinant illas in Deum, ſed ad expletione propriæ iniquitatis; ſunt tamen ex parte bonorum Angelorum, eas in Deum ordinantium. Cumque hoc ſufficiat, vt ſint eorum prælati: ideò ſunt. Ita Divus Thomas art. 4. ad 1.

19 Cont. Angeli boni, nec ex parte ſui illuminant, vt prælati malos: ergo. Prob.ant. Si vt prælati ita illuminarent malos, mala per iſtos facta pertinerent ad negligentiam bonorum; ſed non pertinent: ergo. Prob mai. Mala facta per ſubditos, pertinent ad negligentiam prælati, eos illuminantis: ergo.Reſp.diſt. ant.Illuminantis contra ordinem divinæ ſapientiæ, conc.ant. Iuxta, nego ant.& conſ. Aug.Mag. ad 2. ait: *Sancti Angeli ſunt miniſtri divinæ ſapientiæ. Vnde ſicut divina ſapientia permittit aliqua mala fieri per malos Angelos, vel homines, propter bona, quæ ex eis elicit: ita & boni Angeli non totaliter cohibent malos à nocendo.* Cumque propter hoc, mala non pertineant ad Deum: ideò nec pertinent ad Angelos bonos.

20 Arg.5.Si Angeli boni eſſent prælati malorum, haberent prælationem ſuper omnes malos; ſed non habent prælationem ſuper omnes: ergo. Prob.min. Prælatio Angelorum ſequitur ordinem naturæ; ſed aliqui Angeli boni ſunt in natura inferiores aliquibus malis:ergo.Min.patet: Nam cum cecidiſſent Angeli de omnibus Ordinibus, mali, qui ceciderunt Ordinis ſuperioris,

ſunt

ſunt in natura ſuperiores Angelis bonis Ordinis inferioris. Reſp. diſt.mai. Contra ordinem iuſtitiæ divinæ,nego mai. Iuxta,conc. mai.& min.& nego conſ. Pro quo Ang.Mag.ad 3.ait: *Angelus, qui eſt inferior ordine naturæ,præeſt dæmonibus, quamvis ſuperioribus ordine naturæ: quia virtus divinæ iuſtitiæ,cui inhærent boni Angeli,potior eſt, quàm virtus naturalis Angelorum. Vnde & apud homines ſpiritualis iudicat omnia*, vt dicitur 1. ad Cor.4. *Et Philoſophus dicit in lib.Ethic. quod virtuoſus eſt regula, & menſura omnium humanorum actuum.*

## QUÆSTIO QVARTA.

### *DE PRÆSIDENTIA Angelorum.*

IN hac quæſtione agemus de Præſidentia, Miſsione, & Cuſtodia Angelorum;atque de Impugnatione dæmonum. Sic comprehendentes quinque vltimas quæſtiones Angel.Doct.

### ARTICULVS I.

#### *VTRVM NATVRA CORporalis adminiſtretur per Angelos.*

1 PHILOSOPHI diverſimodè ſunt locuti de ſubſtantijs immaterialibus,vt refert Div.Thomas quæſt. 110. artic.1. ad 3. Plato exiſtimavit: Eſſe rationes, & ſpecies corporum ſenſibilium; & ex illis quaſdam eſſe vniverſaliores alijs. Et ideò poſſuit:habere præſidentiam immediatam circa omnia corpora ſenſibilia.Ariſtoteles iam cognovit: Eſſe aliquid altius, & vniverſalius. Et propterea eis attribuit præſidentiam immediatam ſuper agentia vniverſalia, quæ ſunt corpora cœleſtia;non ſuper inferiora, & ſingula. Doctores Sancti tenent: Omnes, & ſingulas creaturas corporales gubernari, & adminiſtrari immediatè per ſubſtantias ſpirituales, quæ ſunt Angeli, habentes præſidentiam immediatam ſupra ſingulas.

2 Concluſio: Omnis creatura corporalis adminiſtratur per Angelos. Ita Ang.Doct.art.1.Et refert S.Aug. aſſerentem: *Omnia corpora reguntur per ſpiritum.* Et D.Gregor.dicentem: *In hoc mundo viſibili nihil niſi per creaturam inviſibilem diſponi poteſt.* Et ne,ſine fundamento, interpretaretur de anima rationali, adducit iterum M. P. Aug. ſic loquentem: *Vnaquæque res viſibilis in hoc mundo habet angelicam Poteſtatem ſibi præpoſitam.*

3 Prob.concluſ.ratione Divi Thomæ: Omnis poteſtas particularis gubernatur, & regitur à po-

poteſtate vniverſali;ſed poteſtas, ſive virtus cuiuslibet creaturæ eſt particularis, & poteſtas Angelorum vniverſalis: ergo. Mai. patet in poteſtate balivi, quæ propterea gubernatur à poteſtate Regis. Prob.min. Omnis forma, & natura creata corporalis eſt individuata per materiam, & determinata ad hic,& nunc.Formæ autem immateriales, quales ſunt Angeli, ſunt abſolutæ, & intelligibiles; ſed poteſtas formæ ita determinatæ eſt particularis, cum ſit etiam determinata; & poteſtas formæ ſic abſolutæ eſt vniverſalis, cum non ſit ita determinata,ſed magis ſe extendat: ergo.

4 Illuſtratur: Angeli ſuperiores gubernant, & regunt inferiores, quibus præſident: nam cum habeant ſcientiam vniverſaliorem, illuminant illos:& cum ſint formæ vniverſaliores, ſive habeant formam, aut ſpeciem intelligibilem vniverſaliorem, poteſtas eorum eſt vniverſalior; & poteſtas inferioris eſt minus vniverſalis; ſed omnes Angeli in his excedunt magis creaturas corporales: ergo omnes, & ſingulas gubernant, regunt, & adminiſtrant: ac perinde habent præſidentiam ſuper eas. Propter hoc autem,natura corporalis non obedit Angelis ad nutum in tranſmutatione formali, ſive in receptione formæ, ita vt pro libito Angelorum recipiat formã, aut fiat forma in ea,ſive compoſitum.Sic Ang.Mag.art.2.citans M.P.Aug.dicentem: *Non eſt putandum iſtis tranſgreſſoribus Angelis ad nutum ſervire hanc viſibilium rerum materiam, ſed ſoli Deo.*

5 Probat deinde ratione: Talis tranſmutatio fit virtute illius, quod habet ſimilitudinem cum compoſito producto, aut quod continet ipſum quantum ad materiam, & formam; ſed Angeli non habẽt ſimilitudinem cum compoſito producto, nec continent ipſum quantum ad materiam, & formam: ergo.Minorem explicat in igne producto: cui ſolùm eſt ſimilis alius ignis generans, & ipſum quoad materiam, & formam ſolus Deus continet, qui in virtute continet cuncta. Vnde concludit Divus Thomas: *Sic igitur omnis informatio materiæ, vel eſt à Deo immediatè,vel ab aliquo agente corporali, non autem immediatè ab Angelo.* Præterea: Tranſmutatio ſubſtantialis, & formalis materiæ corporalis ſolùm eſt à generante, & creante compoſitum corporeum; ſed generans ſolùm eſt aliud compoſitum corporeum, & ſolus Deus eſt creans: ergo ab illis,& non ab Angelo poteſt eſſe.

6 In art. 3. reſolvit Angel. Mag. Quod natura corporalis obe-

obedit Angelis in motu locali. Fundat hoc ex D. Aug. aſſerente: Quod Angeli adhibent ſemina corporalia ad aliquos effectus producendos; ſed hoc non poſſunt facere, niſi localiter movendo: ergo. Prob. ratione ipſius: Natura inferior attingitur in ſui ſupremo à natura ſuperiori, eique obedit in illo; ſed motus localis eſt ſupremus inter motus naturæ corporalis, quæ eſt inferior reſpectu naturæ angelicæ: ergo in motu locali attingitur ab Angelis, & obedit illis. Mai. etiam eſt S. Dioniſij dicentis: *Divina ſapientia coniungit fines primorum principijs ſecundorum.* Prob. min. Motus perfectior eſt ſupremus; ſed inter omnes motus naturæ corporalis localis eſt perfectior: ergo. Min. docetur ab Ariſt. 2. Phiſ. Cuius rationem inſinuat Div. Thomas: Quia mobile ſecundùm locum nõ eſt in potentia ad aliquid intrinſecum, in quantum huiuſmodi, ſed ſolum ad aliquid extrinſecum, ſcilicet ad locum. Nunc ita concludit: *Et ideò natura corporalis nata eſt moveri immediatè à natura ſpirituali ſecundum locum.*

7 Inquires: Vtrum Angeli poſsint facere miracula? Reſp. Ang. Mag. art. 4. Quod non poſſunt propria virtute. Quod fundat in illo Pſ. dicto de Deo: *Qui facit mirabilia magna ſolus.* Et probat ratione: Miraculum eſt, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ; ſed Angeli non poſſunt propria virtute facere aliquid, præter ordinem totius naturæ creatæ: ergo. Mai. eſt certa: Quia non ſufficit ad miraculum, quod fiat præter ordinem alicuius naturæ particularis creatæ. Quare aſcenſus lapidis non eſt miraculum, etſi à projiciente fiat, præter ordinem naturæ lapidis. Minor. conſtat: Nam quod Angeli propria virtute faciunt, fit ſecundùm ordinem naturæ angelicæ. Vnde concludit S. Doctor: *Relinquitur quod ſolus Deus miracula facere poſſit.* Quod intelligitur propria virtute, & vt cauſa principalis: nam vt inſtrumentalis, & virtute Dei, poſſunt Angeli, & homines Sancti illa facere; vt docet ad 1.

8 Arg. 1. Natura corporalis non gubernatur per Angelos: ergo nec adminiſtratur. Prob. ant. Quæ habent determinatum modum operandi, non gubernantur in operando per aliud; ſed natura corporalis habet determinatum modum operandi: ergo. Mai. patet: Nam gubernatio ab alio eſt, ne aliter operetur, quã oporteat. Quod nequit in illis evenire: cum ſolùm poſsint operari determinato modo. Prob. minor. Natura corporalis ex natura ſibi divinitus data habet determinatas actiones: ergo. Reſ. diſt. ant. Actiones ex motione ſuperioris;

conc.min. Sine illa, nego min. & ita diſt.conſ. Natura enim corporalis habet determinatum modum operandi, & determinatas actiones. Has tamen non exercet, niſi vt mota à ſuperiori: nam proprium eſt corporis agere, vt motum. Cumquè talis motio fiat à natura ſpirituali, quam Angeli habent: ideò Angeli gubernant, & adminiſtrant eam. Sic Ang. Mag. ad 1.

9 Cont. Licèt natura corporalis habeat actiones determinatas ex motione ſuperiori, non tamen omnis natura corporalis ex motione Angeli: ergo non gubernant, nec adminiſtrant omnem, ſed aliquam. Prob.ant. Inferiora moventur per ſuperiora; ſed inter naturas corporales ſunt aliquæ ſuperiores, ex quarum motione inferiores exerceant actiones determinatas: ergo. Minor.patet: Nam corpora cœleſtia ſunt ſuperiora ſublunaribus. Reſp.diſt.min. Actiones naturales, conc.min. Alias, nego min. & conſ. Ang.Doctor vtitur hac diſtinctione ad 2. & loquens de actionibus naturalibus inferiorum, ait: *Ad quas ſufficiebat motus corporum cœleſtium. Sed quia nos ponimus multa in corporibus inferioribus fieri, præter naturales actiones corporum, ad quæ non ſufficiunt virtutes cœleſtium corporum: ideò ſecundum nos neceſſe eſt ponere, quod Angeli habeant immediatam præſidentiam, non ſolùm ſupra cœleſtia corpora, ſed etiam ſupra corpora inferiora.*

10 Cont. Angeli non movent omnem naturã corporalem circa aliquas actiones: ergo. Probat. ant. Si illam moverent, haberent tot officia, quot ſunt ſpecies naturæ corporalis; ſed non habent tot officia: ergo. Prob. min. Si haberent tot officia, tot eſſent Ordines Angelorum, quot ſpecies naturæ corporalis; ſed non ſunt tot: ergo. Min. eſt certa, cum ſint novem, & ſpecies plurimæ. Prob. mai. Ordines Angelorum diſtinguuntur ſecundum diverſa officia: ergo. Reſp. diſt.ant. Officia generalia, conc.ant. Particularia, nego ant.& conſ. Pro quo Ang. Mag.ad 3. inquit: *Nec tamen propter hoc ſequitur, quod ſint plures Ordines Angelorum, quàm novem: quia Ordines diſtinguuntur ſecundum generalia officia. Vnde ſicut ſecundum Greg. ad Ordinem Poteſtatum pertinent omnes Angeli, qui habent propriè præſidentiam ſuper dæmones: ita ad Ordinem Virtutum pertinere videntur omnes Angeli, qui habent præſidentiam ſuper res corporeas.*

11 Arg.2. Angelus poteſt trãſmutare formaliter materiam corporalem: ergo hæc obedit Angelis in tali tranſmutatione. Prob. antec. Anima rationalis poteſt

traſmutare formaliter materiam corporalem: ergo. Ant. patet: Nam ex apprehenſione animæ rationalis corpus hominis tranſmutatur ad calorem, & frigus; & quandoque vſque ad ægritudinem, ſanitatem, & mortem. Prob. conſeq. Maior eſt virtus Angeli, quàm animæ rationalis; ſed: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio aſsignatur à D. Thoma art. 2. ad 1. dicente: *Quod anima noſtra vnitur corpori vt forma. Et ſic non eſt mirum, ſi formaliter tranſmutetur ex conceptione ipſius: præſertim cum motus ſenſitivi appetitus, qui fit cum quadam traſmutatione corporali, ſubdatur imperio rationis. Angelus autē nō ſic ſe habet ad corpora naturalia.*

12 Cont. Licèt Angelus non ſe habeat vt forma materiæ corporalis, poteſt tranſmutare formaliter illam: ergo. Prob. antec. Unum corpus non ſe habet vt forma materiæ corporalis alterius; ſed poteſt tranſmutare formaliter illam: ergo. Min. conſtat, ſiquidē ignis generans tranſmutat formaliter materiam ignis geniti. Prob. conſ. Quod poteſt virtus inferior, poteſt ſuperior; ſed virtus Angeli eſt ſuperior virtute corporis: ergo. Reſp. diſt. mai. Poteſt eodem modo ſuperior, nego mai. Excellentiori, conc. mai. & min. & nego conſeq. Quare Ang. Præcept. ad 2. aſſerit: *Quod poteſt virtus inferior, poteſt ſuperior, non eodem, ſed excellentiori modo. Sicut intellectus cognoſcit ſenſibilia excellentiori modo, quàm ſenſus. Et ſic Angelus excellentiori modo tranſmutat materiam corporalem, quàm agentia corporalia, ſcilicet movendo ipſa agentia corporalia tanquam cauſa ſuperior.*

13 Cont. Etſi Angelus ſit cauſa ſuperior, & potens excellentiori modo, quàm agens corporeum, poteſt tranſmutare formaliter materiam corporalem: ergo. Probat. ant. Deus eſt cauſa ſuperior, & potens perfectiori modo etiam quàm Angelus; ſed Deus poteſt tranſmutare formaliter materiā corporalem: ergo. Reſp. nego cōſ. Diſcrimen aſsignatur in corp. à D. Thoma: Quia totum compoſitum corporeum eſt, & continetur in virtute Dei, quantum ad materiam, & formam: cum virtus Dei ſit infinita, & contentiva omnium. Non verò in virtute Angeli, quæ finita eſt.

14 Arg. 3. Angeli non poſſunt cauſare in corporibus naturalibus motum localem: ergo non obediunt Angelis in motu locali. Prob. ant. Motus localis corporum naturalium ſequitur formas eorum; ſed Angeli non poſſunt cauſare formam corporum naturalium: ergo. Reſp. diſt. mai. Omnis motus localis, nego mai. Aliquis, conc. mai. & min. & ita diſt. conſ. Aliquis namque motus

localis ſequitur formam corporum naturalium, præcipuè qui eſt proprietas eorum: vt motus ſurſū corporis levis, & motus deorſum gravis. Præterea ſunt aliqui motus locales, qui non ſunt proprietates, nec ita ſequuntur formas illorum: ſicut fluxus, & refluxus maris non conſequitur formam ſubſtantialem aquę, ſed virtutem lunæ. Hi, & ſimiles poſſunt cauſari ab Angelis; vt ait Ang. Mag art. 3. ad 1. Et cum hoc ſufficiat, vt corpora obediant Angelis in motu locali: ideò obediunt eis.

15 Cont. Angeli nec poſſunt cauſare aliquem motum localem corporum naturaliū: ergo. Prob. antec. Non poſſunt cauſare alios motus corporum naturalium: ergo. Ant. conſtat: Cum non poſſint cauſare tranſmutationē formalem materiæ. Prob. conſ. Qui non poteſt cauſare alios motus, non poteſt cauſare primum; ſed Ariſt. 8. Phiſ. docet: quod motus localis eſt primus: ergo. Reſp. diſt. mai. Qui non poteſt cauſare omni modo, nego mai. Aliquo modo, conc. mai. & min. & ita diſt. con eq. Pro quo ſufficiat referre Ang. Doct. ad 2 aſſerentem: *Angeli cauſando motum localem tanquam priorem, per eum cauſare poſſunt alios motus, adhibendo ſcilicet agentia corporalia ad huiuſmodi effectus producendos, ſicut faber adhibet ignem ad demolitionem ferri.* Vnde licèt Angeli non cauſent tranſmutationē formalem materiæ, efficiendo ipſam, vt dictum eſt; cauſat applicativè illam: nam cum applicant ignem ligno, & loco, cauſantes talem motum localem ignis, concurrunt applicativè ad productionem ignis in ligno, & caloris in loco. In quo ſenſu docet Philoſophus: Quod motus localis eſt primus omnium.

16 Cont. Angeli nec poſſunt ita cauſare alios motus, nec localem in corporibus naturalibus: ergo. Prob. ant. Nec ita poſſunt cauſare alios motus, nec localem in his, quæ non vivificant; ſed Angeli non vivificant corpora naturalia: ergo. Prob. mai. Anima rationalis nec ita poteſt cauſare motus in eis, quæ non vivificat: ergo. Prob. conſ. Sicut Angelus eſt ſuperior corporibus, ita anima rationalis; ſed: ergo. Reſp. Nego conſ. Ratio eſt D. Thomæ aſſerentis: *Angeli habent virtutem minus contractam, quàm anima. Vnde virtus motiva animæ contrahitur ad corpus vnitum, quod per eam vivificatur, quo mediante alia poteſt movere. Sed virtus Angeli non eſt contracta ad aliquod corpus. Vnde poteſt corpora non coniuncta localiter movere.*

17 Arg. 4. Virtus angelicæ ſunt Angeli; ſed poſſunt facere miracula; ergo etiam Angeli. Prob.

Prob.min.ex S. Gregor. dicente: *Virtutes vocantur illi ſpiritus, per quos ſigna, & miracula frequentius fiunt*: ergo. Reſp.admitto, & explico auth.dicendo: Senſum eſſe, quod per Virtutes, & Angelos fiunt; non virtute propria, nec principaliter; ſed virtute Dei, & miniſterialiter, quatenus Deus interceſsione, & miniſterio eorum facit miracula. Sicut Sancti homines etiam ſic dicuntur miracula facere. Ita Divus Thomas art 4.ad 1.

18 Cont. Angeli poſſunt propria virtute facere miracula: ergo. Prob.ant. Opus præter ordinem naturæ factum, eſt miraculum; ſed Angeli propria virtute poſſunt facere opus, præter ordinem naturæ: ergo. Reſp. diſt. mai. Totius naturæ, conc. mai. Alicuius, nego mai. & diſt. min. Alicuius, conc. minor. Totius nego min. & conſ. Solutio patet in Divo Thoma ad 4 ita aſſante: *Licet Angeli poſsint aliquid facere præter ordinem naturæ corporalis, non tamen poſſunt aliquid facere præter ordinem totius creaturæ: quod exigitur ad rationem miraculi.*

## ARTICULUS II.
### DE ACTIONE ANGELORUM in homines.

1 PRÆMITTO 1. Quod Angeli illuminant homines. Sic Ang. Præcept. quæſt. 111. art. 1. Hoc fundat cum S. Dion. aſſerente: *Revelationes divinorum perveniunt ad homines, mediantibus Angelis*; ſed huiuſmodi revelationes ſunt illuminationes: ergo. Probat deinde ratione: Ordo divinæ providentiæ requirit, vt inferiora ſubdantur ſuperioribus; ſed propterea Angeli inferiores illuminantur à ſuperioribus: ergo etiam homines, cum inferiores ſint, illuminantur ab Angelis. Advertit autem: Modum vtriuſque illuminationis fore diverſũ: nam Angelus illuminat Angelum inferiorem, proponendo ei veritatem diſtinctam, & particularizatam, iuxta ſuam capacitatem. Eam tamen non ſic proponit hominibus, ſed ſub ſimilitudinibus ſenſibilium: cum ſolùm ſic poſsint pro hoc ſtatu illam accipere.

2 Præmitto 2. Quod Angelus poteſt movere, & immutare imaginationem hominis. Ita Angel. Mag. ad 3. Quod probat hoc diſcurſu: Viſio imaginaria eſt motio; & immutatio imaginationis; ſed Angelus poteſt cauſare in homine viſionem imaginariam: ergo. Prob. min. Revelare aliquid homini in ſõnijs, eſt cauſare in homine viſionem imaginariam; ſed Angelus poteſt revelare aliquid homini in ſomnijs: ergo. Mai. eſt certa: nam quæ in ſomnis apparent, videntur viſio-

ne imaginaria. Min. conſtat ex illo Matth. 1. *Angelus Domini apparuit in ſomnijs ei, dicens: Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.*

3 Probat quoque ratione: Potens cauſare motum localem ſpirituum corporalium, poteſt movere, & immutare imaginationem hominis; ſed Angelus poteſt cauſare motum localem ſpirituum corporalium: ergo. Mai. patet: Nam apparitio, viſio imaginaria, & imaginatio interdum cauſatur in homine ex mutatione locali ſpirituum corporalium, & humorum, vt docet Ariſt. lib. de ſomno, & vigilia. Min. conſtat art. ant. Nam natura corporalis obedit Angelo in motu locali. Unde ſicut talia poſſunt ita evenire; ſic poſſunt fieri virtute Angeli. Et concludit Divus Thomas: *Quandoque quidem cum alienatione à corporeis ſenſibus, quandoque autem abſque tali alienatione.*

4 Præmitto 3. Quod Angelus poteſt immutare ſenſum hominis, ita Ang. Doct. art. 4. Quod ſtatuit ex eo, quod Angeli, qui ſubverterunt Sodomam, percuſſerunt Sodomitas cœcitate, vel auriſia, vt oſtium domus invenire non poſſent, vt dicit Gen. 19. Et 4. Reg. 6. dicitur, ſimile de Syris, quos Eliſęus duxit in Samariam. Prob. deinde ratione: Senſus hominis mutatur ab aliquo exteriori, & interiori; ſed Angelus poteſt vtroque modo immutare ſenſum hominis: ergo. Mai. eſt certa: Nam mutatur ab exteriori ſenſibili, & ab interiori perturbatione ſpirituum, & humorum. Min. patet, quia Angelus poteſt apponere ſenſui ſenſibile formatum à natura, vel de novo aliquod formatum, ſicut dum aſſumit corpus. Et poteſt interius commovere ſpiritus, & humores, ex quibus ſenſus immutentur.

5 Præmitto 4. Quod Angelus non poteſt movere efficaciter voluntatem hominis, cum non poſſit eam cogere, nec neceſſitare: nam ſemper remanet libera ad quamlibet operationem. Verumtamen poteſt movere illam per modum ſuadentis, vt cum perſuadet ei aliquod opus. Et per modum concitantis: concitando paſſiones concupiſcentiæ, aut iræ, ex quibus moveatur. His modis etiam vnus homo poteſt movere voluntatem alterius. Pręterea eſt motio intrinſeca effectiva, inclinans intrinſecè voluntatem ad operationem. Et extrinſeca, quæ cauſat apprehenſionem boni appetendi. Et eſt dubium de his.

6 Concluſio: Angelus non poteſt movere efficaciter intrinſecè, nec extrinſecè voluntatem hominis, ita Ang. Mag. art. 6.

Prob. 1. concluſio ratione Divi Thomę: Quod eſt proprium Dei; nequit convenire Angelo;ſed ita movere voluntatem hominis, eſt proprium Dei: ergo. Prob. min. ex illo Prov. 21. *Cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, vertet illud.* Et ex illo ad Philip. 2. *Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere*: ergo.

7 Prob. 2. Solum poteſt movere intrinſecè efficaciter voluntatem hominis ad operationem, vel obiectum, qui poteſt dare voluntati inclinationem: Et extrinſecè, qui poteſt eſſe cauſa, vt aliquid apprehēdatur vt bonum appetendum; ſed Angelus neutrum poteſt: ergo. Mai. patet quoad 1. part. cum motio, & motus voluntatis ſit inclinatio ipſius in rem volitam. Quoad 2. conſtat: Nam bonum, vt appetendum, movet ita appetitum voluntatis. Prob. min. quoad 1. part. Solùm poteſt dare talem inclinationem voluntati hominis, qui naturæ intellectuali hominis dedit virtutem talis inclinationis, ſive voluntatem potentem inclinari, ſed ſolus Deus dedit eam, & non Angelus: ergo. Mai. eſt D. Thomæ dicentis: *Sicut enim inclinatio naturalis non eſt, niſi à Deo, qui dat naturam, ita inclinatio voluntaria non eſt, niſi à Deo, qui cauſat voluntatem.*. Quoad 2. conſtat ex dictis: Nam Angelus non poteſt eſſe cauſa bonitatis, nec apprehenſionis obiecti.

8 Prob. 3. concluſ. ratione Divi Thomę 1. 2. q. 9. art. 6. Movens efficaciter intrinſecè, & effectivè voluntatem hominis, eam quaſi neceſsitans, vt eliciat operatiōnē, cauſat actum voluntarium illius; ſed Angelus non poteſt cauſare actum voluntarium volūtatis hominis: ergo. Prob. min. Solùm poteſt cauſare actum voluntarium voluntatis, quod eſt cauſa ipſius voluntatis; ſed Angelus non eſt cauſa voluntatis hominis: ergo. Prob. mai. Licèt aliquid, quod nō eſt cauſa naturæ, poſsit movere rem naturalem, non tamē poteſt cauſare motum naturalem illius, quin ſit cauſa naturæ: ergo. Ant. patet: Quare homo poteſt movere lapidem ſurſum; non verò cauſare motum naturalem lapidis, quia non eſt cauſa naturę lapidis. Vnde cauſatur à generante, qui eſt cauſa eius; vt docet D. Thomas cum Ariſt. 8. Phiſ.

9 Arg. 1. cont. 1. præmiſ. Homo illuminatur media fide: ſed Angelus non præbet homini fidem: ergo non illuminat hominem. Prob. min. Homo habet immediatè fidem à Deo: ergo. Prob. ant. ex illo Epheſ. 2. *Gratia eſtis ſalvati per fidem, & non ex vobis: Dei enim donum eſt*: ergo. Reſp. admitto, & explico auth. cum Ang. Mag. art. 1. ad 1. dicendo: Quod

fides ſumpta pro habitu,& aſſenſu eſt donum, & gratia Dei: ſicquè non eſt ab Angelo. Cum autem fides ſit ex auditu, requirit: quod credibilia proponantur intellectui,vt credat:& ſic fides hominis eſt abAngelo:cum per Angelos revelentur divina hominibus. Et cum hæc ſit illuminatio: ideò Angelus in rebus fidei etiam ſic illuminat hominem. Quin & Angeli illuminant homines de agendis,& non ſolùm de credendis.

10 Cont.Propoſitio,& revelatio veritatis credibilis ab homine eſt immediatè à Deo: ergo nec ſic eſt, nec illuminatur ab Angelo.Prob.ant.ex illo Rom.1. *Deus illis manifeſtavit.* Sup.quod ait Gloſſa:*Non ſolùm ratio naturalis ad hoc profuit,vt divina hominibus manifeſtarentur: ſed Deus illis revelavit per opus ſuum, ſcilicet,per creaturam;*ſed tam ratio naturalis, quam creatura eſt immediatè à Deo: ergo. Reſp.admitto, & explico auth. cum Ang.Mag.ad 2. ita affante: *Ratio naturalis,quæ eſt immediatè à Deo, poteſt per Angelum confortari: Et ſimiliter ex ſpeciebus à creaturis acceptis,tanto altior elicitur intelligibilis veritas, quātò intellectus humanus fuerit fortior. Et ſic per Angelum adiuvatur homo, vt ex creaturis perfectius in divinam cognitionem deveniat.*

11 Cont.Angelus nec ita illuminat hominē: ergo.Prob.ant. Angelus illuminat cognoſcentem ſe illuminari;ſed homo non cognoſcit ſe illuminari ab Angelo: ergo.Mai.patet: Nā illuminatus cognoſcit ſuam illuminationem. Min.conſtat: Siquidem non percipit, ſe illuminari ab Angelo. Reſp.diſt.mai.Illuminari ex parte rei manifeſtatę,côc.mai.Principij manifeſtantis, nego mai.& diſt.min. Ex parte principij manifeſtantis,conc.min. Rei manifeſtatę,nego min.& conſ.Pro quo Ang. Doct. ad 3. ita alloquitur: *Operatio intellectualis,& illuminatio dupliciter poſſunt conſiderari. Vno modo ex parte rei intellectæ:& ſic quicumque intelligit, vel illuminatur,cognoſcit ſe intelligere,vel illuminari: quia cognoſcit rem ſibi eſſe manifeſtam. Alio modo ex parte principij. Et ſic non quicumque intelligit aliquam veritatem, cognoſcit quid ſit intellectus, qui eſt principiū intellectualis operationis. Et ſimiliter non quicumque illuminatur ab Angelo, cognoſcit ſe ab Angelo illuminari.*

12 Arg.2.cont.2.Si Angelus poſſet immutare imaginationem hominis,phantaſia,quæ eſt actus virtutis imaginativæ, poſſet eſſe per immutationem Angeli; ſed non poteſt:ergo.Prob.min.Phantaſia eſt motus factus à ſenſu ſecundùm actum; ſed ſi eſſet per immutationem Angeli,non foret

motus factus á ſenſu ſecundùm actum:ergo.Mai.eſt Ariſt.in lib. de Anima.Reſp.diſt.mai.Originativè, conc.mai. Motivè, nego mai.& ſic diſt.min.nego conſeq. Phantaſia originativè ſumpta dicit principium ipſius, ſeu imaginationis. Motivè id, quod excitat,ſeu movet ipſam.Et licèt originativè,& ex parte principij ſit motus,ita factus à ſenſu:cum non poſsimus imaginari, niſi quod ſentimus,ſecũdum totum, vel ſecundum partem:quare cœcus natus non poteſt imaginari colorẽ. Sumpta verò motivè non ſic eſt: cum imaginativa poſsit excitari ex impreſsionibus interius conſervatis,antea à ſenſibili,& ſenſu acceptis.Cumque Angelus poſsit has excitare:nam poteſt commovere ſpiritus corporales,& humores,vnde motus phantaſiæ denuo conſurgat: ideò phantaſia poteſt ita eſſe per immutationem Angeli,qui poteſt ſic immutare imaginationem hominis. Ita Angel. Mag.art.3.ad 1.

13 Cont.Angelus nec poteſt immutare motivè virtutem imaginativam:ergo.Prob.ant.Angelus non poteſt imprimere formas in imaginativa : ergo. Antec.eſt certum:Cum formæ in imaginativa ſint ſpirituales,& nobiliores formis, quæ ſunt in materia ſenſibili, quas non poteſt Angelus imprimere. Conſ.patet:Nã imaginativa immutatur per tales formas.Reſp.diſt.ant Denuò imprimere, conc.ant. Nec excitare antea impreſſas, nego ant.& cõſ. Licèt enim Angelus non poſsit de novo imprimere ſpecies, ſive formas in imaginativa; poteſt excitare formas antea impreſſas, & acceptas à ſenſu: ſicque movere, & immutare imaginativam, & excitare imaginationẽ. Nam etſi non poſsit facere, quod cœcus à nativitate imaginetur colorem: cum nunquam acceperit à ſenſu ſpeciem,& formam coloris;in eo, qui diu vidit colorem,& non reſpicit illum præſentem,poteſt excitare ſpeciẽ coloris, medio motu locali ſpirituum,& humorum. Et cum hoc ſit immutare motivè imaginativam: ideò ſic immutat illam. Ita Ang.Doctor ad 2.

14 Cont. Angelus non immutat imaginativam, excitando ſpeciem, & formã antea impreſſam:ergo.Prob.ant. Si ita immutaret imaginativam, poſſet cauſare deceptionem in imaginatione hominis; ſed Angelus bonus nequit cauſare deceptionem: ergo.Prob.mai.Poſſet homo decipi in viſione imaginaria elicita ex tali excitatione ſpeciei:ergo.Antec.patet: Cum ea adhæreat ſimilitudinibus rerum, quaſi ipſis rebus:in quo poteſt eſſe decepti[o]. Reſp.diſt.ant.Homo defectu ſui, conc.ant. Angeli, nego antec.&

 conſ.

conſ. Pro quo Ang. Præcept. ad 4. ait: *Angelus cauſans aliquam imaginariam viſionem, quandoque quidē ſimul intellectum illuminat, vt cognoſcat quid per huiuſmodi ſimilitudines ſignificatur. Et tunc nulla eſt deceptio. Quandoque verò per operationem Angeli ſolummodo ſimilitudines rerum apparent in imaginatione. Nec tamē tunc cauſatur deceptio ab Angelo, ſed ex defectu intellectus eius, cui talia apparent. Sicut nec Chriſtus fuit cauſa deceptionis in hoc quod multis turbis in parabolis propoſuit, quod non expoſuit eis.*

15 Arg 3. cont. 3. Potens immutare ſenſum hominis, poteſt cauſare operationem ſenſitivam hominis; ſed Angelus non poteſt cauſare operationem ſenſitivam hominis: ergo. Prob. min. Operatio ſenſitiva hominis, eſt vitalis; ſed Angelus non poteſt cauſare operationem vitalem hominis: ergo. Prob. min. Operatio vitalis non poteſt cauſari à principio extrinſeco; ſed Angelus eſt quid extrinſecum reſpectu operationis vitalis hominis: ergo. Mai. patet: Cum ſit à principio intrinſeco, Reſp. diſt. mai. Cauſari commotivè, nego mai. Elicitivè, conc. mai. & min. & nego conſeq. Cum enim operatio vitalis ſit elicitivè à principio intrinſeco, ſolus homo poteſt elicere ſuam ſenſationem. Angelus tamen poteſt commovere ſpecies, formas ſenſitivas, & ſenſus, ex commotione ſpirituum corporalium, & humorū, atque ex mutatione locali ſenſibilis, quod poteſt apponere ſenſui. Et cum hoc ſit commovere, & immutare ſenſum: ideò ita immutat illum. Et ſimiliter ſuo modo poteſt commovere, & immutare operationem potentiæ nutritivæ, ſenſitivę, & cuiuſcumquè vtentis organo corporeo.

16 Cont. Angelus nec commotivè poteſt immutare operationem vitalem ſenſus: ergo. Prob. ant. Angelus non poteſt immutare ordinem naturæ; ſed iuxtà ordinem naturæ, ſenſus movetur à ſenſibili: ergo. Reſp. diſt. mai. Naturę communis, cōc. mai. Particularis, nego maior. & diſt. min. Particularis, conc. min. Communis, nego min. & conſeq. Pro quo Ang. Mag. ad 3. aſſerit: *Præter ordinem totius creaturæ Angelus facere non poteſt, ſed præter alicuius particularis naturæ facere poteſt, cum tali ordini non ſubdatur. Et ſic quodam ſingulari modo poteſt ſenſum immutare, præter modum communem.*

17 Arg. 4. cont. concluſ. ex illo Heb. 1. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.* Nunc Gloſſa cit. à D. Thoma art. 2. arg. 1. *Ignis ſunt dum ſpiritu fervent, & vitia noſtra vrunt;* ſed hoc eſt immutare voluntatem hominis: ergo. Reſp. diſt. minor.

Per-

Perſuaſivè, conc.min. Effectivè, & efficaciter, nego min. & conſ. Ita D. Thomas ad 1. dicens: *Angeli dicuntur vrere vitia, & inflammare ad virtutes per modum perſuaſionis.*

18 Cont. Angeli boni poſſunt immutare effectivè, & efficaciter voluntatem hominis: ergo. Prob. ant. Mittens, & incendens bonas cogitationes, poteſt immutare effectivè, & efficaciter volũtatem; ſed Angeli boni poſſunt mittere homini, & incendere in eo bonas cogitationes: ergo. Min. patet ex V. Beda relato ab Ang. Magiſt. arg. 2. & aſſerente: *Diabolus non eſt immiſſor ſolùm malarum cogitationum, ſed etiam incenſor.* Et ex S. Joan. Damaſc. ibi dicente: *Immundæ paſsiones ex dœmonibus excogitatæ ſunt, & immittere homini ſunt conceſſæ. Et pari ratione Angeli boni immittunt, & incendunt bonas cogitationes.*

19 Reſp. diſt. mai. Mittens cauſando interius, conc. mai. Perſuaſivè, & excitativè, nego mai. & diſt. min. Perſuaſivè, & excitativè, conc. min. Cauſando interius; nego min. & conſ. Angeli namque boni excitant hominem ad bonum; eique perſuadent bonas operationes: itaque dicuntur à Sanctis, immitere, & incendere bonas cogitationes; non verò eas interius cauſando. Cumque hoc requiratur, vt effectivè, & efficaciter immutent voluntatem hominis: ideò ſic non immutant eam. Ita Ang. Doct. ad 2. aſſerens: *Bonæ cogitationes attribuuntur altiori principio, ſcilicet Deo.* Nec pravę cogitationes ſunt, niſi perſuaſivè, & excitativè ab Angelis malis.

20 Cont. Angeli boni poſſunt mittere homini, & incendere bonas cogitationes, eas interius cauſando: ergo. Prob ant. Agens ſuperius poteſt ita cauſare aliquid in inferiori; ſed Angelus eſt agens ſuperius reſpectu hominis: ergo. Mai. patet in corporibus ſuperioribus: quæ propterea cauſant aliquid in inferioribus. Reſpond. diſt. mai. In inferiori habente aliquid cauſatum ab illo, conc. mai. Non habente, nego mai. & diſt min. Vt non cauſa voluntatis hominis, conc. minor. Vt cauſa, nego min & conſ. Pro quo Ang. Mag. loc. cit. 1. 2. ad 1. ait: *Angelus non ſic eſt ſupra hominem, quod ſit cauſa voluntatis eius, ſicut corpora cœleſtia ſunt cauſa formarum naturalium, ad quas conſequuntur motus corporum naturalium.*

21 Cont. Angelus cauſat aliquid in voluntate hominis: ergo. Prob ant. Angelus poteſt reducere voluntatē hominis in actum: ergo. Prob. antec. Angelus poteſt reducere intellectum hominis in actum: ergo. Ant. patet: Cum poſſit illuminare illum. Prob. conſ.

Actus voluntatis ſequitur actum intellectus; ſed: ergo. Reſp. diſt. min. Reducere ex parte obiecti, conc. min. Subiecti, nego min. & ita diſt. conſ. Solutio eſt D. Thomæ loc. cit. ad 2. aſſerentis: *Intellectus hominis movetur ab Angelo ex parte obiecti, quod ſibi proponitur virtute Angelici luminis ad cognoſcendum: & ſic etiam voluntas ab exteriori creatura poteſt moveri.*

## ARTICVLVS III.

### *DE MISSIONE ANGElorum.*

1 SUPPONO: Quod Angeli mittuntur in miniſterium. Ita Angel. Mag quæſt. 112. artic. 1. Quod fundat in illo Exodi 23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te.* Probat deinde ratione: ille dicitur mitti ab aliquo, qui aliquomodo procedit ab illo, vt incipiat eſſe vbi non erat, vel per alium modum vbi prius erat; ſed Angeli procedunt vt effectus à Deo, ex cuius imperio incipiũt eſſe vbi non erant, vel modo, quo non erant, vt corporalis creatura adminiſtretur per ipſos: ergo. Mai. eſt expreſſa D. Thomæ. Minorem ſic declarat: Nam cum Angelus ſit agens particulare, non eſt in toto vniverſo, ſed in aliquo ſpatio vniverſi; eiuſque virtus ita attingit vnum, quod non attingat aliud: itaquè eſt hic, quod non ſit alibi. Vnde cum Deus per Angelos adminiſtret creaturas corporales, cum circa aliquam aliquid eſt faciendum per aliquem Angelum, eum de novo applicat circa illam, & ſic incipit eſſe in ea; quod eſt mitti in miniſterium. Nunc ait: *Actio, quam Angelus miſſus exercet, procedit à Deo, ſicut à primo principio, cuius nutu, & authoritate Angeli operantur: & in Deum reducitur ſicut in vltimum finem. Et hoc facit ratione miniſterij: nam miniſter eſt ſicut inſtrumentũ intellectus. Inſtrumentum autem ab alio movetur, & eius actio ad aliud ordinatur.*

2 Dubium eſt: An omnes Angeli mittantur? Pro quo Ang. Doct. art. 2. ait: *Neque alicui debet eſſe dubium, quin Deus immediatè hominibus aliqua revelare poſſet, non mediantibus Angelis, & ſuperiores Angeli non mediantibus inferioribus: Hoc habet ordo divinæ providentiæ non ſolùm in Angelis, ſed etiam in toto vniverſo, quod inferiora per ſuperiora adminiſtrantur. Sed ab hoc ordine in rebus corporalibus aliquando ex divina diſpenſatione receditur propter altiorem ordinem, ſecundum ſcilicet, quod expedit ad gratiæ manifeſtationem. Quod enim cœcus natus fuit illuminatus, quod Lazarus fuit ſuſcitatus, immediatè à Deo factum eſt, abſque aliqua actione*

cœ-

*cœleſtium corporum. Sed & Angeli boni, & mali poſſunt aliquid in iſtis corporibus operari, præter actionem cœleſtium corporum, condenſando nubes in pluvias, & aliqua huiuſmodi faciendo. Secundùm hanc conſiderationem quidam dixerunt: quod ſecundùm communem legem ſuperiores non mittuntur, ſed inferiores tantum. Sed ex aliqua diſpenſatione diuina interdum etiam ſuperiores mittuntur: ſed hoc non videtur rationabile.*

3 Concluſio: Angeli inferiores, & non ſuperiores mittuntur à Deo in miniſterium. Sic Ang. Mag. art. 2. Eam fūdat cum D. Greg. aſſerente ex S. Dioniſio: *Superiora Agmina vſum exterioris miniſterij nequaquam habent*; ſed mittuntur Angeli habentes vſum miniſterij, qui ſignificantur per Agmina: ergo.

4 Prob. concluſ. ratione Diui Thomæ: Si Angeli ſuperiores aliquando mitterentur, foret ex diſpenſatione diuina; ſed nec ex hac mittuntur: ergo. Maior eſt certa: Nam iuxtà legem communem mittuntur inferiores. Prob. min. Lex communis, aut ordo aliquis creaturarum, prætermittitur ex diſpenſatione diuina, dum eſt alius ordo ſuperior, propter quem prætermittatur; ſed ordo angelicus non habet alium ordinem ſuperiorem, propter quem prætermittatur: ergo. Mai. patet: Ideoque poteſt prætermitti ordo naturæ, propter ordinem gratiæ. Prob. min. Ordo angelicus attenditur ſecundum dona gratiæ; ſed ordo gratiæ non habet ordinem ſuperiorem, propter quem prætermittatur: ergo.

5 Confirmatur: Ordo naturæ prætermittitur in operatione miraculorum, propter confirmationem fidei; ſed prætermiſsio ordinis angelici non conduceret ad confirmationem fidei: ergo. Prob. min. Quod à nobis percipi non poteſt, non conducit ad confirmationem fidei; ſed prætermiſsio ordinis angelici non poſſet percipi à nobis: ergo. Mai. patet: Nam quod confirmat fidem, percipitur à nobis. Minor cōſtat: Quid enim perciperemus, ſi Deus mitteret Angelum ſuperiorem, & non inferiorem? Præterea: Nam Angel. Magiſt. ait: *Nihil enim eſt ita magnum in miniſterijs diuinis, quod per inferiores Ordines exerceri non poſsit. Vnde Greg. dicit quod qui ſumma annuntiant, Archangeli vocantur. Hinc eſt, quod ad Virginem Mariam Gabriel Archangelus mittitur. Quod tamen fuit ſummum inter omnia diuina myſteria, vt ibidem ſubditur. Et ideò ſimpliciter dicendum eſt cum Dion. quod ſuperiores Angeli nunquam ad exterius miniſterium mittuntur.*

6 Ex quo ſequitur: Quod Seraphim, Cherubim, Throni, &

Dominationes nunquam mittũtur, ſed reliqui Ordines. Ita Divus Thomas art.4. In eo, quod non mittantur tres Ordines primæ Hierarchiæ nullam inſinuat difficultatem. Sicut nec in miſſione trium Ordinum tertiæ. Imò nec in miſsione duorum Ordinum ſecundæ. Movet autem ſpecialem de miſsione Dominationum, qui eſt Ordo primus illius. Veruntamen reſolvit, quod non mittuntur. Refert S.Dioniſium aſſerentem: *Dominationes ſunt maiores omni ſubiectione*; ſed mitti in miniſterium, pertinet ad ſubiectionem: ergo. Præbet omnium rationem: Illi Angeli mittuntur in miniſterium, qui ex imperio divino operantur circa creaturas corporales; ſed Angeli quinque Ordinum inferiorum operantur, & non Angeli quatuor ſuperiorum: ergo. Prob.min. Illi ſic operantur, qui ita exequuntur miniſterium divinum; ſed ſolùm Angeli quinque Ordinum inferiorum exequuntur illud: ergo. Mai. eſt certa: Nam executio prædicta eſt operatio aſsignata. Prob.minor: Proprietates Angelorum manifeſtantur ex nominibus eorum; ſed ſolis nominibus Angelorum quinque Ordinum inferiorum manifeſtatur executio miniſterij divini: ergo. Mai.eſt Angel. Doct. cum S.Dion. Prob.min. Angeli denominantur à nuntiando minima: Archangeli à nuntiando maxima. Principatus à prioritate inter alios operantes, & exequentes. Virtutes, & Poteſtates per reſpectum ad aliquem actum; vt dictum manet; ſed Angeli aliorum Ordinum ſuperiorum non denominãtur ab aliqua executione: ergo. Min.eſt certa quantum ad Ordines primæ Hierarchiæ. Prob.quantum Dominationes ex Ang. Doct. aſſerente: *In nomine autem Dominationum non importatur aliqua executio, ſed ſola diſpoſitio, & imperium de exequendis:* ergo.

7 Reſtat nunc dubium: Qui Angeli Deo aſsiſtant? Pro deciſſione refert Ang.Doct.illud Job: *Nunquid eſt numerus militum eius?* Et S.Greg.ſup. hunc loc.aſſerentem: *Aſsiſtunt illæ Poteſtates, quæ ad quædam hominibus nuntianda non exeunt.* Nunc D.Thomas: *Ergo illi, qui in miniſterium mittuntur, non aſsiſtunt.* Et in corp.ait: *Angeli introducuntur aſsiſtentes, & admirantes ad ſimilitudinem eorum, qui alicui Regi famulantur. Quorum aliqui ſemper ei aſsiſtunt, & eius præcepta immediatè audiunt. Alij verò ſunt, ad quos præcepta regalia per aſsiſtentes nuntiantur, ſicut illi, qui adminiſtrationi Civitatum præficiuntur, & hi dicuntur miniſtrantes, & non aſsiſtentes.* Superaddit autem: *Conſiderandum eſt ergo, quod omnes Angeli divinam eſſentiam imme-*

*mediatè vident. Et quantum ad hoc omnes etiam qui miniſtrant, aſsiſtere dicũtur. Vnde Greg. dicit in 2. Mor. quod ſemper aſsiſtere, aut videre faciem Patris poſſunt, qui ad miniſterium exterius mittuntur pro noſtra ſalute. Sed non omnes Angeli ſecreta divinorum myſteriorum in ipſa claritate divinæ eſſentiæ percipere poſſunt, ſed ſoli ſuperiores, per quos inferioribus denuntiantur. Et ſecundum hoc ſolùm ſuperiores, qui ſunt primæ Hierarchiæ, aſsiſtere dicuntur, cuius proprium dicit Dion. eſſe immediatè à Deo illuminari.*

8 Arg. 1. cont. ſup. Miſsio cuiuslibet eſt ad aliquem locum determinatum; ſed Angeli non poſſunt mitti ad aliquem locum determinatum: ergo. Prob. min. Angeli ſolùm poſſent mitti ad ſuas operationes exercendas; ſed non poſſunt mitti ad illas exercendas ad locum determinatum: ergo. Prob. min. Angeli per ſuas operationes non poſſunt determinare ſibi locum: ergo. Prob. ant. Operationes Angeli ſunt intellectuales; ſed hæ non poſſunt determinare ſibi locum: ergo. Min. patet: Nam intellectus abſtrahit ab hic, & nunc; à loco, & tempore.

9 Reſp. diſt. mai. Intellectuales purè ſpeculativæ ſolùm, nego mai. Speculativæ, aut practicæ, conc. mai. & diſt. min. Purè ſpeculativè, conc. min. Practicæ, nego min. & conſ. Duplex eſt operatio intellectualis. Speculativa, quæ eſt ſola contemplatio obiecti. Et practica, quia ab intellectu eſt regulata; & imperata: aut quia eſt coniuncta voluntati liberæ. Illa non determinat ſibi locum: cum conſiſtat in intellectu, & præſcindat ab omni loco, & tempore. Hæc autem poteſt ſibi determinare locum: cum Angelus ea operetur vbi, & quomodo velit, & vt Deus ordinat, & imperat. Et cum hoc ſufficiat, vt Angeli determinent ſibi locum: ideò illum determinant, & mittuntur ad locum determinatum. Sic Angel. Mag. artic. 1. ad 1.

10 Cont. Operatio intellectualis practica repugnat Angelis: ergo. Prob. ant. Talis operatio intellectualis practica foret occupatio exterior eorum; ſed exterior occupatio repugnat Angelis: ergo. Mai. eſt certa: Nam ea occuparentur in miniſterio exteriori creaturarum. Prob. min. Operatio impediens contemplationem ſapientiæ, repugnat Angelis; ſed exterior occupatio Angelorum impediret contemplationem ſapientiæ: ergo. Mai. patet: Cum minuat eorum beatitudinem, quæ conſiſtit in contemplatione ſapientiæ, ſive Dei. Prob. min. ex illo Eccleſ. 38. *Qui minoratur actu, ſapientiam percipiet:*

ergo. Reſp. admitto, & explico Sac. Textum qui loquitur de hominibus, non de Angelis. Interpretationem, & diſcrimen præbet Ang. Doctor ad 3. aſſerens: *In nobis exterior occupatio puritatem contemplationis impedit: quia actioni inſiſtimus ſecundum ſenſitiuas virtutes, quarum actiones cum intenduntur, retardantur actiones intellectiuæ virtutis. Sed Angelus per ſolam intellectualem operationem regulat ſuas actiones exteriores. Vnde actiones exteriores in nullo impediunt eius contemplationem: quia duarum actionum, quarum vna eſt regula, & ratio alterius, vna non impedit, ſed iuvat aliam. Vnde Greg. dicit in 2 Mor. Quod Angeli non ſic foris exeunt, vt internæ contemplationis gaudijs priuentur.*

11 Arg. 2. Mitti in miniſterium creaturarum eſt contra dignitatem Angelorum: ergo. Prob. ant. Cœlum Empyreum eſt locus pertinens ad dignitatem Angelorum; ſed mitti in miniſterium creaturarum eſt, relinquere Cœlum Empyreum: ergo. Min. patet: Cum ſit deſcendere in terram, in qua exercent tale miniſterium. Reſp. diſt. mai. Pertinens titulo dignitatis, nego mai. Congruitatis, conc. mai. & min. & nego conſeq. Licèt congruum ſit, quod Cœlum Empyreum, quia ſupremum corporum, ſit locus Angelorum, quorum natura eſt excellentior corporibus; non tamen accipiunt aliquid dignitatis ab illo. Quare dum aliquando relinquunt Cœlum, pro miniſterio exercendo in terra, nihil dignitatis ab eis ſubtrahitur. Sicut nec Regi, cum actu non ſedet in Solio Regio; quod eius dignitati congruit. Cumquè hoc non ſit contra dignitatem Angelorum: ideò ſic mitti non eſt contra illam. Ita Ang. Mag. ad 2.

12 Cont. Licèt propterea, relinquere ad tempus Cœlum, non ſit contra dignitatem Angelorum, eſt contra illam relinquere illud, vt veniant in miniſterium noſtrum: ergo. Prob. antec. Eſt contra illam miniſtrare nobis: ergo. Prob. ant. Miniſtrare eſt inferioris; ſed eſt contra illam, quod Angeli fiant inferiores reſpectu noſtri: ergo. Probat. mai. ex illo Lucæ 2. *Quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui recumbit?* ergo. Reſp. admitto, & explico Sac. Textum. Cuius ſenſus eſt: Quod miniſter, & miniſtrans eſt minor principali, cui primariò miniſtrat; non alijs, quibus ſecundariò, & ex ordinatione principalis diſpenſat beneficia; vt faciunt Angeli reſpectu noſtri, ex ordine Dei, cui, vt principali, miniſtrant primariò. Conſtat expoſitio ex contextu: *Ego autem in medio veſtrum ſum,*

*ſicut qui miniſtrat*, dixit Jeſus in Cœna diſcipulis ſuis; & tamen non erat inferior illis, quibus tali modo miniſtrabat. Quare Angel. Doct. ad 4. ait: *Angeli in ſuis actionibus exterioribus miniſtrant principaliter Deo, & ſecundariò nobis: non quia nos ſumus ſuperiores eis, ſimpliciter loquendo, ſed quilibet homo, vel Angelus in quantum adhærendo Deo fit vnus ſpiritus cum Deo, & ſuperior omni creatura. Vnde Apoſtolus ad Epheſ. dicit: Superiores ſibi invicem arbitrantes.*

13 Arg. 3. cont. concluſ. Apoſtolus ad Heb. 1. ait: *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi*: ergo omnes Angeli mittuntur. Reſp. admitto, & explico auth. cum D. Thoma art. 2. ad 1. ita aſſante: *Sicut in miſſionibus divinarum Perſonarum aliqua eſt viſibilis, quæ attenditur ſecundùm creaturam corpoream: aliqua inviſibilis, quæ fit ſecundùm ſpiritualem effectum: ita in miſſionibus Angelorum aliqua dicitur exterior, quæ ſcilicet eſt ad aliquod miniſterium circa corporalia exhibendum. Et ſecundùm hanc miſſionem non omnes mittuntur. Alia eſt interior ſecundùm intellectuales effectus, prout ſcilicet vnus Angelus illuminat aliũ. Et ſic omnes Angeli mittuntur.*

14 Et lect. 6. objiciens ſibi illud Daniel. 7. *Millia millium miniſtrabant ei*; refert S. Greg. aſſerentem: *Aliqui miniſtrant: alij ſunt qui aſſiſtunt.* Et infert: Non ergo omnes miniſtrant. Reſpondet: *Sicut videmus in artificibus, quod duplex eſt genus artificum. Quidam enim ſunt quaſi manu exequentes, vt manu artifices. Alij autem non exequuntur, nec operantur manu, ſed ſunt artifices diſponentes, & quaſi præcipientes quid agendum ſit: ita & in Angelis eſt: quia quidam ſunt quaſi exequentes, quidam verò quaſi præceptores, præcipientes ea, quæ agenda ſunt. Accipiendo ergo largo modo adminiſtrationes tàm pro exequentibus, quàm etiam pro imperantibus, ſic omnes ſunt adminiſtratores, vel adminiſtratorij. Sed ſi dicantur adminiſtratorij, quia exequuntur; alij autem quia immediatè accipiunt à Deo aſſiſtentes: ſic quidam miniſtrant, quidam aſſiſtunt, & tradunt alijs.*

15 Cont. Ex Sac. Textu conſtat: quod omnes Angeli ſunt exequentes: ergo & ita miſſi. Prob. ant. ex Angel. Doct. ita in eius expoſitione proſequente: *Sed contra hoc eſt, quia hic tangitur executio officij, cum dicit: In miniſterium miſſi: ergo videtur per hoc, quod omnes exequuntur.* Reſp. admitto, & explico inſtantiam cum ipſo, ſic continuante: *Duplex eſt miſſio. Vna, quæ motum localem importat: & ſic mittuntur ſolum inferiores. Alia eſt miſſio, quæ fit per applicationem, & directionem novi effectus in creatura: Et ſic mittuntur*

*Filius, & Spiritus Sanctus: & hoc modo mittuntur ſuperiores, quia virtus eorum immittitur in inferiores immittenda alijs.*

16 Cont. Angeli ſuperiores etiam mittuntur miſsione locali, vt exequentes miniſterium: ergo. Prob ant. Seraphim eſt ſuperior inter omnes; ſed mittitur miſſione locali, vt exequens miniſterium: ergo. Prob. min. ex illo Iſa. 6. *Et volavit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum*; ſed hæc denotant miſsionem localem, & executionem miniſterij erga Prophetam: ergo. Reſp. admitto, & explico Sacrum locum cum Angel. Mag. ad 2. aſſerente: *Dicendum ſecundum Dion. quod ille Angelus, qui miſſus eſt ad purgandum labia Prophetæ, fuit de inferioribus Angelis. Sed dictus eſt Seraphim, id eſt incendens, æquivocè, propter hoc, quod venerat ad incendendũ labia Prophetæ. Vel dicendum, quod ſuperiores Angeli communicant propria dona, à quibus denominantur, mediantibus inferioribus Angelis. Sic igitur vnus de Seraphim dictus eſt purgaſſe incendio labia Prophetæ: non quia hoc ipſe immediatè fecerit, ſed quia inferior Angelus virtute eius hoc fecit. Sicut Papa dicitur abſolvere aliquẽ, etiam ſi per alium officium abſolutionis impendat.*

17 Arg. 4. Angeli miniſtrantes mittuntur; ſed Dominationes ſunt Angeli miniſtrantes: ergo. Prob. min. Angeli ſunt aſsiſtentes, vel miniſtrantes; ſed dominationes non ſunt aſsiſtentes: ergo. Reſp. diſt. mai. Miniſtrantes ſemper executivè, nego mai. Executivè, vel diſpoſitivè, conc. mai. & min. & diſt. conſeq. Miniſtrantes diſpoſitivè, conc. conſ. Executivè, nego conſ. Solutio patet ex Ang. Doct. artic. 4. ad 1. dicente: *Dominationes computantur quidem inter Angelos miniſtrantes: non ſicut exequentes miniſterium, ſed ſicut diſponentes, & mandantes quid per alios fieri debeat. Sicut architectores in artificijs nihil manu operantur: ſed ſolùm diſponunt, & præcipiunt quid alij debeant operari.*

18 Cont. Dominationes ſunt Angeli miniſtrantes executivè: ergo. Prob. ant. ex S. Greg. 17. Moral. aſſerente: *Plures ſunt qui miniſtrant, quàm qui aſsiſtunt*; ſed ita non eſſet, ſi dominationes non eſſent miniſtrantes executivè: ergo. Reſp. admitto, & explico auth. de pluralitate Ordinum; non Angelorum: nam quinque Ordines miniſtrant executivè; & vnus, qui eſt dominationum, diſpoſitivè: cum tres ſolùm ſint aſsiſtentes, qui ſunt Ordines primæ Hierarchiæ. Ita Divus Thomas ad 2. & addit: *De numero aſsiſtentium, & miniſtran-*

*rium duplex ratio haberi poteſt. Gregorius enim dicit, plures eſſe miniſtrantes, quàm aſsiſtentes: intelligit enim quod dicitur,* Millia millium miniſtrabant ei, *non eſſe dictum multiplicatiuè, ſed participatiuè: ac ſi diceretur, millia de numero millium: & ſic miniſtrantium numerus ponitur indefinitus ad ſignificandum exceſſum: aſsiſtentium verò numerus finalis cum ſubditur: Et decies millies centena millia aſsiſtebant ei: Et hoc procedit ſecundùm rationem Platonicorum, qui dicebant: quod quanto aliqua ſunt vni primo principio propinquiora, tanto ſunt minoris multitudinis. Sicut quanto numerus eſt propinquior vnitati, tanto eſt multitudine minor. Et hæc opinio ſaluatur quantum ad numerum Ordinum, dum ſex miniſtrant, & tres aſsiſtunt.*

19 Proſequitur autem Diuus Thomas: *Dioniſius ponit: quod multitudo Angelorum tranſcendit omnem materialem multitudinem, vt ſcilicet ſicut corpora ſuperiora tranſcendunt corpora inferiora magnitudine quaſi in immenſum, ita ſuperiores naturæ incorporeæ tranſcendunt omnes naturas corporeas, quia quod eſt melius, eſt magis à Deo intentum, & multiplicatum. Et ſecundùm hoc, cum aſsiſtentes ſint ſuperiores miniſtrantibus, plures erunt aſsiſtentes, quàm miniſtrantes. Vnde ſecundùm hoc,* Millia millium *legitur multiplicatiuè, ac ſi diceretur,* Millies millia. *Et quia decies centum ſunt mille, ſi diceretur* decies centena millia, *daretur intelligi, quod tot eſſent aſsiſtentes, quot miniſtrantes: ſed quia dicitur,* decies millies centena millia, *multò plures dicuntur aſsiſtentes, quam miniſtrantes. Nec tamen hoc pro tanto dicitur, quia tantus ſolùm ſit Angelorum numerus, ſed multo maior: quia omnem multitudinem materialem excedit. Quod ſignificatur per multiplicationem maximorum numerorum ſupra ſe ipſos, ſcilicet denarij, centenarij, millenarij, vt Dion. ibidem dicit.*

20 Arg. 5. Angeli miſsi ſunt etiam aſsiſtentes: ergo non ſoli ſuperiores aſsiſtunt. Prob antec. ex D. Greg. citato ab Ang. Doct. art. 3. arg. 1. aſſerente: *Mittuntur igitur Angeli, & aſsiſtunt: quia etiam circunſcriptus eſt angelicus Spiritus. Summus tamen Spiritus, qui Deus eſt, circunſcriptus non eſt:* ergo. Reſp. admitto, & explico auth. cum D. Thoma, dicendo: quod Angeli miſsi, etiam aſsiſtunt Deo, ipſum videndo. Non quia ipſi immediatè à Deo diuina myſteria percipiant, vt alijs tradant. Similiter exponit Sanct. Doctor illud Tobiæ 12. *Ego ſum Raphael Angelus, vnus ex ſeptem qui aſtamus ante Deum.* Cum tamen ipſe miſſus fuerit in miniſterium iuuenis.

21 Cont. Angeli miſsi ſunt

aſsiſtentes Deo, alio modo, quam per viſionem ipſius: ergo. Prob. ant. Angeli miſsi, cum ſint boni, ſunt Deo propinquiores, quam Satan; ſed Satan eſt aſsiſtens Deo, alio modo: ergo. Prob. min. ex illo Job 1. *Cum veniſſent Filij Dei vt aſsiſterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan*: ergo. Reſp. admitto, & explico Sacr. Textum cum Angel. Mag. ad 3. dicente: *Satan non dicitur aſtitiſſe, ſed inter aſsiſtentes affuiſſe deſcribitur: quia vt Greg. dicit 2. Mor. etſi beatitudinem perdidit, naturam tamen Angelis ſimilem non amiſsit.*

22 Cont. Angeli boni miſsi dicuntur verè aſsiſtentes, etſi non accipiant immediatè à Deo illuminationes, ſed ab alijs Angelis ſuperioribus: ergo. Prob antec. Quilibet Angelus, ſupremo excepto, recipit illuminationes à ſuperiore; ſed multi Angeli, prȩter ſupremum, ſunt verè aſsiſtentes: ergo. Reſp. diſt. mai. Illuminationes de omnibus, nego mai. De aliquibus myſterijs, conc. mai. & min. & nego conſeq. Pro quo Ang. Doctor ad 4. ait: *Omnes aſsiſtentes aliqua immediatè vident in claritate divinæ eſſentiæ, & ideò totius primæ Hierarchiæ proprium eſſe dicitur, immediatè illuminari à Deo. Sed ſuperiores eorum plura percipiunt, quàm inferiores, de quibus illuminant alios. Sicut etiam inter eos, qui aſsiſtunt Regi, plura ſcit de ſecretis Regis vnus, quàm alius.* Vide B. Alb. quæſt. 34.

## ARTICULUS IV.

### *DE CVSTODIA ANGELORUM.*

1 PRÆMITTO 1. Quod Angeli boni cuſtodiunt homines. Ita Ang. Mag. quæſt. 113. art. 1. Quod fundat in illo Pſal. *Angelis ſuis mandavit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Hinc Eccleſia canit: *Cuſtodes hominum pſallimus Angelos.* Probat hac ratione: Iuxta ordinem divinæ providentiæ mobilia, & variabilia moventur, & regulantur per immobilia, & invariabilia; ſed homines ſunt mobiles, & variabiles in cognitione, & affectu circa bona agenda: ergo debent moveri, regulari, & cuſtodiri, iuxtà talem ordinem, per Angelos bonos, ita immobiles, & invariabiles. Mai. patet: Et ideò corpora inferiora moventur, & regulantur per ſuperiora; & omnia corpora per ſubſtantias ſpirituales, & immobiles. Et nos ipſi circa ea, in quibus poteſt diverſimodè opinari, regulamur per principia, quæ invariabiliter tenemus. Min. conſtat: Nam propterea poſſunt à bono deficere. Conſ. eſt optima. Et concludit

Ang.

Ang. Doctor: *Et ideò neceſſarium fuit, quod hominibus Angeli ad cuſtodiam deputarentur, per quos regularentur, & moverentur ad bonum.*

2 Præmitto 2. Quòd ſinguli homines à ſingulis Angelis cuſtodiuntur. Ita Ang. Mag. art. 2. dicens: *S. Hieronymus exponens illud Mat. Angeli eorum in Cœlis, dicit: Magna eſt dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui, Angelum delegatum.* Probat quoque ratione: Providentia Dei comparatur ad ſingulos homines, ſicut ad ſingula genera, vel ſpecies rerum corruptibilium; ſed ſecundùm Div. Greg. diverſi Ordines Angelorũ deputantur diverſis rerum generibus; & probabile eſt, quod ſingulis ſpeciebus rerum corruptibilium diverſi Angeli eiuſdem Ordinis præficiantur: ergo rationabile eſt, vt diverſis hominibus diverſi Angeli deputentur ad cuſtodiam. Mai. eſt certa: Nam providentia Dei principaliter eſt circa perpetuò permanẽtia. Circa tranſeuntia autem eſt, in quãtum ea ordinat ad perpetua. Cum igitur corruptibilia ſolùm ſint permanentia ſecundùm genus, & ſpeciem; & ſinguli homines ſint incorruptibiles, & permanentes quantum ad proprias formas ſingulorum, quę ſunt animæ rationales: ideò providentia ita comparatur ad illos. Conſeq. patet: Nam cuſtodia Angelorum eſt executio providentiæ divinæ circa homines.

3 Præmitto 3. Quod omnibus puris hominibus deputantur Angeli ad cuſtodiam. Sic Divus Thomas art. 4. Probat hac ratione: Gubernator, & proviſor prudens præbet cuſtodes hominibus viatoribus, per viam non tutam ambulantibus; ſed omnes, & ſinguli puri homines, dum ſunt in mundo, ſunt viatores, per viam non tutam ambulantes: ergo Deus præbet eis Angelos cuſtodes. Min. fundat in illo Pſal. *In via hac, qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi.* Conſ. patet ex Ang. Doct. aſſerente: *Cuilibet homini quandiu viator eſt, Cuſtos Angelus deputatur. Quando autem iam ad terminum viæ pervenerit, iam non habet Angelum cuſtodem; ſed habebit in regno Angelum conregnantem, in inferno dæmonem punientem.* Docet autem artic. 3. Quòd in Pſalmo cuſtodia hominum attribuitur Angelis, quorum Ordo eſt infimus: *quorum eſt minima nuntiare,* vt ait S. Greg. Et addit S. Thomas: *Hoc autem videtur eſſe minimum in officijs Angelorum, procurare ea, quæ ad vnius hominis ſalutem pertinent. Alia verò eſt cuſtodia vniverſalis: & hæc multiplicatur ſecundum diverſos Ordines. Nam quantò agens fuerit vniverſalius, tantò eſt ſuperius. Sic igitur cuſtodia humanæ*

mul-

*multitudinis pertinet ad Ordinem Principatuum, vel fortè ad Archangelos, qui dicuntur Principes Angelorum. Vnde & Michael, quem Archangelum dicimus, vnus de Principibus dicitur Dan.10. Vlterius autem ſuper omnes naturas corporeas habent cuſtodiam Virtutes. Et vlterius etiam ſuper dæmones habent cuſtodiam Poteſtates. Et vlterius ſuper bonos Spiritus habent cuſtodiã Principatus, vel Dominationes ſecundum Greg.*

4 Difficultas ſpecialis eſt: Ex quo tempore Angelus cuſtodiat hominem? Reſpondet Ang. Mag. art. 5. *Sicut Orig. dicit ſuper Matth. Super hoc eſt duplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod Angelus ad cuſtodiam homini deputatur à tempore baptiſmi. Alij verò, quod à tempore natiuitatis: Et hanc opinionem Hieronymus approbat. Et rationabiliter.* In hoc conveniunt Commentatores D. Thomæ. Supereſt autem dubium: An intelligatur de nativitate hominis in vtero matris, cum anima infunditur corpori, & formatur homo: an extra vterum, cum in lucem prodit? Emin. Caiet. M. Gonet, Ferre, & alij conveniunt in eo: quod Angelus in prima formatione hominis cuſtodit illum. Verumtamen dum exiſtit in vtero cuſtoditur ab Angelo cuſtode matris: & dum exit ex vtero, quæ eſt propria nativitas illius, incipit cuſtodiri ab ſpeciali Angelo, ipſi deputato.

5 Concluſio: Angelus cuſtos matris cuſtodit hominem, à prima productione eius, dum exiſtit in vtero illius. Angelus autem ſpecialis, & proprius ei deputatus, cuſtodit illum ab eius nativitate, & exiſtentia extra vterum. Hæc videtur conformis Divi Hieron. & Ang. Mag. & Sanct. Vincent. Ferr. Serm. 2. Dom. 1. poſt Trin. Eam tenet Mag. Fr. Joan Hernando Regens, & Prior Bilbilitani Conventus S. Petri Martyris ſup. Eccleſiaſtem cap. 5. verſ. 7. num. 10. Prob. concluſ. ratione Divi Thomæ: Licèt beneficia exhibita homini, vt Chriſtiano, incipiant à tempore baptiſmi: exhibita ei, vt homini, & vt habenti animam rationalem, incipiunt à tempore, quo fit homo, & habet animam rationalem; ſed eſt homo, & habet animam rationalem à prima ſui productione, quæ fit in vtero matris: ergo ex tunc Angelus ita cuſtodit illum. Mai. eſt certa: Nam baptiſmus eſt ianua Sacramentorum, & beneficiorum, quæ exhibentur Chriſtiano. Exhibita autem homini, vt homini, ſunt omnibus hominibus communia, & exhibentur ſingulis, ex quo homines ſunt. Min. conſtat: cum cuſtodia hominum, quantum ad eſſe naturale, pertineat ad pro-

videntiam naturalem. Quæ, & reliqua concluſionis, patent ex Angelico Doctore a l 3. aſſerente: *Puer quandiu eſt in materno vtero, non totaliter eſt à matre ſeparatus, ſed per quandam colligationem eſt quodammodo adhuc aliquid eius: ſicut & fructus in arbore eſt aliquid arboris. Et ideò probabiliter dici poteſt, quod Angelus, qui eſt in cuſtodia matris, cuſtodiat prolem in matris vtero exiſtentem. Sed in natiuitate, quando ſeparatur à matre, Angelus ei ad cuſtodiam deputatur, vt Hieronymus dicit.*

6 Et in 2. diſt. 11. quæſt. 1. art. 3. confirmat præcipuam reſolutionem ſic: Prouidentia, cuius executio eſt cuſtodia Angelorum, eſt propriè ad conferendum ea, quæ promouent in finem, & ad remouendum quę impediunt; ſed homo à prima ſui productione in vtero matris præparatur, & promouetur in finem, qui eſt ſalus animæ: ergo ex tunc cuſtoditur ab Angelo. Quare ita concludit Diu. Thomas: *Et ideò omnibus hominibus, ab infuſione animæ rationalis, per quam ad finem ſalutis ordinantur, cuſtodia debetur.* De his B. Alb. quæſt 36.

7 Arg. 1. cont. 1. præmiſ. Homo non indiget cuſtodia: ergo Angeli non cuſtodiunt homines. Prob. ant. Sciens, & potens cuſtodire ſe ipſum, non indiget cuſtodia; ſed homo eſt ſciens, & potens cuſtodire ſe ipſum: ergo. Prob. min. Præditus ſcientia legis naturalis, & libero arbitrio, eſt ſciens, & potens cuſtodire ſe ipſum; ſed homo eſt præditus ſcientia legis naturalis, & libero arbitrio: ergo. Reſp. diſt. mai. Eſt potens ſufficienter, nego maior. Aliqualiter, conc. mai. & minor. & ita diſt. conſ. Licèt homo præditus tali ſcientia, & libero arbitrio, poſsit aliqualiter ſe cuſtodire; non verò ſufficienter: nam etſi poſsit aliqualiter vitare malum, non poteſt ſufficienter: cum infirmetur circa affectum boni, propter multiplices paſsiones animæ: quia licèt ſcientia, & cognitio vniuerſalis legis naturalis dirigat aliqualiter hominem ad bonum, ſed non modo ſufficienti: ſiquidem in applicando vniuerſalia principia iuris ad particularia opera, contingit multipliciter deficere; vt ait D. Thomas art. 1. ad 1. Cum igitur impotens ſe ſufficienter cuſtodire, indigeat cuſtodia alterius: ideò homo indiget illa, & homines cuſtodiuntur ab Angelis.

8 Cont. Licèt propterea homo indigeat cuſtodia, hæc non eſt Angelorum: ergo. Prob. ant. Ubi adeſt fortior cuſtodia, infirmior ſuperfluere videtur; ſed talis cuſtodia eſt Dei, quæ eſt fortior: ergo. Prob. min. ex illo

Pſal.

Pſal.120. *Ecce non dormitabit, neque dormiet : qui cuſtodit Iſrael:* ergo. Reſp. admitto,& explico ſacrum text. cum Divo Thoma ad 2. aſſerente : *Deus cuſtodit hominem,ſicut vniverſalis inſtructor: cuius inſtructio ad homines pervenit, mediantibus Angelis.* Similiter exponitur illud Job 7. *Peccavi,quid faciam tibi ò cuſtos hominum.* Deus enim eſt cuſtos vniverſalis , & principalis hominis,vt etiam aſſerit Ang.Mag.in 2. diſt.11.q.1. art.ad 1.cuius miniſtri ſunt Angeli , qui ſunt ſpeciales cuſtodes hominum.

9 Cont. Angeli vt miniſtri cuſtodiunt homines: ergo. Prob. ant. Angeli nec vt miniſtri poſſunt dici negligentes ; ſed ſi vt miniſtri cuſtodirent homines, vt miniſtri poſſent dici negligentes : ergo. Prob. min. Perditio cuſtoditi redundat in negligentiam cuſtodis , præcipuè ſi iſte poſsit illi ſubvenire; ſed quotidie pereunt homines , in peccatum incidentes , quibus poſſunt Angeli ſubvenire: ergo. Mai. patet ex illo 3. Reg. 20. *Cuſtodi virum iſtum,qui ſi lapſus fuerit,erit anima tua pro anima eius.* Reſp.diſt.mai. Ex ipſius malitia, nego mai. Ex negligentia cuſtodis,conc.mai.& diſt.min.Ex eorum malitia,concedo min. Ex Angelorum negligentia , nego min. & conſ. Pro quo Ang. Mag. ad 3. aſſerit: *Sicut homines à naturali inſtinctu boni diſcedunt, propter paſsionem peccati, ita etiam diſcedunt ab inſtigatione bonorum Angelorum, quæ fit inviſibiliter per hoc quod homines illuminant ad benè agendum. Vnde quod homines pereunt, non eſt imputandum negligentiæ Angelorum, ſed malitiæ hominum.*

10 Arg.2.cont.2. Vnus Angelus ſufficit ad cuſtodiam multorum hominum: ergo. Prob.antec. Vnus homo ſufficit ad cuſtodiam multorum hominum : ergo. Prob. conſ. Angelus eſt virtuoſior , quàm homo; ſed : ergo. Reſp. nego conſ. Ratio aſsignatur ab Ang. Mag. art.2.ad 1.dicente: *Alicui homini adhibetur cuſtos dupliciter. Vno modo in quantum eſt homo ſingularis. Et ſic vni homini debetur vnus cuſtos : & interdum plures deputantur ad cuſtodiam vnius. Alio modo in quantum eſt pars alicuius Collegij. Et ſic toti Collegio vnus homo ad cuſtodiam præponitur , ad quem pertinet providere ea,quæ pertinent ad vnum hominem in ordine ad totum Collegium. Sicut ſunt ea, quæ exterius aguntur, de quibus alij ædificantur , vel ſcandalizantur. Angelorum autem cuſtodia deputatur hominibus etiam quantum ad inviſibilia , & occulta, quæ pertinent ad ſingulorum ſalutem ſecundum ſe ipſos. Vnde ſingulis hominibus ſinguli Angeli deputantur ad cuſtodiam.*

11 Deputantur quoque ſinguli Angeli ſingulis Regnis, Provincijs, Reipublicis, & Communitatibus cuſtodiendis, quæ appellatur à D. Thoma art. 3. *Cuſtodia humanæ multitudinis.* In quo Angelus excedit hominem. Angelus autem cuſtos communitatis eſt etiam cuſtos ſuperioris, & Præſidis ipſius; qui, vt homo particularis cuſtoditur à proprio Angelo cuſtode, & ratione officij à cuſtode communitatis. Quare Ang. D. i12. diſt. 11. q. 1. art. 2. ad 4. tribuit cuſtodiā Principū Angelo Principi; ſed art. 3. ait: *Cuſtodia humanæ multitudinis pertinet ad ordinē Principatuū, vel fortè ad Archāgelos, qui dicũtur Principes:* ergo.

12 Cont. Licèt cuſtodia Angelorum ſit circa ſalutem ſpiritualem hominum, vnus Angelus ſufficit ad cuſtodiam multorum: ergo. Prob. ant. Cuſtodia medici eſt circa ſalutem corporalem hominum: & cuſtodia miniſtri ſpiritualis circa ſpiritualem; ſed vnus medicus, & miniſter ſufficit ad cuſtodiam multorum: ergo. Reſp. nego conſ. Ratio eſt: quia neutra cuſtodia eſt perfecta, & aliquando nec ſufficiens, ſicut cuſtodia Angeli. Nec eſt circa interiora, & occulta, vt talia; vt eſt angelica: ſed circa illa, vt exterius manifeſtata.

13 Cont. Unus Angelus ſufficit pro tali cuſtodia perfecta multorum: ergo. Prob. ant. Non poſſunt conſtitui multi Angeli pro tali cuſtodia: ergo. Probat. ant. Cuſtodire vnum hominem non eſt maius officium, quàm cuſtodire alium; ſed non poſſunt conſtitui multi Angeli pro officio æquali: ergo. Min. patet: Nam vnus Angelus eſt maior alio, cum ſit perfectior, quia ſpecie diverſus: & maiores Angeli deputantur maioribus officijs. Prob. mai. Omnes homines ſunt æquales: ergo. Reſp. diſt. ant. In natura, conc. ant. In fine divinæ providentiæ, nego ant. & conſ. Pro quo Ang. Mag. ad 3. dicit: *Quamvis natura ſint pares, tamen inæqualitas in eis invenitur, ſecundùm quod ex divina providentia quidam ordinantur ad maius, & quidam ad minus: ſecundum illud quod dicitur Eccleſ. 33. In multitudine diſciplinæ Dominus ſeparavit eos, & immutavit vias eorum. Ex ipſis benedixit, & exaltavit: & ex ipſis ſanctificavit, & ad ſe applicavit: & ex ipſis maledixit, & humiliavit.* Et ſic maius officium eſt cuſtodire vnum hominem, quàm alium.

14 Arg. 3. cont. 3. Chriſtus Dominus eſt verè homo; ſed non eſt deputatus ei Angelus cuſtos: ergo non ſunt deputati Angeli cuſtodes omnibus hominibus. Mai. eſt de fide. Et conſtat ex illo Philip. 2. *Habitu inventus vt homo.* Min. eſt certa: Cum ſit maior

 om-

omnibus Angelis, & Dominus illorum. Reſp.diſt.maior. Homo ſolus, nego maior. Homo Deus, conc.mai.& min.& ita diſt.conſ. Licèt homo Deus non indigeat cuſtodia Angelorum, ea indiget purus homo. Cumque Chriſtus ſit homo Deus: ideò ipſi non eſt deputatus Angelus cuſtos, ſicut cœteris puris hominibus. Ita Ang. Mag. artic.4. ad 1.dicens: *Chriſtus ſecundùm quod homo immediatè regulabatur à Verbo Dei. Vnde non indigebat cuſtodia Angelorum. Et iterum ſecundùm animam erat comprehenſor. Et comprehenſor, & beatus non indiget cuſtodia Angelorum, ſed viator.*

15 Cont. Ang.Doct.ita proſequitur: *Ratione paſſibilitatis corporis erat viator*; ſed nec propterea eſt ei deputatus Angelus cuſtos: ergo nec debet deputari alijs viatoribus. Reſp.nego conſ. Rationem reddit Ang. Mag.dicens: *Et ſecundùm hoc non debebatur ei Angelus cuſtos tanquam ſuperior, ſed magis miniſter tanquam inferior. Vnde dicit Mat.4. Quod acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.* Ex quo conſtat: Quod Chriſtus, quia maior, & Dominus, habuit Angelos miniſtros; & non cuſtodes, ſicut homines. In 2.diſt. 11.quæſt.1. art. 3. proponit duas rationes dubitandi. Prima eſt: S.Dionifius ait de Chriſto: quod ſubdebatur paternis diſpoſitionibus, mediantibus Angelis; ſed cuſtodia Angelorum eſt executio divinæ diſpoſitionis, quæ fit ab hominibus, mediantibus Angelis: ergo. Secunda eſt: Lucæ 22. dicitur: *Apparuit Angelus confortans eum*; ſed confortare eſt vnus actus Angeli cuſtodis: ergo.

16 Reſp.Ang.Mag.ad 1.dicens: *Chriſtus non habuit Angelum cuſtodem. Tum, quia anima ſua omnibus Angelis ſuperior, fuit immediatè à Verbo ſibi vnito illuminata. Tum, quia erat verus comprehenſor. Vnde eius bonitas nec impediri, nec iuvari poterat. Dicitur verò ſubdi paternis diſpoſitionibus per Angelos, quodammodo indirectè, in quantum Angeli inſtruebant Joſeph, & Matrem eius de his, quæ circa ipſum puerum exiſtentem agenda erant, vt habetur Mat.2.* Ad 2.aſſerit: *Angelus dicitur confortaſſe eum, non aliquid in ipſum imprimendo, ſed per modum miniſterij, in quantum congratulabatur fortitudini eius: Sicut homo naturaliter in tribulatione confortatur ad præſentiam amicorum.*

17 Arg.4. Cuſtodia Angelorum eſt principaliter ordinata contra impedimentum ſalutis, quale eſt peccatum; ſed aliqui homines carent tali impedimento, nec poſſunt habere illud: ergo. Probat. min. Confirmati in gratia, & ſanctificati in vtero, vt Jeremias, & Baptiſta, caruerunt tali impedimento, nec po-

tue-

tuerunt habere illud: ergo. Reſp. diſt. conſeq. Impedimento boni, conc. conſeq. Profectus in bono, nego conſ. Ang. Doct. loc. cit. 2. Sent. ad 2. ſolvit difficultatem, dicens: *Etiamſi confirmati peccare non poſsint; poſſunt tamen proficere, & eorum profectus poteſt impediri: & propter hoc indigent cuſtodia Angelorum, ad promovendum in bonum, & removendum impedimentum.*

18 Nunc occurrit dubiolum: An Beatiſsima Virgo Maria, ab omni labe immunis, gratia plena, & virtutibus perfecta, digniſſima Mater Dei, habuerit Angelum cuſtodem? Noto cum Divo Thoma 3. part. quæſt. 30. artic. 2. ad 1. Quod B. Maria eſt ſuper omnes Ordines Angelorum. Et opuſc. 8. docet: quod exceſsit Angelos in tribus. In plenitudine gratiæ, familiaritate Dei, & puritate. Et B. Alb. Mag. lib. 4. de Laud. B. Mar cap. 4. num. 14. dicit de illa: *Non ſolùm exceſsit dignitatem omnium Sanctorum, ſed etiam dignitates omnium cœleſtium Virtutum. Superior eſt enim Angelis gloria: quia plus meruit, ſcilicet, quod Dei Filius aſſumeret ex ea naturam humanam, qui noluit aſſumere angelicam. Superior honore: quoniam eam Deus ſuper choros Angelorum collocavit: & ideò admirabilis eſt etiam ipſis Angelis.* Et Ang. Mag. 3. p. quæſt. 2. art. 11. ad 3. ait: *B. Virgo dicitur meruiſſe portare Dominum omnium: non quia meruit ipſum incarnari: ſed quia meruit ex gratia ſibi data illum puritatis, & ſanctitatis gradum, ut congruè poſſet eſſe Mater Dei.* Et 1. part. q. 25. art. 6 ad 4. *Ex hoc quod eſt Mater Dei, habet quandam dignitatē infinitam.*

19 Dicimus ergo: Quod B. Virgo Maria habuit Angelum cuſtodem. Videtur conforme menti Divi Thomæ. Et B. Alb. lib. 10. cap 10. num. 1. ait: *Beatam Virginem ambiebant diligenti cuſtodia, & obſequioſa reverentia, angelici ſpiritus.* Hoc tenent M. Gonet, Ferre, & alij. Prob. 1. ex illo Lucæ 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Virginem.* Sup. quod Ang. Doct. 3. part. quæſt. 30 art. 2. aſſerit: *Conveniens fuit Matri Dei annuntiari per Angelum divinæ Incarnationis myſterium, propter tria. Primo quidem, ut in hoc etiam ſervaretur divina ordinatio: ſecundùm quod mediantibus Angelis divina ad homines perveniunt. Unde Dion. dicit. 4. cap cœl hierar. quod divinum Jeſu benignitatis myſterium Angeli primò edocti ſunt: poſtea per ipſos ad nos cognitionis gratia tranſivit. Sic ergo diviniſsimus Gabriel Zachariam quidem docuit, Prophetam Joannem ex ipſo naſciturum: Mariam autem quomodo in ipſa fieret theandricum ineffabilis Dei formationis myſterium*; ſed Perſona, ad quam mediantibus Angelis divina perveniunt, habet Angelum cu-

cuſtodem; vt conſtat ex dictis ergo.

20 Roboratur ex Ang. Doct. ad 2. cum M.P. Aug. aſſerente: *B. Virgo Maria vera æſtimatione à quibuſdam generalibus excipitur: quia nec conceptus multiplicavit, nec ſub viri, id eſt mariti, poteſtate fuit, quæ integerrimus viſceribus de Spiritu Sancto Chriſtum ſuſcepit. Et ideò non debuit mediante viro inſtrui de myſterio Incarnationis, ſed mediante Angelo*; ſed Perſona inſtructa ab Angelo, & cuſtodita ab Angelo: ergo. Præterea: Licèt B. Virgo excipiatur ab alijs generalibus, non tamen ab illis, quæ per Angelos fiunt. Quare eſt inſtructa ab Angelo, ſalutata ab Angelo, & annuntiata ab Angelo; ſed cuſtodia hominum fit per Angelos: ergo. Vnde S. Bernard. Epiſt. 77. ait: *Et ipſam Virginem rogo, vnde probabitur ex nomine, vel ex facie ante cognitam Angelis, quod ipſa videlicet eſſet, quam Deus elegerit in Matrem ſibi, excepto dumtaxat Archangelo; cui & ſervanda ab initio tradita fuiſſe credenda eſt? Et infra: Excepto dumtaxat Archangelo Gabriele?*

21 Probatur ratione: Potens inſtrui ab Angelo, & proficere in bono, dum eſt viator, habet Angelum cuſtodem; ſed B. Virgo Maria poterat inſtrui ab Angelo, & proficere in bono, dum erat viatrix; ergo. Deinde; ille, cujus tentatio, etſi levis, repellitur ab Angelo, cuſtoditur ab Angelo; ſed omnis tentatio B. Virginis, etſi levis, repulſa eſt ab Angelo: ergo. Prob. min. ex B. Alb. lib. 10. cap. 10. qui ſup. illud Pſal. *Non timebis à timore nocturno*, ait: *Per miniſterium Angelorum ſic à Beata Virgine repulſa eſt omnis tentatio.* Et loquitur de levi, ſignificata per timorem nocturnum: nam Deus non permiſsit, ei fieri gravem.

22 Objicies: Superior non cuſtoditur ab inferiori; ſed Beata Virgo Maria eſt ſuperior omnibus Angelis: ergo. Reſp. diſt. mai. Superior quoad dignitatem, & ſtatum, conc. mai. Solù quoad dignitatem, nego mai. & diſt. min. Quoad dignitatem, conc. min. Quoad ſtatum, nego min. & conſ. Ang. Mag. loc. cit. 3. p. proponit ſimilem obiectionem de annuntiatione, revelatione, & inſtructione. Et ſimiliter reſpondet ad 1. inquiens: *Mater Dei ſuperior erat Angelis, quantum ad dignitatem, ad quam divinitus eligebatur: ſed quantum ad ſtatum præſentis vitæ, inferior erat Angelis. Quia & ipſe Chriſtus ratione paſſibilis vitæ, modico ab Angelis minoratus eſt, vt dicitur Heb. 2. Sed tamen quia Chriſtus ſimul fuit viator, & comprehenſor, quantum ad cognitionem divinorum non indigebat ab Angelis inſtrui. Sed Mater Dei*

non-

*nondum erat in ſtatu comprehenſorum, & ideò de divino conceptu per Angelos inſtruenda erat.*

23 Cont. Eo quod B. Virgo quoad dignitatem ſit ſuperior Angelis, etſi non quoad ſtatum, non debebat ſervari ordo communis, vt cuſtodiretur ab Angelo: ergo. Prob.ant. Non debebat ſervari communis ordo, vt inſtrueretur de divinis ab Angelo: ergo. Prob.antec. Non debebat ſervari communis ordo, vt inſtrueretur de divinis à viro: ergo. Prob.conſ. Sicut, iuxtà communem ordinem, divina revelantur hominibus per Angelos, ita deferuntur ad mulierem per virum, ſecundùm illud 1.Cor.14. *Mulieres in Eccleſijs taceant. Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent*; ſed: ergo. Reſp. Nego conſ. Ratio eſt: Quia vir eius, nempe B. Joſeph, nec quoad dignitatem, nec quoad ſtatum erat ſuperior B. Virgine, quę in tali lege fuit privilegiata, & excepta à poteſtate viri; non tamen à cuſtodia Angeli, qui erat ſuperior quoad ſtatum.

24 Inſurgit deſiderium ſciendi: Quis fuerit Angelus cuſtos B. Mariæ? Iuxtà dicta ex SS. Dioniſio, Bernardo, Thoma, & Alberto ſatis conſtat, fuiſſe B. Gabrielem Archangelum: nam hic nuntiavit, revelavit, & inſtruxit de myſterijs divinis B. Virginem, *cui & ſervanda ab initio tradita fuiſſe credenda eſt*, ait S. Bernard. De qua B. Alb. lib. 4. cap. 4. num. 14. dicit: *Superior revelatione: quia ſicut dicit Bernard. Dominus ſecretum ſuæ Incarnationis prius ipſi, quam alicui Angelorum revelavit, excepto dumtaxat Gabriele, qui vtique tantæ inter ſuos inveniri potuit excellentiæ, vt tali nomine dignus haberetur, & nuntio.* Intelligitur autem de ſecreto myſterij quoad modum; vt advertit S. Bernard. & D. Thomas ad 3. Non quoad ſubſtantiam: quomodo iam erat revelatum Angelis.

25 Objicies: Angelus cuſtos Perſonæ particularis pertinet ad infimum Ordinem Angelorum; ſed Gabriel non pertinet ad talem infimum Ordinem, ſed ad Ordinem ſuperiorem immediatum Archangelorum; vt docet Ang. Mag. loc. cit. 3. part. ad 4. ergo. Reſp. diſt. maior. Perſonæ excellentiſsimæ, nego mai. Privatæ, conc. mai. & min. & nego conſ. Pro quo D. Thomas ibidem ait: *Quidam dicunt Gabrielem fuiſſe de ſupremo Ordine Angelorum: propter quod Greg. dicit: Summum Angelorum venire dignum fuerat, qui ſummum omnium nuntiabat. Sed ex hoc non habetur quod fuerit ſummus inter omnes Ordines, ſed reſpectu Angelorum: fuit enim de Ordine Archangelorum. Vnde & Eccle-*

*ſia*

*ſit eum Archangelum nominat: Satis eſt ergo credibile, quod ſit ſummus in Ordine Archangelorum.* Quare dicimus: quod cuſtos Perſonæ privatæ pertinet ad infimum Ordinem Angelorum; cuſtos autem Perſonæ excellentiſsimæ, qualis eſt Mater Dei, congruit vt eſſet Archangelus, & Ordinis ſuperioris: quia privilegiata, & ab aliquibus generalibus excepta, & propterea digniori cuſtodia munita, ſicut ſupereminenti gratia ornata. Et quia cuſtos humanæ multitudinis eſt Princeps, vel Archangelus; vt ait D. Thomas: & B. Virgo Maria melius, quàm David, pro decem millibus, imò pro omnibus, & pluſquam omnes, computatur. Nec mirum, quod ſi multitudo, aut aliqua Congregatio hominum ab Archangelo cuſtoditur; Regina hominum, & Angelorum, ab Archangelo, & à ſummo Archangelorum ſervetur.

26 Hoc videtur ſatis conforme menti Divi Thomæ: qui in 2. diſt. 11. quæſt. 1. art. 2. ad 3. ait: *Omnes Angeli cuſtodes mittuntur: non tamen omnes, qui mittuntur, cuſtodiunt, ſed vltimi. Archangeli vero medij ſunt habentes aliquid commune cum vtriſque.* Et in præſenti art. 3 ad 1. dicit: *Eſt autem probabile, quod maiores Angeli deputentur ad cuſtodiam eorum, qui ſunt ad maiorem gradum gloriæ à Deo electi.* Vbi advertendum eſt: Quod S. Doctor in his, & ſimilibus reſolutionibus repetit: *Videtur probabile, credibile, aut rationabile.* Et Emin. Caiet. art. 2. ait: In his enim ſat eſt rationi conſona dicere.

27 Arg 5. Angelus cuſtos deputatur indigenti cuſtodia; ſed non omnes pari homines indiguerunt cuſtodia: ergo. Probat. min. Adam primus homo non indigebat cuſtodia, ad minus in ſtatu innocentiæ: ergo. Probat. ant. Vbi homo non patitur pericula, non indiget cuſtodia; ſed Adam in ſtatu innocentiæ non patiebatur pericula: ergo. Reſp. diſt. mai. Pericula ab interiori, nec imminens ab exteriori, conc. mai. Si immineant, nego mai. & diſt. min. Pericula ab interiori, & imminebant ab exteriori, conc. min. & non imminebant, nego min. & conſ. Ita Ang. Mag. art. 4. ad 2. dicens: *Homo in ſtatu innocentiæ non patiebatur aliquod periculum ab interiori: quia interius erant omnia ordinata: ſed imminebat periculum ei ab exteriori propter inſidias dæmonum: vt rei probavit eventus. Et ideò indigebat cuſtodia Angelorum.* Idem docet in 2. diſt. 11. quæſt. 1. art. 3.

20 Arg. 6. Antichriſtus non habebit Angelum cuſtodem: ergo. Prob. ant. Omnis actus Angeli-

tichriſti erit ſecundum operationem Satanæ, vt conſtat ex illo 2. Theſal. 2. *Cuius eſt adventus ſecundum operationem Satanæ.* Et Divus Thomas lect. 2. *Ex inſtinctu eius*; ſed cuſtodia Angelorum ordinatur contra operationem Satanæ: ergo. Reſp. admitto, & explico auth. cum Ang. Mag. art. 3. cit. ad 5. aſſerente: *Antichriſtus etiam habebit Angelum cuſtodem, quia lex cõmunis, propter vnum mutari non debet: & in hoc eius pœna iuſtior apparebit, quia beneficia toti naturæ humanæ proviſa, ſibi non ſubtrahuntur. Nec tamen eſt omninò fruſtra cuſtodia, quia etſi ad bonum non convertatur, à multis tamen malis ceſſabit, retractus ab Angelo cuſtode: hunc enim effectum ad minus ſemper conſequitur Angelus per cuſtodiam, in quocumque obſtinato.* Idem docet hic art. 4. ad 3.

29 Cont. Etſi Angelus bonus impediat aliqua mala Antichriſti, non eſt cuſtos illius: ergo. Prob. ant. Angeli boni non ſunt cuſtodes hominum, etſi impediant aliqua mala eorum: ergo. Reſp. Nego conſ. Ratio eſt: Nam Angelus cuſtos impedit mala cuſtoditi auxiliando, adiuvando, & retrahendo: quod faciet in Antichriſto. Non tamen arcendo, cogendo, nec imperando; vt Angeli boni faciunt cum dœmonibus.

30 Arg. 7. Angeli ſuperioris Ordinis cuſtodiunt homines: ergo non ſolùm Angeli Ordinis infimi. Prob. ant. ex S. Joan. Chriſ. qui ſup. illud Mat. 18. *Angeli eorum in Cœlis*, ait: *Intelligitur non de quibuſcumque Angelis, ſed de ſuperemimentibus*: ergo. Reſp. admitto, & explico auth. cum Divo Thoma art. 3. ad 1. dicente: *Verbum Chriſoſtomi poteſt intelligi, vt loquatur de ſupremis in Ordine infimo Angelorum. Quia, vt Dioniſius dicit, in quolibet Ordine ſunt primi, medij, & vltimi.*

31 Cont. Etiam Angeli Ordinis ſuperioris cuſtodiunt homines: ergo. Prob. ant. ex illo Heb. 1. *Angeli ſunt adminiſtratorij, &c.* Ex quo formatur diſcurſus: Angeli ita miſsi cuſtodiunt homines; ſed etiam Angeli Ordinis ſuperioris ſunt ita miſsi: ergo. Mai. patet: Cum talis miſsio ſit ad cuſtodiam hominum. Minor. conſtat: Nam etiam Angeli quinque Ordinum ſuperiorum ſunt ita miſsi. Reſp. diſting. mai. Semper cuſtodia particulari, nego mai. Particulari, aut vniverſali, conc. mai. & min. & ita diſt. conſ. Solutio eſt Ang. Doct. ad 2. aſſerentis: *Non omnes Angeli qui mittuntur, habent particularem cuſtodiam ſuper ſingulos homines: ſed quidam Ordines habent vniverſalem cuſtodiam.*

32 Cont. Angeli talium Ordinum habent cuſtodiam parti-

cularem ſuper ſingulos homines: ergo. Prob.ant. Ad talem cuſtodiam particularem maximè pertinet arcere dœmones, ne ſeducant homines; ſed arcere dœmones pertinet ad Angelos Ordinum ſuperiorum: ergo. Reſp. diſt.min. Arcere quaſi principaliter, conc.min. Executivè, nego min.& conſ. Pro quo Ang.Doct. ad 3. ait: *Etiam inferiores Angeli exercent officia ſuperiorum in quantum aliquid de dono eorum participant, & ſe habent ad ſuperiores ſicut executores virtutis eorum. Et per hunc modum etiam omnes Angeli infimi Ordinis poſſunt, & arcere dœmones, & miracula facere.*

33 Arg.8.cont.concluſ. Cuſtodia hominum per Angelos incipit ab eorum baptiſmo: ergo. Prob.ant. Cuſtodia, & miniſterium Angelorum eſt propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis; ſed homines incipiunt capere hæreditatem ſalutis, cum baptizantur: ergo. Reſp. diſt.mai. Eſt inefficaciter, nego mai. Efficaciter, conc.maior. & min.& nego conſ. Si enim conſideretur vltimus effectus cuſtodiæ, qui eſt perceptio hæreditatis, Angeli mittuntur efficaciter propter ſolos eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Enim verò eſt alius effectus, qui eſt retractio à malo, imò & præparatio ad bonum; qui etſi non habeat ſimilem efficaciam ad ſalutem conſequendam, illum efficiunt Angeli à conceptione prolis, ſeu in infuſione animæ in corpore, & ante baptiſmum; nedùm in ſalvandis, verùm & in præſcitis. In quo ſenſu miniſterium Angelorum etiam eſt efficax. Et cum hoc ſufficiat, vt cuſtodia Angelorum tunc incipiat, & ante baptiſmum: ideò incipit. Ita Ang. Mag.art.5.ad 1.

34 Cont. Homines nullum effectum cuſtodiæ recipere poſſunt ante baptiſmum: ergo. Prob.ant. Homines nullum Sacramentum recipere poſſunt ante baptiſmum: ergo. Prob.conſ. Sicut Angeli ſunt miniſtri cuſtodiæ, ita homines Sacramentorum; ſed: ergo. Reſp.Nego conſ. Ratio eſt: Quia baptiſmus eſt ianua Sacramentorum; & niſi quis ingrediatur per eam, non poteſt alia Sacramenta recipere. Verumtamen non eſt ita ianua aliorum beneficiorum Dei, quæ ante illum fiunt hominibus: inter quæ eſt cuſtodia Angelorum quoad talem effectum.

35 Arg.9. Pueri exiſtentes in vtero matris non cuſtodiuntur ab Angelis: ergo. Prob.antec. Pueri exiſtentes in vtero matris non recipiunt Sacramenta à miniſtris Eccleſiæ: ergo.Prob.conſ. Sicut receptio Sacramentorum eſt beneficium Dei, ita cuſtodia

An-

Angelorum; ſed: ergo. Reſp. Nego conſeq. Cuius diſcrimen prebet Ang. Doct. 2. Sent. diſt. 11. quæſt. 1. art. 3. ad 3. dicens: *Pueri in materno vtero non recipiunt Sacramenta Eccleſiæ, quia non ſubduntur actibus miniſtrorum: ſed operibus divinis, & Angelorum ſubduntur: & ideò eis ab infuſione animæ rationalis, cuſtos Angelus aſſignatur, per quem prohibetur virtus dæmonis ab eius nocumento, & propter multa impedimentaq́, quibus poteſt eius complexio deteriorari, vt efficiatur pronior ad peccandum, vel etiam ipſa vita extingui, & in hoc etiam proſunt parvulis natis, quamvis eos non illuminent.*

36 Cont. Pueri in vtero materno non ſubduntur cuſtodiæ Angelorum: ergo. Prob. antec. Cuſtodia Angelorum exercetur per illuminationem, & doctrinam; ſed pueri in vtero materno ſunt incapaces illuminationis, & doctrinæ: ergo. Reſp. diſt. mai. Exercetur ſolùm, nego mai. Et per alios effectus, conc. maior. & min. & nego conſ. Ita D. Thomas loc. cit. ad 4. dicens poſt ſolutionem antecedentem: *Vnde patet ad quartum.* Idem dicit de pueris, & omnibus ante vſum rationis.

37 Cont. Pueri in vtero materno, nec poſſunt percipere alios effectus ab Angelo cuſtode: ergo. Prob. ant. Potens percipere aliquos effectus ab Angelo cuſtode, habet motus partis rationalis regulabiles per Angelum cuſtodem; ſed pueri in vtero non habent tales motus: ergo. Min. conſtat: Cum non habeant vſum rationis. Reſp. diſt. mai. Vel poteſt habere, conc. maior. Habet ſemper, nego mai. & diſt. minor. Et poſſunt habere, conc. minor. Nec poſſunt habere, nego min. & conſeq. Licèt enim pueri in puerperio, & ante vſum rationis non habeant motus partis rationalis, ita regulabiles; poſſunt eos habere, dum perveniant ad vſum rationis; & ex tunc poſſunt diſponi ad illos, vt regulabiles per rationem, & vt diſpoſitos rationi: nam complexio eorum poteſt ita determinari, vt virtute dœmonis, aut alijs malis, quibus aſſueſiat, pronior reddatur ad malum, quàm ad bonum. Quare Angelus bonus ex tunc eſt ſollicitus, vt arceat dœmones, prædicta auferat, & pueros diſponat, vt pervenientes ad vſum rationis, inclinati ſint ad bonum. Et cum hoc ſit, recipere ab Angelo cuſtode aliquos effectus: ideò ex tunc recipiunt illos.

38 Arg. 10. Angelus cuſtos hominis in vtero materno, eſt diverſus ab Angelo cuſtode matris: ergo. Prob. ant. Homo in vtero materno eſt diverſus à matre; ſed ſingulis diverſis homini-

bus deputantur diverſi Angeli cuſtodes: ergo. Reſp.diſt.maior. Et totaliter ſeparatus,nego mai. Et non totaliter ſeparatus,conc. mai.& diſt.min. Totaliter ſeparatis, conc min. Non totaliter ſeparatis, nego min. & conſ. Ita Divus Thomas ad 1. vt dictum eſt num.5.

39 Cont.Licèt puer in vtero non ſit totaliter ſeparatus à matre,eſt ſeparatus ab illa in ordine ad Deum, & ad propriam ſalutem; ſed in hoc ordine recipit beneficia divina, & cuſtoditur ab Angelo: ergo. Prob.mai. Si puer moreretur in vtero materno, damnaretur ad lymbum; & mater poſſet ire ad gloriam, aut in alium locum: ergo. Reſp. diſt conſeq. Quoad beneficia intrinſeca animæ, conc.conſ. Externa,nego conſ. Beneficia namquè divina, homini ratione naturæ rationalis conceſſa, ſunt in duplici differentia. Alia intrinſecè inhærentia animæ. Alia externa, non ita animæ inhærentia. Et licèt puer, exiſtens in vtero, quoad illa ſit quaſi ſeparatus à matre; non verò quoad iſta, inter quæ eſt cuſtodia eius: nam cum ſit in puerperio, vt fructus in arbore; & cuſtodiens arborem, cuſtodiat eius fructus: reputatur idem quoad hoc, & Angelus cuſtos eſt idem: ſicque cuſtos matris, ipſum cuſtodit.

40 Cont. Quoad beneficia intrinſeca eſt ſeparatus à matre: ergo etiam quoad extrinſeca, & cuſtodiam. Prob.conſ. Utraquè beneficia ſunt divina; ſed: ergo. Reſp.Nego conſ.Ratio eſt:Quia intrinſeca, ſeu interna, ſubiectantur intrinſecè in propria anima: vt gratia, & præparatio ad illam.Et cum puer ibi habeat diſtinctam animam: ideò eſt ſeparatus quoad illa. Extrinſeca autem,& externa non ſubiectantur intrinſecè in anima, ſed extrinſecè ſe habent; vt evenit in cuſtodia Angelorum: ac proinde non ſe habet vt ſeparatus quoad illa, nec quoad cuſtodiam.

41 Cont. Licèt cuſtodia ita concurrat extrinſecè, puer eſt ibi ſeparatus à matre quoad illam: ergo. Prob.antec. Puer in vtero exiſtens poteſt ſanctificari per gratiam iuſtificantem,matre non iuſtificata.Etſi Adamus non peccaſſet, multoties contingeret, matrem eſſe in peccato mortali, & filium in iuſtitia originali;ſed talis puer foret ſeparatus à matre quoad cuſtodiam: ergo.Prob. min. Deus præberet puero talia beneficia, media aliqua cuſtodia Angeli; ſed non media cuſtodia Angeli matris: ergo. Prob.min. Prædictus Angelus non adminiſtraret talia beneficia, nec effectus matri: ergo. Prob.conſ.Angelus cuſtos adminiſtrat eadem

beneficia, & effectus ſubiecto cuſtodito; ſed: ergo. Reſp.diſt. mai. Subiecto diverſo,nego mai. Omnino eidem, conc.maior.& min.& nego conſeq.Cum virtus Angeli ſit perfectiſsima, idem poteſt eſſe miniſter Dei ad plures effectus producendos, & diverſa beneficia diſpenſanda; & vt aliqua eorum diſpenſet vni, & non alteri, à ſe cuſtodito: vt patet in Angelo cuſtodiente multitudinem hominum. Et ſimiliter, vt diſpenſet ea filio, & non matri portanti illum: quia licèt ſint quaſi idem ſubiectum cuſtoditum, ſunt individua diverſa, & filius eſt diſtinctus, & ſeparatus in ordine ad tales effectus,& beneficia intrinſeca Dei. Cuſtodia tamen ſufficit pro vtroque: cum filius ſit quaſi pendens in matre.

42 Cont.Contingere poteſt, quod Angelus diſpenſans filio talia beneficia, non ſit cuſtos matris: ergo. Prob.ant. Contingere poteſt, quod Angelus cuſtos matris ſeparetur totaliter ab ea, permanens in vtero eius: ergo. Prob.ant. Poteſt mater, in vtero habens, mori, filio in eo permanente vivo,quem Angelus cuſtodiat: vt evenit in matre S.Raymundi Nonnati; ſed in morte ſeparatur Angelus cuſtos totaliter à matre: ergo. Min. patet: Nam cuſtodia Angeli eſt in via, & vſque ad mortem. Reſp.diſt. conſ. Ab ea mortua, conc.conſ. Viva permanente, nego conſeq. Dum enim Angelus cuſtos matris, ipſam cuſtodit, ſimul cuſtodit filium in vtero eius exiſtentem: cum cuſtodiat quidquid in ea eſt.Secùs dum deſinit cuſtodire illam, vt in tali caſu. Tunc enim ſtatim adveniet proprius Angelus, filio deputatus; qui ex tunc cuſtodiet illum: cum ſit individuum humanum vivum, ab omni alio iam ſeparatum, & quaſi natum, etſi pro brevi tempore in vtero perſeveret.

43 Cont.Si hęc ſubſiſterent, puer natus, patribus viventibus, non cuſtodiretur à proprio Angelo, ſed ab Angelo parentum, dum non perveniret ad vſum rationis: ergo. Prob.antec. Licet per nativitatem ſeparetur corporaliter à matre, dum non pervenit ad vſum rationis, iure naturali eſt aliquid parētum,etiam in ordine ad beneficia ſpiritualia: ergo. Ant.eſt certum: Ideoquè peccaret contra ius naturæ, qui ante vſum rationis eum baptizaret,invitis parentibus.Prob. conſ. Ideò dum eſt in vtero matris cuſtodiretur ab Angelo matris, quia eſt aliquid matris, ſeu ſpectat ad bona matris; ſed: ergo. Reſp.diſt.mai. Ad bona matris intrinſecè ei coniuncta,conc. mai. Aliter,nego mai.& ſic diſt. min.nego conſ. Quandiu enim

puer eſt in vtero matris, dicitur matris; non ſolùm iure dominij, & poſſeſsionis, ſed etiam intrinſeccitatis, ita vt ſit velut pars matris. Vnde alitur, & nutritur per matrem, & vt quid matris. Quare ſicut per os matris corporaliter nutritur, per Angelum matris ſpiritualiter cuſtoditur. Dum autem eſt extra vterum matris, licèt iure naturali ſit ſub dominio parentum, etiam quoad ſpiritualia; non eſt quid intrinſecum illorum, ſed omninò ſeparatum, habens propriam naturam rationalem, ab eis ita ſeparatam, vt proprio ore alatur, & nutriatur. Vnde & proprio Angelo cuſtoditur.

44 Inquires: An Angelus cuſtos quandoquè deſerat hominem? Reſpondet Ang. Mag. negativè art. 6. Quod fundat hoc modo: Dœmones ſemper impugnant hominem; iuxtà illud 1. Pet. 5. *Adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret*: ergo Angeli boni multò magis cuſtodiunt hominē. In corp. autem explicat ſenſum reſolutionis. Qui eſt: quod non deſerit totaliter eum; etſi videatur deſerere aliqualiter illum, in quantum ei permittit defectus. Probat hoc ratione: Cuſtodia Angeli eſt quædam executio divinæ providentiæ; ſed Deus ſua providentia nunquam deſerit totaliter hominem, ſed aliqualiter; prout ei permittit aliquem defectum: ergo nec Angelus cuſtos; qui etſi interdum ad aliquid deſerat hominem, quatenus non impedit caſum in tribulationem, & peccatum, ſecundùm ordinem divini iudicij; eum totaliter non deſerit: cum alijs modis prædictis cuſtodiat illum.

45 Objicies illud Jerem. 51. *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam* Et Iſ. 5. dicit Deus de vinea: *Auferam ſepem eius, & erit in direptionem.* Nunc Gloſſa citata à D. Thoma arg. 1. *Id eſt Angelorum cuſtodiam*: ergo. Reſp. admitto, & explico auth cum Ang. Doct. in corp. ita affante: *Babylon, & domus Iſrael ab Angelis derelictæ dicuntur, quia Angeli eorum cuſtodes non impedierunt, quin tribulationibus ſubderentur.* Sunt enim aliqualiter derelictæ; non totaliter. Similiter ſatisfit huic obiectioni: Deus principalius, quàm Angelus cuſtodit hominem; ſed Deus quandoquè deſerit hominem, ſecundùm illud Pſal. *Deus Deus meus reſpice in me: quare me dereliquiſti?* Ergo etiam Angelus.

46 Cont. Angelus cuſtos aliquando deſerit totaliter hominem: ergo. Prob. aut. ex S. Joan. Damaſc. citato à Divo Thoma arg 3. aſſerente: *Angeli cum ſunt hic nobiſcum, non ſunt in Cœlo*; ſed

aliquando ſunt in Cœlo: ergo aliquando non ſunt nobiſcum, & totaliter deſerunt hominé. Reſp. admitto, & explico author. cum Ang. Mag. ad 3. ita exponente: *Angelus etſi interdum derelinquat hominem loco, non tamen derelinquit eum quantum ad effectum cuſtodiæ: quia etiam cum eſt in Cœlo, cognoſcit quid circa hominem agatur. Nec indiget mora temporis ad motum localem, ſed ſtatim poteſt adeſſe.*

47 Dubitabis: Vtrum Angeli doleant de malis eorum, quos cuſtodiunt? Respondet Angel. Mag. art. 7. Quod in eis non eſt propriè dolor de illis. Et ſuadet ſic: Vbi eſt triſtitia, & dolor, non eſt perfecta fœlicitas. Unde dicitur Apoc. 21. *Mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque vllus dolor*; ſed Angeli ſunt perfectè beati; & ſic habent perfectam fœlicitatem: ergo. Cuius rationem reddit, dicens: *Triſtitia enim, & dolor ſecundum Aug. non eſt, niſi de his, quæ contrariantur voluntati. Nihil autem accidit in mundo, quod ſit contrarium voluntati Angelorum, & aliorum beatorum: quia voluntas eorum totaliter inhæret ordini divinæ iuſtitiæ; nil autem fit in mundo, niſi quod per divinam iuſtitiam fit, aut permittitur.*

48 Objicies: Quod Iſa. 33. dicitur: *Angeli pacis amare flebunt*; ſed fletus indicat dolorem de malis hominum, quos cuſtodiunt: ergo. Reſp. cum Angel. Doct. ad 1. dicente: *Verbum illud Iſaiæ poteſt intelligi de Angelis, id eſt nuntijs Ezechiæ, qui fleverunt propter verba Rapſacis. De quibus habetur Iſa. 37. Et hoc ſecundum literalem ſenſum. Secundum vero allegoricum, Angeli pacis ſunt Apoſtoli, & prædicatores, qui flent pro peccatis hominum. Si verò ſecundum ſenſum anagogicum exponantur de Angelis bonis, tunc methaphorica erit locutio ad deſignandum, quod* Angeli *volunt in vniverſali hominum ſalutem. Sic enim Deo, &* Angelis *huiuſmodi paſſiones attribuuntur.* Vid. quæſt. 2. art. 3.

49 Cont. In Angelis bonis, & cuſtodibus eſt propriè dolor de malis corũ, quod cuſtodiunt: ergo. Prob. ant. Triſtitia, ſive dolor, eſt de his, quæ nobis nolentibus, accidunt: vt M. P. Aug. docet; ſed mala eorum accidunt, nolentibus Angelis bonis, & cuſtodibus: ergo. Prob. min. Perditio hominis cuſtoditi eſt contra voluntatem Angeli cuſtodis, & accidit, eo nolente; ſed perditio eorum eſt per mala ipſorum: ergo. Reſp. diſt. mai. Voluntatem particularem, & reſpicientem ordinem divinæ iuſtitiæ, nego mai. Univerſalem, & abſolutam, conc. mai. & min. & nego conſeq. Voluntas abſoluta, & vniverſalis reſpicit obiectum ſecundum ſe.

ſe. Particularis reſpicit ipſum in particulari, & vt circunſtantiatum. Vtraque compatibilis eſt circa obiectum, cum tali diverſa inſpectione. Particularis autem eſt ſimpliciter voluntas, & alia ſecundùm quid. Vt enim Philoſophus dicit 3. Ethic. illud dicitur ſimpliciter volũtarium, quod aliquis vult in particulari, ſecundùm quod agitur; conſideratis ſcilicet omnibus, quę circunſtant: quamvis in vniverſali conſideratum non eſſet voluntarium. Et licèt talia mala ſint contra voluntatem abſolutam, & vniverſalem Angelorum bonorum, qui ita non volunt ea; non ſunt contra particularem, & reſpicientem ordinem divinæ iuſtitiæ: cum velint, quod hic ſervetur. Cumquè hoc ſufficiat, vt propriè non doleant de illis: ideò ita non dolent.

50 Cont. Perditio hominis cuſtoditi eſt contra voluntatem particularem Angeli cuſtodis: ergo. Prob. ant. Id, propter quod Angelus cuſtos adducendus eſt in iudicium, eſt contra eius voluntatem particularem; ſed adducendus eſt in iudicium propter perditionem hominis cuſtoditi: ergo. Prob. min. ex Origine, qui ſup. illud Numer. 13. *Quidquid offertur primitiarum, &c.* aſſerit: *Trahuntur Angeli in iudiciũ, vtrum ex ipſorum negligentia, an hominum ignavia lapſi ſint.* Reſp. admitto, & explico auth. cum Ang. Doct. ad 4. dicente: *Quod Angeli ducuntur in iudicium pro peccatis hominum, non quaſi rei, ſed quaſi teſtes, ad convincendum homines de eorum ignavia.* Vt autem perditio eſſet contra voluntatem particularem Angelorum, deberent vt rei adduci.

51 Cont. His non obſtantibus, Angelus cuſtos gaudet de pęnitentia hominis cuſtoditi: ergo dolet de peccato illius. Ant. conſtat Lucæ 15. Prob. conſ. Sicut gaudium, & dolor contrariantur; ita pœnitentia, & peccatum; ſed: ergo. Reſp. Nego conſ. Ratio eſt: Quia vtrobiquè Angelus gaudet: cum impleatur divina iuſtitia. Sic D. Thomas ad 3.

52 Inquires: An poſsit eſſe pugna, & diſcordia inter Angelos bonos? Reſpondet Ang. Magiſt. art. 8. Quod poteſt eſſe pugna, & non diſcordia. Suadet primum: Vbi eſt reſiſtentia, eſt pugna; ſed inter Angelos bonos poteſt eſſe reſiſtentia: ergo & pugna. Prob. min. ex Daniel. 10. vbi in perſona Gabrielis dicitur: *Princeps autem regni Perſarum reſiſtit mihi viginti, & vno diebus.* Nunc D. Thomas: *Hic autem Princeps Perſarum erat Angelus regno Perſarũ in cuſtodiam deputatus*: ergo. Perſuadet ſecundum: diſcordia dicit contrarietatem voluntatum; ſed licèt inter Angelos bonos ſit reſiſtentia, & pug-

pugna in meritis, de quibus conſulunt divinam voluntatem, non eſt contrarietas voluntatum: ergo nec diſcordia.

53 Proſequitur autem Ang. Doct. *Ad videndum igitur qualiter vnus Angelus alteri reſiſtere dicitur, conſiderandum eſt, quod divina iudicia circa diverſa regna, & diverſos homines, per Angelos exercentur. In ſuis autem actionibus Angeli per divinam ſententiam regulantur. Contingit autem quandoquè quod in diverſis regnis, vel diverſis hominibus contraria merita, vel demerita inveniuntur, vt vnus alteri ſubdatur, aut præſit. Quid autem ſuper hoc ordo divinæ ſapientiæ habeat, cognoſcere non poſſunt, niſi Deo revelante. Vnde neceſſe habent ſuper his ſapientiam Dei conſulere. Sic igitur in quantum de contrarijs meritis, & ſibi repugnantibus divinam conſulunt voluntatem, reſiſtere ſibi invicem dicuntur: non quia ſint eorum contrariæ voluntates, cum in hoc omnes concordent, quod Dei ſententia impleatur; ſed quia ea, de quibus conſulunt, ſunt repugnantia.*

54 Objicies illud Job 25. *Qui facit concordiam in ſublimibus*; ſed pugna opponitur concordiæ: ergo non eſt pugna in Angelis ſublimibus. Reſp. diſt. minor. Pugna ſumpta pro contrarietate voluntatum, conc. min. Meritorum, de quibus conſulunt, vt ſciant volũtatem Dei, & ſententia Dei impleatur, nego min. & ita diſt. cõſ. Similiter ſatisfit huic objectioni: Vbi eſt perfecta charitas, & iuſta prælatio, non poteſt eſſe pugna; ſed vtraquè eſt in Angelis bonis: ergo in eis non poteſt eſſe pugna.

## ARTICVLVS V.

### *DE IMPVGNATIONE dæmonum.*

1 QUæſtionem 114. vltimam huius Tractatus, cingit Ang. D. quinque articulis. In 1. reſolvit: quod homines impugnantur à dœmonibus. Quod fundat in illo Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem: ſed adverſus principes, & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cœleſtibus.* Prævenit autem D. Thomas: *Impugnatio quidem ipſa eſt dæmonum malitia procedit, qui propter invidiã profectum hominum impedire nituntur, & propter ſuperbiam divinæ poteſtatis ſimilitudinem vſurpant, deputando ſibi miniſtros determinatos ad hominum impugnationem: Sicut & Angeli Deo miniſtrant in determinatis officijs ad hominum ſalutem. Sed ordo impugnationis ipſius eſt à Deo, qui ordinatè novit malis vti, ad bona ea ordinando. Sed ex parte Angelorum, tàm ipſa cuſtodia, quàm ordo cuſtodiæ reducitur ad Deum ſicut ad primum actorem.*

In

2 In 2. art. determinat: quod tentare, vt noceat, eſt proprium diaboli. Sumit fundamentum ex illo 1. Theſal. 3. *Ne fortè tentaverit vos is, qui tentat*: Nunc Gloſſa: *Diabolus, cuius officium eſt tentare.* Probat quoque ratione: Tentare eſt ſumere experimentum de aliquo; ſed diabolus ſemper ſumit experimentum de hominibus, vt eis noceat: ergo. Mai. eſt certa: ideòque dicitur tentatio, ſeu tentativa, dum quis ſumit experimentum de ſcientia, bonitate, aut malitia alterius. Prob. min. Semper ſumit tale experimentū, ſive tentat, præcipitando homines in peccatum: ergo.

3 In 3. ſtatuit: Quod omnia peccata cauſantur indirectè à dœmone tentante; directè autem procedunt ex libertate arbitrij. Probat primum hoc modo: Agens cauſans diſpoſitionem ad effectum, cauſat occaſionaliter, & indirectè effectum; ſed diabolus cauſat diſpoſitionē omnium peccatorum: ergo. Mai. patet: Sic enim ſecans ligna, dicitur cauſa combuſtionis lignorum. Probat. min. Diabolus inſtigavit primum hominem ad peccandum; ex cuius peccato ſecuta eſt in toto genere humano quædam pronitas ad omnia peccata; ſed eſt quædam diſpoſitio ad illa: ergo.

4 Prob. ſecundum: Cauſa directa effectus eſt, quæ intendit, & directè operatur illud; ſed creatura vtens libero arbitrio eſt, quæ intendit, & directè operatur omnia peccata: ergo. Hinc docet: Quod non omnia peccata committuntur, diabolo inſtigante; ſed quædam ex libertate arbitrij, & corruptione carnis: & horum diabolus non eſt cauſa directa. Erit autem eorum, quæ directè intendat, & ad quæ inſtiget.

5 In 4. aſſerit: Quod dœmones poſſunt ſeducere homines. Prob. ratione: Faciens opus excedens facultatem, & cognitionem alterius, quod non eſt verum miraculum, poteſt ſeducere illum; ſed dœmones poſſunt facere opus excedens facultatem, & cognitionem hominum, quod non eſt verum miraculum: ergo. Mai. patet: nam tunc admirans tale opus, poteſt induci, vt cogitet quod non eſt, & exinde iniquè procedat. Min. conſtat: quia ſolus Deus, vt cauſa principalis, & virtute propria poteſt facere vera miracula.

6 In 5. inquirit: Vtrum dœmon, qui ſuperatur ab aliquo, arceatur propter hoc ab impugnatione? Reſpondet: quod arcetur, ſive vacat à tentatione; non ſemper, ſed ad tempus. Pro quo refert illud Matth. 4. *Tunc reliquit eum Diabolus*: Et Ang. Mag. addit: *Chriſtum ſuperantem.* Et pro-

ſequitur in corp. *Quidam dicunt, quod dœmon ſuperatus nullum hominem poteſt de cœtero tentare, nec de eodem, nec de alio peccato. Quidam autem dicunt, quod poteſt alios tentare, ſed non eumdem. Et hoc probabilius dicitur, ſi tamen intelligatur vſque ad aliquod tempus. Vnde Lucæ 4. dicitur: quod conſummata omni tentatoone diabolus receſsit à Chriſto vſque ad tempus. Et huius ratio eſt duplex. Vna ex parte divinæ clementiæ. Quia, vt Chryſoſtomus dicit ſup. Matth. Non tandiu diabolus homines tentat, quandiu vult, ſed quandiu Deus permittit. Quia etſi permittat pauliſper tentare, tamen repellit propter infirmam naturam. Altera ratio ſumitur ex aſtutia diaboli. Vnde Ambroſ. dicit ſup. Lucam: quod diabolus inſtare formidat, quia frequentius refugit triumphari. Quod tamen aliquando diabolus redeat ad eum, quem dimiſsit, patet per illud, quod dicitur Matth. 12. Revertar in domum meam vnde exivi.* Vid. B. Alb. quæſt. 28.

7 Arg. 1. Si dœmones impugnarent homines, deputarentur à Deo ad impugnationem; ſed non deputantur: ergo. Prob. min. Si deputarentur, eſſent miſsi à Deo ad impugnationem; ſed non ſunt miſsi à Deo ad impugnationem: ergo. Mai. patet: Nam Angeli boni ſunt miſsi à Deo ad cuſtodiam, quia ab eo ſunt deputati ad illam. Prob. min. Intentio dœmonum in impugnatione eſt, perdere animas; ſed dœmones non ſunt miſsi à Deo perdere animas: ergo. Reſp. diſt. conſ. Inſtigando, conc. conſ. Puniendo, nego conſ. Pro quo Ang. Mag. art. 1. ad 1. ait: *Mali Angeli impugnant homines dupliciter. Vno modo inſtigando ad peccatum. Et ſic non mittuntur à Deo ad impugnandum, ſed aliquando permittuntur ſecundum Dei iuſta iudicia. Aliquando autem impugnant homines puniendo. Et ſic mittuntur à Deo. Sicut miſſus eſt ſpiritus mendax ad puniendum Achab Regem Iſrael, vt dicitur 3. Reg. vlt. Pœna enim refertur in Deum, ſicut in primum actorem. Et tamen dœmones ad puniendum miſsi, alia intentione puniunt, quam mittuntur. Nam ipſi puniunt ex odio, vel invidia; mittuntur autem à Deo propter eius iuſtitiam.*

8 Cont. Dœmones nec ita ſunt miſsi, aut permiſsi à Deo ad impugnationem hominum: ergo. Prob. ant. Pugna inter eos, inter quos non eſt æqua conditio pugnandi, non eſt, nec permittitur à Deo; ſed inter homines, & dœmones non eſt æqua conditio pugnandi: ergo. Prob. min. Non eſt æqua conditio pugnandi, vt infirmus contra fortem, & ignarus contra aſtutum exponatur ad bellum; ſed homines ſunt infirmi, & ignari; dœmones autem fortes, & aſtuti: ergo. Reſp. diſt

mai. Si non recompenſantur auxilio, conc. mai. Si recompenſentur, nego mai. & diſt. min. Et recompenſatur differentia auxilio gratiæ divinę, & cuſtodia Angelorum, conc. min. Et non recompenſatur, nego min. & conſ. Pro quo Ang. Præcep. ad 2. ait: *Ad hoc quod non ſit inæqualis pugnæ conditio, fit ex parte hominis recompenſatio: principaliter quidem per auxilium divinæ gratiæ: Secundariò autem per cuſtodiam Angelorũ.* Unde 4. Reg. 6. Eliſeus dixit ad Miniſtrum ſuum: *Noli timere: plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis.*

9 Cont. Nec talis impugnatio dœmonum, cum prædicta recompenſatione, eſt conducens ad aliquid: ergo nec permiſſa, nec ita eſt à Deo. Prob. ant. Eſſet conducens ad exercitium hominum, præcipuè electorum; ſed ad hoc non eſt cõducens: ergo. Prob. min. Ad tale exercitium ſufficit impugnatio carnis, & mundi: ergo. Reſp. diſt. antec. Sufficit ex parte infirmitatis humanę, conc. antec. Ex parte malitiæ dœmonum, nego ant. & conſ. Ita Divus Thomas ad 3. dicens: *Infirmitati humanæ ſufficeret ad exercicium impugnatio, quæ eſt à carne, & mũdo: ſed malitiæ dœmonum non ſufficit, quæ vtroque vtitur ad hominum impugnationem. Sed tamen ex divina ordinatione hoc provenit in glo-*

10 Arg. 2. Tentare convenit alijs: ergo non eſt proprium diaboli. Prob. ant. Gen. 22. dicitur: *Tentavit Deus Abraham.* Tentat etiam caro, & mundus. Et etiam homo dicitur tentare Deum, & hominem: ergo. Reſp. admitto, & explico Sac. Text. cum Ang. Mag. art. 2. dicente: *Deus autem tentare dicitur vt ſciat, eo modo loquendi, quo dicitur ſcire quod facit alios ſcire.* Vnde dicitur Deut. 13. *Tentat vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat, vtrum diligatis eum Caro etiam, & mundus dicuntur tentare inſtrumentaliter, ſeu materialiter, in quantum ſcilicet poteſt cognoſci qualis ſit homo, ex hoc quod ſequitur, vel repugnat concupiſcentijs carnis, & ex hoc quod contemnit proſpera mundi, & adverſa, quibus etiam diabolus vtitur ad tentandum.* Prævenit autem, quod diabolus ſemper tentat, vt noceat, in peccatum pręcipitando: Et ſecundum hoc dicitur proprium officium eius tentare.

11 Cont. Nec tentare, vt noceat eſt proprium diaboli: ergo. Prob. ant. Tentare, vt noceat, eſt proprium ignorantis; ſed diabolus non ignorat quid circa homines agatur: ergo. Prob. min. Diabolus ſcit quid circa homines agatur: ergo. Reſp. diſt. ant. Agatur exterius, conc. ant. Interius, nego ant. & ita diſt. conſeq. Hanc doctrinam proponit Ang.

Doct. ad 2. dicens: *Dæmones ſciunt ea quæ exterius aguntur circa homines: ſed interiorem hominis conditionem ſolus Deus novit, qui eſt ſpirituum ponderator: Ex qua aliqui ſunt magis proni ad vnum vitium, quàm ad aliud. Et ideò diabolus tentat explorando interiorem conditionem hominis, vt de illo vitio tentet, ad quod homo magis pronus eſt.*

12 Cont. Licet Diabolus ignoret quid circa hominem interius agatur, non tentat, vt ſciat illud: ergo. Prob. ant. Ex tali tentatione diabolus nihil poteſt conſequi: ergo. Prob. ant. Non poteſt conſequi diſponere hominem ad peccatum: ergo. Prob. ant. Diſpoſitio hominis ad peccatum eſt in eius voluntate; ſed diabolus non poteſt diſponere voluntatem hominis ad peccatum: ergo. Reſp. diſt. min. Immutando illam, conc. min. Inclinando eam, nego min. & conſeq. Sic Div. Thomas ad 3. aſſerens: *Dæmon etſi non poſsit immutare voluntatem, poteſt tamen aliqualiter immutare inferiores vires: ex quibus etſi non cogitur, voluntas tamen inclinatur.*

13 Arg. 3. S. Dioniſius cap. 4. de divin. Nom. ait: *Multitudo dœmonum eſt cauſa omnium malorum ſibi, & aliis.* Et Sanct. Joann. Damaſc. cit. à Divo Thoma artic. 3. dicit: *Omnis malitia, & omnis immunditia à diabolo excogitatæ ſunt*: ergo omnia peccata procedunt ex tentatione diaboli. Reſpond. explicando SS. PP. vt dictum eſt, cum Ang. Doct. art 3. qui in corpore addit: *Et per hunc modum intelligenda ſunt verba Damaſceni, & Dioniſij.*

14 Contra: Omnia peccata ſunt directè ex tentatione, inſtigatione, & ſuggeſtione diaboli: ergo. Probat. antec. De quolibet peccante dici poteſt, quod Dominus dicit de Judæis Joann. 8. *Vos ex patre diabolo eſtis*; ſed hoc erat, quia ipſi ex ſuggeſtione diaboli peccabant: ergo. Reſpond. Nego conſeq. Ratio eſt: Quia quomodocumque committatur peccatum, homo per illud fit filius diaboli. Quare Angel. Doct. ad 2. ait: *Si qua peccata ab inſtinctu diaboli perpetrantur, per ea tamen fiunt homines filij diaboli, in quantum ipſum primò peccantem imitantur.*

15 Contra: Omnia peccata non alio modo fiunt, niſi ex ſuggeſtione diaboli: ergo. Probat. antec. Omnia bona non alio modo fiunt, niſi ex ſuggeſtione Angeli boni: ergo. Prob conſ. Sicut Angeli deputantur ad cuſtodiam hominum, ita dœmones ad impugnationem; ſed: ergo. Reſpond. Nego conſeq. Diſcrimen præbet Angel. Præ-

cept. ad 3. dicens: *Quod homo poteſt per ipſum ruere in peccatum: ſed ad meritum proficere non poteſt, niſi auxilio divino, quod homini exhibetur mediante miniſterio Angelorum. Et ideò ad omnia bona noſtra cooperantur Angeli: non tamen omnia peccata noſtra procedunt ex dæmonum ſuggeſtione. Quamvis nullum genus peccati ſit, quod non interdum ex dæmonum ſuggeſtione proveniat.*

16 Arg. 4. Si dœmones poſſent ſeducere homines, eſſet per aliqua ſigna vera, quæ viderentur miracula; ſed non poſſunt facere talia ſigna vera: ergo. Prob. minor. Operatio dœmonum maximè vrgebit in operibus Antichriſti, & tunc facient plura ſigna; ſed illa non erunt ſigna vera: ergo. Probat. min. ex illo 2. Theſalon. 2. *Cuius eſt adventus ſecundum operationem Satanæ: in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus*: ergo. Reſpond. admitto, & explico Sac. locum cum D. Thoma art. 4. ad 1. ita exponente: *Sicut Auguſtinus dicit ibidem, Antichriſti opera poſſunt dici eſſe ſigna mendacij, aut quia mortales ſenſus per phantaſmata decepturus eſt, vt quæ non facit, videatur facere. Vel quia ſi ſint vera prodigia, ad mendacium tamen pertrahent credituros.* Quare proſequitur Sacer Textus: *Et in omni ſeductione iniquitatis.*

17 Contra: Dœmones in nullo ſenſu poſſunt facere vera ſigna: ergo. Probat. antec. Vera ſigna fiunt per aliquam immutationem corporum; ſed dœmones in nullo ſenſu poſſunt immutare corpora in aliquam naturam: ergo. Probat. minor. ex Divo Auguſt. 18. de Civitate Dei aſſerente: *Nec corpus quidem humanum nulla ratione crediderim dæmonum arte, vel poteſtate, in membra veſtialia poſſe converti*: ergo. Reſpond. admitto, & explico author. cum Divo Thoma. Cuius ſenſus eſt: Quod dœmones virtute propria non poſſunt facere talem mutationem: cum materia corporalis non obediat ad nutum Angelis, vt virtute ſua tranſmutent eam de forma in formam. Verumtamen poſſunt facere omnes mutationes, ad quas ſunt ſemina, & virtutes in elementis mundi, applicando tales virtutes naturales, cum cognoſcant illas. Quare poſſunt ita mutare aliquas res in ſerpentes, ranas, & in alia, quæ poſſunt ex putrefactione generari. Tranſmutationes autem rerum corporalium, quæ nequeunt fieri virtute naturæ, nec operatione dœmonum poſſunt verè fieri, vt quod corpus humanum mutetur in veſtiale, & mortuum reviviſcat. Etſi aliquando tale

videatur; eſt tantum apparens, & non verum.

18 Contra: Signa ita facta à dœmonibus, non poſſunt concurrere ad ſeductionem: ergo. Probat. antec. Talia ſigna, facta ab Angelis bonis, non poſſunt concurrere ad ſeductionem: ergo. Reſpond. nego conſeq. Rationem reddit Angel. Magiſt. ad 3. dicens cum M. P. Auguſtino: *Cum talia faciunt Magi, qualia Sancti, diverſo fine, & diverſo iure fiunt. Illi enim faciunt quærentes gloriam ſuam, iſti quærentes gloriam Dei. Et illi faciunt per quædam privata commercia: iſti autem publica adminiſtratione, & iuſſu Dei, cui cuncta creata ſubiecta ſunt.*

19 Arg. 5. Chriſtus Dominus vicit efficaciſsimè demonem tentantem; ſed poſtea impugnavit eum, incitando Judæos ad eius occiſionem: ergo dœmon ſuperatus, & victus non ceſſat ab impugnatione. Reſp. diſt. conſeq. Non ceſſat pro ſemper, conc. cóſeq. Ad tempus, nego conſ. Solutio patet ex dictis. Et hæc de Tractatu Septimo, & de hoc ſecundo Tomo. Ad laudem Omnipotentis Dei; Virginis Matris, Roſario circundatæ; Beatorum Angelorum; Sanctorum PP. Dominici, & Franciſci; Divi Petri Martyris; M.P.S. Auguſtini; Ang. Doct. Divi Thomæ Aquinatis; B. Alberti Magni, & omnium Sanctorum, atque in ſuffragium Animarum Purgatorij.

Amen.